# SLAVORUM LITTERAE THEOLOGICAE.

## CONSPECTUS OPERUM RECENTIUM ET COMMENTATIONES IRENICAE.

DIRIGENTIBUS

Dr. JOS. TUMPACH, Dr. ANT. PODLAHA, AD. ŠPALDÁK
Pragae.

E. MATZEL
Chyroviae.

Dr. FR. GRIVEC
Labaci.

Dr. KAM. DOČKAL
Zagrabiae.

ANNUS VI.

1910.

**PRAGAE BOHEMORUM 1910.**

SUMPTIBUS PROPRIIS. TYPIS AEP. OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.
IN COMMISSIONE EIUSDEM TYPOGRAPHIAE PRAGAE I.-190.
(ROHLÍČEK & SIEVERS.)

# Epitome.

## BOHEMICA.

*J. V Šimák,* Zpovědní seznamy arcidioecese pražské (Ref. Prof. Dr. Lubomír Petr) 1

Dr. *Josef Novotný,* Spiritismus zdokonalením křesťanství? (Ref. Dr. Al. Kudrnovský) 2

Dr. *Jan Hejčl,* Do města Davidova z města Eliščina (Ref. Ad. Jašek) 5

*Fd. Šittler,* O církevním umění a péči o jeho památky (Ref. Fr. Fau) . 5

Dr. *J. Kratochvil,* Dnešní otázky filosofické (Ref. Dr. Alois. Kudrnovský) 67

Dr. *Jaroslav Sedláček,* Biblické zprávy v různém světle (Ref. Dr. Ign. Steinochr) . 139

Th. Dr. *Alois Kudrnovský,* Spiritismus (Ref. Dr. Jos. Čihák) 140

Th. Dr. *Antonín Brychta,* O jmění církevním a jeho správě (Ref. Dr. J. Tumpach) . 191

*Jos. Rybák* S. J., Křesťanská askese ve světle pravdy (Ref. Franciscus Xav. Halbich) . 192

Dr. *Jos. Samsour,* Obrazy z dějin církve katolické (Ref. Jind. Skopec) . 193

## POLONICA.

Przegląd powszechny 1909 (Ref. Ks. Ernest Matzel T. J.) 6

*Minim,* Sw. Stanisław »Traditor« czy Zdrajca? 8

Libri recentiores polonici (Ref. E. M.) . . . . . 8

Prof. Dr. *K. Twardowski,* O filozofii średniowiecznej wykładów sześć . . . 142

Ks. *Zygmunt Cieplucha,* Własność prywatna . . 143

*Michał Szuca,* O pochodzeniu człowieka . . 144

*Czarnecki,* Dr. Julian: Medycyna pastoralna . 144

*Buonaccorsi-Kallimach Filip,* Życie i obyczaje Grzegorza z Sanoka, arcybiskupa lwowskiego . . 145
Recentiores libri Polonici (Ref. P. Ernestus Matzel S. J.) . . 145

## RUTHENICA.

Dr. *Dyonis. Dorožynskij,* Praznyčni kartyny hr. kat. Cerkvy (Ref. O. V—yj) . 9
Nyva 1908 (Ref. O. V—yj) . 9
*I. Svěncickyj,* Opys rukopysiv Narodnogo Domu z kolekcii Ant. Petruševyča (Ref. M. M.) . 68
Dr. *Ivan Franko,* Apokrify i legendy z ukraïns'kyḫ rukopysiv (Ref. M. M.) 69

## RUSSICA.

Prof. *M. M. Tarěev,* Osnovy Ḫristianstva (Ref. Dr. Leonini) . 12
Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija 17
Věra i Razum (Ref. A. Palmieri) . . . . 20
*I. Troickij,* Obozrěnie istočnikov načal'noj istorii egipetskago monašestva (Ref. Dr. Leonini) . . . . . . . 76
*N. P. Giljarov-Platonov,* Voprosy věry i cerkvi (Ref. M. Hałuščyńskyj) . . . . . . . . . . . . 77
*A. Sokolov,* Metodika Zakona Božija (Ref. Dr. Leonini) . 146
Žurnal ministerstva narodnago prosvěščenija . . 147
*I. Svěncickij,* Opis Muzeja Stavropigijskago Instituta vo L'vově 148
*I. Svěncickij,* Katalog knig cerkovno-slavjanskoj pečati (Ref. M. M.) . . . . . . 149
Soobščenija imperatorskago pravoslavnago Palestinskago Obščestva 1905—8 (Ref. A. Jašek) . . . . . . 149
*Nikolaj Maḫrov,* Dečanskaja lětopis' (Ref. M. M.) . 151
Stranník 1908 (Ref. Dr. F. G.) . 151
Libri recentiores Russici . . . . 153
*N. V. Jastrebov,* Etjudy o Petrě Ḫel'čickom i ego vremeni (Ref. J. Vraštil) . . 194
Pěsn' Pěsnej Solomona[2] . . . . 197
*A. Glagolev,* Kommentarij na knigu Pěsn' pěsnej Solomona (Ref. Fr. Žák) . . . . . . 198
*Vladimir Anderson,* Staroobrjadčestvo i Sektanstvo (Ref. Dr. Leonini) . . . . . . . . . . . . . 199
Sbornik statej, posvjaščennyḫ Vasiliju Osipoviču Ključevskomu 200

## BULGARICA.

Hristijanska Misъl' 1908—9 . 160

## SERBICA.

Istočnik 1908 . 160

## CROATICA.

Vrhbosna 1908 (Ref. Dr. K. Dočkal) . . . . . 28
*O. Radoslav Glavaš,* Život Isusa Krsta (Ref. Dr. K. Dočkal) 78
*O. Stjepan Nauč. Ivančić,* Povjesne crte o samostanskom III. redu sv. O. Franje po Dalmaciji, Kvarneru i Istri i poraba glagolice u istoj redodržavi (Ref. Dr. K. Dočkal) 78
Katolički list 1908 (Ref. Dr. K. Dočkal) 79
Hrvatska Straža 1909—1910 . . . . 200
Katolički List 1909 (Ref. M. Srša) . 202

## PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

De synodis orthodoxis iassiensi (1642) atque hierosolymitana (1672) earumque valore symbolico (A. Palmieri) . 30
De processione Spiritus Sancti quaenam fuerit antiquissimae Ecclesiae atque imprimis S. Athanasii episcopi Alexandrini doctrina (Dr. P. Sinthern) . 81
De sacramento poenitentiae (Ad. Špaldák) . 161; 203

## EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

*Karl Konrad,* Die russischen Sekten (Ref. O. Židek) 60
Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος (Ref. E. Goudal) . . . . . . . . 60
*N. Marini,* L' Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa Greca orthodossa dissidente (Ref. M. Jugie) . 128
*J. Bricout,* La Vérité du Catholicisme . . . . . . 128
*Henry N. Oxenham,* Le principè des Développements Théologiques . . . . . . . . . 128
*H. Ligeard,* La Théologie Scolastique et la Transcendance du Surnaturel (Ref. O. Židek) . . . . . . . . 128
*Nicola Franco,* La difesa del Cristianesimo per l' unione delle chiese (Ref. Dr. Leonini) . . . 129
Echos d' Orient (Ref. J. Séville) . 130
Études 1909 (Ref. O. Židek) . . . . 131
*Fr. W. Foerster,* Autorität und Freiheit . . 184
*Albert von Ruville,* Das Zeichen des echten Ringes . . . 187
Revue internationale de Thélogie 1909 1910 (Ref. O. Židek) . . 189
*A. de Poulpiquet O. P.,* La Notion de catholicité . . . 252
*J. Ruinaut,* Le schisme de Photius (Ref. Dr. Leonini) 252

*Ch. Guignebert,* La primauté de Pierre et la venue de Pierre a Rome . . . . . . . . . 253
*Hugo Koch,* Cyprian und der römische Primat . 253
Bessarione (Ref. S. Salaville) 253

## MISCELLANEA.

Constantinopolitani orthodoxi patriarchatus status exeunte anno 1908—1909 (Ref. Ezechiel Montmasson, Aug. ab As.) . 62
Leges Academiae Velehradensis . . . . . . 135
De cognitione mutua theologorum Orientalium et Occidentalium . . . . . . 138
Scriptoribus et editoribus librorum . 138

# Slavorum litterae theologicae.

## Conspectus operum recentium et Commentationes irenicae.

Dirigentibus

Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae
E. Matzel, Chyroviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal, Zagrabiae.

Annus VI. (1910) Pragae Bohemorum. Nr. I.

## BOHEMICA.

*J. V. Šimák:* **Zpovědní seznamy arcidioecese pražské (Consignationes paschaliter poenitentium).** Z let 1671—1725. Podle originálů arcibiskupského archivu zpracoval Dr. J. V. Š. Dílu I. svazek I. Boleslavsko a Kouřimsko. — V Praze 1909. Nákladem historického spolku v Praze.

Cum Ferdinandus III. in Bohemia catholicismum extrinsecus restituisset, multi, qui in conversis numerabantur, potius metu quam sinceritate animi nomina dederant ac plures etiam, postquam collegium ad convertendos institutum discessit, ad ea, quae prius secuti erant, reverterunt. Leopoldo I. regnante cum clementius in eiusmodi homines animadverteretur ac maxime „missionibus" quae dicuntur conciliare eorum animos tentaretur, modus reperiendi eos, qui ecclesiae catholicae resistere pergerent facillimus erat neglectae confessionis paschalis cognitio. Quapropter coloni quotannis a magistratibus civitatum scedulam accipiebant, in qua nomen scriptum erat, quam, cum confiterentur, sacerdoti redderent. Quae testimonia a parocho collecta describebantur ad modum indicis, atque per vicarium consistorio Pragensi mittebantur, ubi secundum regiones seu districtus in libro peculiari inscribebantur. Indici praeter conversos ascribebantur a parocho eorumque nomina, qui confessi non erant; qui vel „negligentes" vel „de haeresi suspecti" appellabantur.

Hac ratione „Consignationes paschaliter poenitentium" ortae sunt, quarum quinquaginta duae in archio archiepiscopali Pragensi conservatae sunt eaeque ex annis 1671—1725 (pestilentiae anni 1679 et 1680 desunt).

Quam materiam ingentem Š. effingit in opere, cuius t. I. fasc. I. in manu tenemus. Ex quo volumine iam apparet, quo consilio procedere ipsi placuerit. Cum tabulae archivi secundum annos ordinatae sint, quo fiat, ut districtus, vicariatus, parochiae, plurima nomina singulis annis repetantur, Š. topographice singulis districtibus, singulis vicariatibus, parochiis quaecumque eo pertinerent adscripsit, quo pacto nihil repeti necesse erat et numeri ac nomina in uno conspectu tabulisque poni potuerunt.

Duo districtus hic fasciculus complectitur: Boleslaviensem et Kouřimensem. Utraque pars in quinque capita dividitur, quarum primum exhibet indicem vicariatuum, parochiarum, ecclesiarum filialium litterarum ordine, alterum nomina parochorum, nomina neglegentium, haereticorum, conversorum, tertium numeros poenitentium, non poenitentium, haereticorum, conversorum in singulis parochiis, annorum ordine, quartum conspectum praebendarum.

Exempli causa affero: I. pars: Vicariatus. Ad vicariatum Mlado-Boleslaviensem pertinebant hae parochiae et beneficia.

Beneficia 1. Bakov, 2. Biela. Parochiae incorporatae Boseň. Ecclesiae filiales Klášter, Studenka, Čistá, Kadlín etc.

II. pars: Parochiae. Boseň 1687 fil. spectans ad par. in Bakov; ab a 1724 parochia.

Filial. Solec.

Parochi 1688 Joan. Lud. Kubin, 1696 Fr. Joan. Millenhof, 1711 Georg. Zeno Fiala, 1712 Henr. Fr. Jos. Czirnig.

Negligentes: 1692 Georgius Blekta ex Dobranda et Dorothea ex Žantov. 1693 non nominatus 1.

Negl. suspecti: 1694 Joan. Čapek, Venc. Mazauch, Begczinenses rustici. Joan. Kameník Lidkovensis, Joan. Vojta Soletzensis, Venc. Hnilička Bosnensis; sic etiam Venc. Homolka cum ux.

Haer. suspecti: 1694 Joan. Čapek Begczinensis, Venc. Hnilička Bosnensis.

III. cap. Numeri poenitentium, neglegentium, haereticorum, conversorum.

Řepín: 1671: p. 443, n. 119, h. 16; 1672: p. 391, n. 143; 1673: p. 553, n. 119, h. 27; 1674: p. 664, n. 115, h. 19; 1675: p. 649, n. 59, h. 23, c. 1; 1676: p. 602, n. 27, h. 24.

Cum ex capite IV et V quae exemplis illustrari necesse non est, appareat, quomodo a. 1671—1725 in Bohemia pastorum munia expleta sint, c. II. et III. maximi momenti sunt ad res eius temporis religionem spectantes iudicandas, ad numeros catholicorum et evangelicorum utcumque colligendos, ad incolarum Bohemiae numerum eiusque incrementa cognoscenda.

Opus hoc etsi incohatum tantum sit, maximi pretii esse vel ex hac eius parte intellegitur; quippe sine eo — ut quid ad topographica et genealogica studia conferat taceam — historia „reformationis catholicae" quae dicitur imperfecta maneret. Prof. Dr. *Lubomír Petr.*

Dr. *Josef Novotný:* **Spiritismus zdokonalením křesťanství? Spiritismus christianismi perfectio?** Reginae-Gradecii. 1909. Pag. 259. Pret. 2·60 Cor.

*N.*, ut ipse in prooemio dicit, motus est ad studium spiritismi duobus alumnis theologici seminarii, ubi moralem tradit, spiritismi studio theologiam aspernatis. Fructus laboris sui publicavit prius in: Časopis kat. duchovenstva, an. 1906, 1907, 1908, hoc opere eadem paulo mu-

tata refert. Adhibitis compluribus operibus spiritismum tum defendentibus tum refutantibus intendit plus, quam titulus libri dicit, nempe plenam imaginem spiritismi eiusque relationem ad religionem christianam tradere; utrumque ipsi optime contigit. In prima parte historiam spiritismi et spiritismum ipsum describit (pg. 7—108); in secunda de causa manifestationum eius quaerit (109—176), et in tertia de doctrina ipsius disputat (176—259). Quae his continentur, sunt:

I. Spiritismus novus originem sumit in America et inde in Europam propagatur. Necessaria persona est „medium“, quod certa capacitate praeditum sit necesse est. Conventicula spiritistarum et eorum regulae describuntur. Secundum manifestationes spirituum distinguuntur media; quaedam celeberrima dein referuntur. Res, quae occurrunt, secundum ordinem a pluribus auctoribus traditum sunt: supellex pulsatur, movetur, pendet, penetratur, quae absunt afferuntur; visa, audita, musica, scriptura, etiam per notas telegraphi, picturae exhibentur; spiritus loquuntur per media lingua medio ignota, de rebus medio ignotis; visiones, [clara intuitio], et materializationes spirituum, photographiae transcendentales, visibilia membra et visibiles totae personae spirituum. Dein *N.* spiritismum modernum esse idem atque antiquam necromantiam et magiam gentilem dicit, quarum exempla adducit; quibus cum spiritismo comparatis postremo de spiritismo apud gentiles nationes nostri temporis loquitur et concludit: „Spiritismus novus ex hac parte nil novi est, sed est re vera propria necromantia et magia novo velo vestita, spiritismus ex hac parte est potius renovatio paganismi quam perfectio christianismi“ (pg. 109).

II. Ut ex exemplis adductis patet, fraus et dolus in spiritismo plurimum valet. Et transcendentales photographiae fraus esse dicitur (120). „Immo nec est celebrius medium, quod non sit in fraude et dolo deprehensum“ (pg. 122). „Res autem, quae a viris doctis, qui prius increduli fuerant et omnes res supernaturales negaverant et omnes modos, quas ratio humana invenire potest, quibus fraudem praecaveat adhibuerunt, ut certae agnitae sunt, eas omnes pro fraude et dolo simpliciter habere certe non licet“ (pg. 135). — Pariter theoria hallucinationis (137), hypnotismi (141) theoria de vi mechanica musculorum, de tremore nervorum (144), vis electrica (pg. 146), fluidum speciale (pg. 149), vis vitalis („Od“ psychicum pg. 152), magica vis sive physica sive psychica non sufficit ad explicandas omnes illas res, psychicas et physicas, praecipue difficiliores. — Item theoria de quarta dimensione reicienda est (158). Et causa praeternaturalis? „Fieri quidem potest, ut mortui conspiciantur, sed id rarissimum habendum est et quod non contingat nisi rei alicuius causa“ (pg. 162). Quod si teneamus certe negandum est id fieri in spiritismo. A quo enim fieret? A spiritu bono? „Actio quam angelus exercet, procedit a Deo sicut a primo principio, cuius motu et auctoritate angeli operantur et in Deum reducitur sicut in ultimum finem.“ (S. Thomas, S. Th. I. q. 112 a 1). Quapropter abest a spiritismo (pg. 163). A spiritu malo? Vim ad omnes illas res efficiendas habent. Et quid re ipsa? „Nolumus inquit *N.* affirmare omnes res spiritisticas esse effectus mali spiritus. Si autem

dicunt spiritistae res multas evenisse, quae vi naturali effici non possint, ponimus falsum non esse eas omnino fieri non posse; si autem revera evenerunt, non sunt opus spiritus boni sed a spiritu malo efficiuntur et spiritismus ea de causa inhonestus est (pg. 175).

III. Placita spiritistarum de Deo sunt eadem ac deistarum et pantheistarum, specialis est eorum doctrina de angelologia, anthropologia, de mundo spirituum de vita post mortem in ulteriore progressu consistente, quam cum poenis aeternis coniungi non posse apparet (176—193). Contra doctrinam christianam Iesum Christum blasphemantes pro medio habent: totum opus redemptionis ponunt in doctrina et exemplo redemptoris. Quilibet debet se ipsum convertere a malo ad bonum quare nec auxiliis gratiae, nec sacrificio aut sacramentis indiget (pg. 204). Baptismus habetur pro signo acceptae doctrinae christianae, paenitentiae tribuitur vis solum ut publicae confessioni delictorum, sacra communio putatur esse solum signum externum hominis coniuncti fluidico quodam modo cum Deo (pg. 204—210). Ecclesiam catholicam dicunt defecisse a pura doctrina Christi et ideo esse reiciendam (210—212). Item reiciendam esse venerationem imaginum et sanctorum. Miracula Christi (213—219) nihil esse nisi res spiritisticas. Aeternitatem poenarum interpretantur vehementem dolorem, vehementem paenitentiam, qua spiritus in perfectiones procedunt (pg. 219—233). Antiquos, iam diu damnatos errores renovari manifestum est (233—235). Quodsi mores consideremus, a spiritismo non est exspectandum auxilium ad formandos lapsae humanitatis more, praesertim cum suppeditet et doctrina de semper necessario progressu etiam post mortem futuro, negatio aeternitatis poenarum et negatio ordinis supernaturalis, doctrina de reincarnatione, negatio libertatis humanae excludat quidquid nos ad honestatem colendam movere possit (pg. 235—244); tali doctrina ductum hominem facile vitae taedebit. Nec ordini sociali consulitur; nam spiritismi programma est socialistico-democraticum, revolutionalisticum (247—251). Ex quibus omnibus apparet quid spiritismus vere sit, quam perniciosus, quam turpis.

Ex toto opere apparet studium docti scriptoris ut clare totam difficilem, in pluribus incertam et dubiam doctrinam tradat. Respicit semper etiam proprias suae patriae condiciones, adducit varias auctoritates et plurimis exemplis tenet lectorem usque ad finem. Ideoque omnibus, maxime vero iis, quibus cum spiritistis agendum, commendandum est. — Quodsi contingat, ut denuo res edatur haec adnotanda esse nobis videntur. Adiungendae sunt utilitatis causa decisiones Ecclesiae, quae quidem ad spiritismum applicari possint, item decreta de lectione librorum prohibitorum et de poenis contra aliter agentes, item aliquae saltem practicae regulae de tractandis spiritistis. Utilis erit maior distinctio inter magnetismum, hypnotismum, somnambulismum et spiritismum magni momenti in hac re est etiam opus Dr. Walter, Aberglaube und Seelsorge, Paderborn 1904, quod plura nova affert, quod ut et in nostram linguam conversum edatur optandum est.

Dr. *Al. Kudrnovský.*

Dr. *Jan Hejčl*, **Do města Davidova z města Eliščina. [De Reginae Hradecio in urbem Davidis.]** Hradec Králové. Melichar B. 1909. I. p. 176. 3·60 c.

*H.* studia biblica faciens in École biblique, cum eius professoribus studii causa aliquot excursiones per Palaestinam, Syriam et Sinai suscepit. Quapropter opus eius, quo peregrinationem in Terram Sanctam describit, quamquam populariter concinnatum est, tamen multa quae ad doctrinam pertinent peritiae et observationi scriptoris debet. Suavi modo describitur iter e Bohemia susceptum ad litora Adriae, per mare mediterraneum ad Alexandriam et Cairo in Aegypto, dein ad finem sui itineris Palaestinam eiusque cor Hierosolymam. Claris imaginibus ornatur liber laudatus, quem omnibus melioris cognitionis locorum sacrorum studiosis commendamus. *Ad. Jašek.*

*Ed. Šittler*, **O církevním umění a péči o jeho památky (De arte sacra eiusque monumentorum cura).** Occasione V. congressus catholicorum Boëmorum Reginae-Hradecii die 31. Augusti 1909 in sectione cleri expositum. V Praze 1909. Pg. 24.

Tractatus hic opportunissimo tempore est editus. Ubique de necessitate artis „popularisandae" agitur. Ecclesia, quae artem ab incunabulis iam sociam sibi asciverat, in sublevandis ac colendis animis fidelium ut nulla alia unquam societas hanc tesseram nunc modernam semper prosequitur. Necessarium igitur est cleri, cui nonnunquam opera artis sacrae curanda committuntur, ad artem sacram relationem delineari. Quod *Š.* modo praeciso atque opportuno pietate erga artem ductus primum viva voce, nunc scripto laudabilissime fecit.

Ex intentione provinc. synod. Prag. a. a. 1860 hortatur clerum ad strenuum studium archaeologiae sacrae, quae non solum maximo emolumento, sed et amoenissimae recreationi homini erudito inter negotia inservit. Fundamenta solida ad scientiam artis sacrae colendam poneret specialis cathedra archaeologiae christianae in quavis facultate theologica erigenda, quae adhuc pium desiderium remanet. Egregium centrum, a quo omnis cultura artis sacrae iam nunc procedere potest, in Boëmia per decennia iam exsistit, — est Academia christiana Pragae. Inde non solum eruditio, sed etiam practica ac perfecta consilia artificum quoad restauranda et comparanda opera artis sacrae acquiri possunt. Utinam institutum hoc auxilio et fervore cleri refloresceat!

Etenim ars sacra est, quae remotissimis quoque vicis materiam apologiae christianismi vivam praebet. Oportet igitur, antiquorum temporum opera artificiosa conservari, prout intentio Ecclesiae etiam quoad monumenta non christiana semper erat, — ne ex ignorantia novis nonnunquam omni pretio carentibus substituantur. Status ipse incumbit huic studio per institutum quod vocatur „Commissio centralis" conservandorum ac restaurandorum artis monumentorum Viennensis, cuius principia in exsequendo hoc officio *Š.* tangit propriis sententiis summi momenti attentionem lectoris novitate allicientibus. Permulta consilia et propositiones magni valoris insertae sunt tractatui huic, quae si observarentur, et ars sacra Bohemica et fons eius Academia christiana vigeret.

Tenor libelli summopere opportunus et idoneus est, prout clero in cura animarum degenti destinatus est. Labores quos scriptor praecipue in conscribendis monumentis artis sacrae diligentissime subiit et conspectus in archaeologia latissimus possibile effecerunt, ut proferrentur, quae ex parte cleri in hac re desideranda essent, eaque in locum angustissimum aptissime congesta reperirentur. *Fr. Fau.*

# POLONICA.

**„Przegląd powszechny.“** 1909. tom. CI.—CIV

Ks. *Urban Jan* T. J. Włodzimierz Sołowiew i biskup Strossmayer. Tom. CI. Nr. 302. pag. 159—171.

*U.*, innixus Sołov'evii epistulis ad episcopum Strossmayer et canonicum Franciscum Rački, praesidem Academiae doctrinarum Zagrabiensis missis, et anno 1908 in primo tomo operum Sołov'evii Petropoli ab E. Radlov in lucem editis, inquirit in commercii Vladimiri Sołov'ev cum cels. Eppo momentum simulque concordem utriusque sententiam de Ecclesiarum unione proponit.

Epistularum commercium incohavit Strossmayer, cui die Immaculatae Conceptionis B. V. M. anni 1885 respondit Sołov'ev se abundare gaudio, quod talem ducem de Ecclesia Slavorumque rebus optime meritum invenerit, et ab eo invitatus ut discutiendae rei causa Djakovam veniret libenter promisit.

Anno proximo Solov'ev profectus est primum Djakovam ibique per aliquot hebdomadas Strossmayeri commercio usus est, dein Zagrabiam, unde mense Septembri eiusdem anni ad eppum Strossmayer „Memoriale“ Gallico idiomate epistulae forma compositum transmisit ubi accurate et concinne sententiam de schismate ecclesiastico et de condicionibus removendi schismatis exponit. Duas tractat quaestiones philosophus Rossiacus.

Primum quidem discrimen faciendum esse, ait, inter opiniones privatas theologorum Russorum et fidem ipsam Ecclesiae orientalis. Omnia orientalis Ecclesiae dogmata vere catholica esse dicit, opiniones vero catholicae veritati repugnantes ne iuxta mentem quidem orientalis Ecclesiae dogmata esse affirmat. Unde effici ecclesiam Russiacam privatis opinionibus, non fidei articulis ab Ecclesia Romana differe.

Deinde discrimen esse inter auctoritatem Summi Pontificis, quatenus sit pastor et magister infallibilis Ecclesiae universalis, et potestatem regiminis eius, quantum patriarchae Occidentalis officium teneat. Ecclesiam Christi esse Romanam, non vero Latinam, ideoque autonomiam Ecclesiae orientalis quoad hierarchicam et liturgicam constitutionem esse retinendam; imprimis hegemoniam iurisdictionis patriarchae orthodoxi tangendam esse negat, cum etiam hoc modo Ecclesia Romana maneat „mater et magistra omnium ecclesiarum“.

Alteri huic condicioni Sołov'ev ipse noluit nimis insistere, sed eam sapientiae Ecclesiae Romanae, utpote divinam assistentiam habenti committere maluit.

Memoriale hoc consentiente Sołov'evio misit Strossmayer ad Leonem XIII. et eius cardinalem-secretarium Rampolla et ad nuntium apostolicum Vanutelli (1886), rogans, ut Sua Sanctitas occasione iubilaei (a. 1888) encyclicas ad Orientem litteras ederet, quibus, si unio fieret ritum autonomiamque servatum iri declararet.

Praeterea Strossmayer et Sołov'ev eodem studio Slavorum gentis auctoritatem opesque augendi ducebantur: argumento est, quod uterque ecclesiarum unionem necessariam condicionem esse existimabat, si genti Slavicae nova cultus christiani aetas inauguranda atque proprium sublime et amplissimum munus explendum esset.

Strossmayer et Sołov'ev Romam simul petere voluerunt, at impediti consilium suum exsequi non potuerunt. Strossmayer mense Aprili 1888, Sołov'ev demum exeunte anno Romam venere. Ex itinere hoc redux iterum ultimumque Djakovam petiit, ubi „dimidium animae suae“ (ut post primum iter ad eppum Strossmayer scripserat) ibidem relictum rursus inveniret.

Abhinc studium unionis Sołov'evii decrescebat, licet usque ad finem vitae catholicam fidem aperte professus sit. Publice vero Ecclesiae Romanae nomen non dedit; id enim sibi esse necessarium non putabat, cum spiritualiter et mystice universali Ecclesiae se unitum esse sciret, et schisma pro peccato quasi personali hierarchiae orientalis haberet.

Infaustus exitus conatuum Sołov'evii, imprimus vero acris cum censura Rossiaca lucta itemque varii eiusdem morbi pessimismum quemdam apud philosophum nostrum procrearunt. Desiit iam credere, ecclesiarum unionem esse facilem atque brevi obtinendam, immo in libro „Tria colloquia“ unionem usque ad antichristi tempora distulit.

Placet pauca adnotare ad ea, quae a P. Urban proposita sunt. Non est dubium, quin iter Romanum magni fuerit momenti, at nihil hac de re constat. In commentatione cuiusdam scriptoris, litteris K. J. K. in Nr. 60 „Świat słowiański“ (decembris 1909) subsignata, Sołov'ev primus episcopus catholicus Russorum nominatur; fertur enim Sołov'ev Romae crypto-episcopus esse ordinatus. — Desiderantur maxime documenta, quae de itinere Romano novam afferant lucem: sine eiusmodi documentis fieri non potest, ut certi quicquam de Sołov'evii eiusque apostolatu statui queat.

Ks. *Józef Sas* T. J. Czy W. Książę Konstanty umarł katolikiem? (Constantinus dux estne mortuus ut catholicus?) Nr. 302. p. 218—230.

*S.* invenit in Actis Provinciae Galicianae Societatis Iesu X. nr. 171 a. epistulam ab uxore Magni Ducis Constantii, qui post mortem (a. 1826) Alexandri I., imperatoris Russiae, ob matrimonium cum ducissa Łowicka catholica initum successione cedere debuit, ad comitem Iliński anno 1831 datam, ex qua certo apparet Magnum Ducem catholicismo ante mortem nomen dedisse.

Ks. *Leonard Lipke* T. J. Dwa ideały cywilizacyi chrześcijańskiej (Duae species cultus christiani). Tom. CI. Nr. 303. pag. 333—347.

Iam anno elapso (Przegląd powszechny. Nr. 294, 295, 296) edidit *L.* seriem articulorum, qui inscribuntur „Prophetae et spes messianica in Israel“. E prophetiis, quae ad futurum progressum generis humani referuntur, apparet regnum Messiae fore regnum veritatis et gratiae, regnum egregia cultura florens, et quod nationes felicitate ac pace sit donaturum. Has res ad effectum perductas esse in christiano cultu demonstratur: licet enim vaticinia de regno Messianico eschatologice explicentur, tamen dubium esse nequit, quin etiam ad regnum Dei temporale, prouti historico progressu ad aeternam praeparat theocratiam, referenda sint. In specie *L.* refutat diserte doctrinam chiliasmi atque Millenarium Messianicum, de quo antiquitas christiana somniabat, ad mentem S. Augustini propagatam per universum orbem terrarum Ecclesiam Christi intellegit. Liber S. Doctoris „de civitate Dei“ continet semina, ex quibus historiosophicam cognitionem mediae aetatis haurire possumus.

*Idem*: „Civitas Dei“ w epoce Karola W. („Civitas Dei“ aetate Caroli Magni). Tom. CII. Nr. 306. pag. 403-414. Tom. CIV. Nr. 310. pag. 30—43. Tom. CIV. Nr. 311. pag. 240 262.

Quomodo „Civitas Dei“ aetate Caroli Magni se repraesentet, *L.* fuse exponere intendit. Seriem articulorum de hac quaestione nondum absolvit, sed iam divinari fas est, excellens ab ipso praeparari opus, quod totam cultus christiani historiam ad nostra usque tempora complectatur.

Ks. *Ian Rostworowski* T. J. Objawienie i dogmat w teologii katolickiej a w teologii modernizmu. (De notione revelationis et dogmatis secundum theologiam catholicam et modernistarum commenta). Tom. CII. Nr. 306. pag. 356—380. Tom. CIII. Nr. 307. pag. S9—102.

Modernismi systema fundamentales notiones revelationis et dogmatis evertit. In primo articulo *R.* ostendit, qua ratione notio revelationis et dogmatis theologiae catholicae propria differat a modernistarum opinionibus, in altero articulo ad refutandum modernismum dogmaticum methodo non tam speculativa, quam historica et psychologica aggreditur. Quae commentatio nondum est absoluta.

Ks. *Karol Feliś* T. J. Geneza kultu relikwii św. (De origine cultus SS. Reliquiarum). Tom. CIII. Nr. 309. pag. 350—368. Tom. CIV. Nr. 310. pag. 80 95.

Protestantes cultum SS. Reliquiarum, prout in Ecclesia catholica viget, superstitionem paganam vocare non dubitant. *F.* summa cum diligentia

permulta antiquitatis documenta christianae collegit, quibus falso id dici dilucide probatur. Conclusiones suas hoc modo ipse proponit: „Cultus corporum SS. Martyrum est cultus christianismi proprius, qui neque ex pagano cultu heroum, neque ex pagano cultu mortuorum derivari potest. Opiniones, quibus hi cultus olim innitebantur, non transierunt ad christianismum, et rursus, cogitatio, quae apud christianos initium dedit cultui SS. Reliquiarum, paganis ignota erat. Ex analogia quarundam externarum utriusque cultus formarum colligere eas inter se origine cohaerere nequaquam licet, id quod verum est, etsi christianus cultus SS. Reliquiarum sine temporis intervallo cultum heroum secutus esset; uterque enim cultus diversis funditus principiis superstruitur. Analogia, quae exstat inter utrumque cultum satis humanorum affectuum et morum similitudine explicatur. Monumenta excelsorum procerum semper erant et erunt cara et honore digna apud posteros: id enim naturae humanae indoli magnopere congruit. Christiani hunc humanum omnino et generosum morem retinebant, at nova et perpulchra sententia induebant, colentes corpora Sanctorum ob eximiam eorum probitatem et virtutem, ob eorum innocentiam animi et amorem erga Deum Creatorem."

Ks. *Wiktor Wiecki* T. J. Ruch katolicki wśród Słoweńców (De actione catholica apud Slovenos). Tom. CIII. Nr. 308. Pag. 157—173.

Actio catholica Slovenorum nostrorum temporum delineatur, et tanquam exemplar ad imitandum proponitur. Ks. *Ernest Matzel* T. J.

*Minim*, **Sw. Stanisław „Traditor" czy Zdrajca?** (St. Stanislaus fueritne „traditor" an proditor?) Cracoviae 1908.

Studium hoc sat amplum per modum manuscripti editum est. Status quaestionis lectoribus „Litterarum" nostrarum iam notus est. Minim probare contendit, vocabulum traditoris non licere Polonice reddi vocabulo „zdrajca", cum latina vox varias admittat explicationes, et vox polonica demum postea ex idiomate germanico deprompta sit. Concludit „traditionis" nomine significari excommunicationem, quae proinde causa martyrii exstiterit. *M.* historicum et psychologicum quaestionis momentum non neglegit, sed philologicae interpretationi praecipuum locum dat.

## Libri recentiores polonici.

Bogdalski O. Fr. Min. Szkice z dziejów humanizmu w XV. stulecia. (Quaedam ad historiam humanismi saec. XV pertinentia). Kraków 1909 (pag. 158).

Gawlik, Mieczysław. Projekt unii rosyjsko-polskiej w drugiej połowie XVII. w. 8⁰. pag. 50. Leopoli 1909. (Conatus unionis russico-polonicae in descendente saeculo XVII.) e „Kwartalnik historyczny" 1909. pag. 78 ssq. editum.

Chłędowski Kazimierz. Rzym. Ludzie Odrodzenia. (Roma tempore classicismi renascentis.) 8⁰. pag. 615. Leopoli 1909.

Lutosławski Wincenty. Nieśmiertelność duszy i wolność woli. Listy do młodszego brata o metafizycznych zagadnieniach. (De immortalitate animae et voluntate libera: epistulae ad fratrem natu minorem de quaestionibus metaphysicis). 16⁰. pag. 287. Warszawa 1909.

Lutosławski Kaz Teorya ewolucyi w oświetleniu chrześcijańskiem. (De theoria evolutionis in luce christianismi. P. Wasmann S J.) pag. 19. Warszawa 1909.

Mohl Al. S. J. Ewolucya czy trwałość gatunków. (Utrum mutatio an stabilitas specierum admittenda sit.) Posnaniae 1909.

Pawlicki, prof. univ. Jagiell. Cracov. Socyologia. Wykłady. (Praelectiones academicae de sociologia). Kraków 1909.

Słowo Pisma Świętego podane do rozmyślania. Genesis-Księga rodzaju. (Meditationes de S. Scriptura. Genesis.) Per modum manuscripti. Zakopane.

Szukiewicz. O kremacyi czyli paleniu ciał po śmierci. Warszawa 1909. (De crematione corporum post mortem).

Szlagowski. Wiara w pojęciu katolickiem i modernistycznem. Konferencye Warszawa 1909. (Fides secundum notionem catholicam et modernistarum opinionem).

Turczyński Jul. Nasza Golgota. (Golgotha nostra: ex martyrologio Sibiriaco). Ed. II. 8⁰. pag. 194. Leopoli 1909.

Żmigrodzki, Mich. Dr. Totemizm. Praelectio habita in conventu historiae religionum Basilensi anno 1904. Leopoli. 8⁰. (pag. 13) 1909. *E. M.*

## RUTHENICA.

Dr. *Dyonis. Dorožynskij*, **Praznyčni kartyny hr. kat. Cerkvy.** Diło našoho spasenia predstavłene v praznykach cerkovnoho roku z dodatkom żytiepysej znamenytšych tvorciv našoho hr. kat. bohosłuženia. Z 14 mnohoćvitnymy ikonamy i čysłennymy kartynamy v teksti. Renskij Instytut vydavnyčyj dla religijnoi literatury v Kolonii. Lvov-Łypsk. 1908. P. 699 + IV. **(Imagines festivae ecclesiae graeco-catholicae** seu opus salutis nostrae in festis anni ecclesiastici repraesentatum cum biographiis celebriorum auctorum gr. cath. liturgiae. Cum 14 tabulis polychromis).

Quoad formam externam opus hoc est splendidissimum et sub hoc respectu apud nos unicum. Imagines sunt copiae ex celeberrimis originalibus in ecclesiis nostris et musaeis conservatis. In textu agitur de origine, dogmatica et liturgica ratione festorum Domini, Deiparae, Sanctorum. *O. V—yj.*

**Нива,** Nyva, 1908; praesunt Dr. Demetr. *Jaremko* et Onuphr. *Volanskyj* *). 8⁰, p. VIII + 775, 8 cor.

*Jos. Bocian*, Sv. Joan Zolotoustyj a naši časy. Pag. 4—7. (S. Ioan. Chrysostomus et nostra tempora, p. 4—7) virtutes Sancti praecipue temperantia, zelus, fides, caritas hominibus nostri temporis commendantur. De celebratione centenarii mortis eius multa inveniuntur in pp. 28, 94—5, 154—7, 159.

Dr. *Vas. Ščurat*. Sv. Joan Zolotoustyj na Rusy. (De s. Ioanne Chrysostomo apud Ruthenos, p. 136—141, 171—5). Alio loco Jos. Bocian commemorat quod huc pertinet; versas in Ruthenicum 20 homilias s. Chrysostomi in Matthaeum quae addita vita et introductione historica editae sunt Žovkva, 1904—7, LXI + 351; item fasciculum commentariorum Katoł. Schid.

*) A 1. XI. 1908, cf. Nyva p. 609—614, ubi programma novi directoris proponitur: „Nyva qualis esse debeat?"

(Žovkva, 1907), ubi alumni Rutheni „de idea sacerdotii in vita et scriptis s. Chrysostomi“, „de Chrysostomi arte dicendi“, „de Chrysostomi doctrina de ss. Eucharistia“ scripserunt (p. 317—8).

*On. Volanskyj,* Dorohoskaz do hramu nauky. (De duce in via ad doctrinae templum, p. 35—42), ubi multa methodologica et bibliographica proponuntur.

*Idem,* Zasadnyče vidnošenje pryrodopysnyh nauk do viry v Boha. (Quomodo disciplinae naturales ad fidem in Deum referantur, p. 97—103), ubi sententia Reinke doctissimi botanici et philosophi proponitur, scientiam religione non substitui, sed suppleri debere.

*Idem,* Polove pytanje zi stanovyšča t. z. naučnoï etyky i dogmatyky. (De quaestione sexuali apud doctores huius temporis, p. 106—110), ubi ostenditur temperantiam sexualem a materialistis, ut Forel, postulatam in materialistarum systemate absurdam esse.

*Idem,* Načerk hrystyjan'sko-katolyckoho s'vitohladu. (De ratione res mundi secundum christianam et catholicam doctrinam concipiendi, p. 128—136), ubi ostenditur, via experientiae et ratiocinii ad veram (obiectivam) mundi et Dei existentiam, atque ad religionem veram perveniendum esse, quae religio vi sua omnes vitae particularis et communis res penetrare debet.

*Idem,* Pro jeres' modernïzmu. (De modernismi haeresi, p. 161—171, 193—9).

*Idem,* Pro vidnošene štuky do religiï. (Quomodo ars referatur ad religionem, p. 200 4), ubi studia scholae litterariae Vindobonensis Gralbund laudantur et demonstratur ad artem religionem magnopere pertinere.

*Idem,* Pro fil'ologično istoryčnyj postup v biblijnyh naukah. (De philologico-historico in biblicis disciplinis progressu, p. 231—6).

*Idem,* Pro synoptyčnyj problem v evanhelijah. (De quaestione synoptica, p. 267 279).

*Idem,* Geneza evanhel'skyh tekstiv i istoryčnist' ïh faktiv. (De origine evangeliorum et historica veritate eorum, quae in evangeliis narrantur, p. 295—301, 339—342, 369—371, 402—7).

*Idem,* Pro pjatyknyžye Mojseja. (De pentateucho, p. 446—457, 499—510).

*Idem,* Encyklika Pija X. protyv modernïzmu a prof. Erhard. (De sententiis prof. Ehrhard de encyclica Pascendi, p. 514—9), ubi ad obiectiones Ehrhardi respondetur secundum J. Müller, professorem Oenipontanum.

*Myh. Dorockyj,* Fil'osofija i hrystyjan'stvo o narodnosty. (Quid philosophia et quid christiana religio statuat de nationalismo, p. 48—53, 77—82).

*Idem,* Z agrarnoho ruhu v Bel'gii. (De motu agrario apud Belgas catholicos, p. 82—6, 110—5).

*Idem,* Organïzacyja i zasady dobročynnosty v pervisnim hrystyjan'stvi. (Qua ratione ducti et quibus modis instructi beneficentiae dederint operam christiani antiqui, p. 301—5, 343—350).

*Idem,* Holos pryrody. (De testimonio naturae, p. 614—625, 713—5), ubi teleologica argumenta secundum Morawski philosophum Polonicum proponuntur.

*Iv. Perepełycia,* Nauka a hypoteza. (De scientia et hypothesi, p. 65—72).

*Iv. Savyckyj,* Rozumovi osnovy hrystyan'stva. (De christianismi fundamentis in mente positis, p. 175—180); refelluntur argumenta ex rebus, quae ad usum non videntur esse accommodatae (dysteleologiis) sumpta.

Dr. *Jos. Žuk,* Pojasnenja do novoho dekretu supružeskoho „Ne temere“. (Commentarii ad decretum „Ne temere“, p. 212—4, 244—8, 279—280).

Dr. *Vas. Ščurat,* Poezyja v proroka Isaïï. (De poesi apud Isaiam prophetam, p. 204—211, 237—243).

*Idem,* Iz studyj nad počaivskim Bohohlasnykom, (p. 359—368, 389—398, 427—441, 484—498), proponuntur nova de tempore originis et de auctoribus singulorum carminum in „počajivskyj Bohohłasnyk“ collectorum.

*Kost Kuryłło,* Deščo pro vyhovanje dïtyj. (De parvulis educandis, p. 457—471).

*Nic. Sadovskyj,* Synteza s'vitohljadiv. (De systematibus variis in philosophia, p 694—700, 741—6).

*Nic. Ščepaniuk,* Ščodenne sv. Pryčastye a sv. Otec' Pij X. (De Pio X. et communione quotidiana, p. 306—311, 372—5, 407—9).

*Idem,* Ne ubyj! (Ne occidas, p. 626 - 640); occasione occisi praesidis provinciae Galiciae doctrina catholica de occisione proponitur. Sententia eius excitavit controversias inter scriptores.

*O. Volanskyj,* Partyjne stanovyšče s'vjaščenyka. (De relatione sacerdotis et episcopi ad factiones politicas ukrainicam et palaeo-ruthenicam, p. 481 4, 687 691, 691 4).

*Idem,* Klerykaly i radykaly v našij presi. (De clericalismo et radicalismo apud Ruthenos, p. 756—764).

*Idem,* S'vjaščenyk z „Dïla“ majo holos! (De sacerdotibus Ruthen. liberalibus, p. 771—3).

*Idem,* Socyjalna akcyja ruskoho duhoven'stva. (De actione sociali cleri Ruthenici, p. 701 2).

*Idem,* Proekt vyborčoi reformy zi stanovyšča cerkovnyh i suspil'nyh interesiv. (De modo deputatos eligendi ecclesiae utili, p. 738—741).

*Idem,* Moskvofil'ski pohl'ady na katol. Cerkov. (De odio ecclesiae catholicae apud palaeo-ruthenicam (russophilam) factionem, p. 527 531).

Commemoranda sunt praeterea:

Mytropolyča propovid' pro ubijstvo, p. 285 7. (Oratio Excellentissimi Metropolitae occasione occisi praesidis provinciae habita, p. 285—7), quae in nationaliter radicalibus foliis non solum a laicis, sed etiam — proh dolor! — a nonnullis clericis reprobata est (p. 329 - 334, 350, 471 3).

Eiusdem metropolitae edictum, ne sacerdotes se immiscerent rebus politicis extra suam parochiam parocho proprio invito, insolenter et impudenter reprehensum est a liberalibus, non sine calumniis (ut Diło: p. 351—7, 547—566), quae calumniae a clero universo in consultationibus pastoralibus reprobatae sunt (p. VII et 657—661). Item episcopum Americanum (p. 545—7, 667—9) et Stanislaopolitanum (p. 542—4) russophili et liberales nationalistae agressi sunt, quia zelus catholicus episcoporum iis displicet.

Transitus Ruthenorum multorum ex ritu orientali in latinum excitavit animos ad causas huius eventus tristissimi quaerendas. *Jar Levyckyj* in articulo De korin' lycha? „Ubi radix mali“ (p. 321—9) culpam clero potissimum Ruthenorum assignat (cui zelum deesse). *Il. Simenovyč* autem Cy dijstno tam korin' lycha? „An revera ibi radix mali“ (p. 710—2, 752—6) culpam magistratibus et sacerdotibus Polonorum attribuit, qui politica sua et oeconomica vi perperam abutentes Ruthenos ad latinismum transire cogunt. Neque negandum est alterum rem acu tetigisse.

Religiosam partem clericalismi Na temu klerykalizmu (p. 257—266) et emigrationis in Americam Lehkovažena kvestyja (p. 289—295) attingit primus director Nyvae, *Jar. Levyckyj.*

E x  r e b u s  i n  a g e n d o  p o s i t i s agebatur de relatione parochi ad cooperatorem (p. 20—3, 87—8, 281—2, 522 - 7), de instituendis cantoribus ecclesiasticis (p. 23—6), de aedificatione templi Ruthenici in Terra Sancta (p. 157 8), de ieiunii disciplina (p. 215 6), de liturgia pro defunctis (p. 233—4), de modo reditus parochiales moderandi (p. 248 - 253), de ecclesiarum pulchritudine et munditie conservanda (p. 311—6), de modo doctrinam religiosam in gymnasiis inferioribus tradendi (p. 409—410), de modo schematismos cleri emendandi (p. 601—3), de agendis negotiis instituti pro mulieribus viduatis et prole orbata morte sacerdotis (p. 703 710).

*Pl. Filas,* Pryčynky do istoryï ruskoï Cerkvi v Kanadï. (Adnotationes ad historiam Ecclesiae Ruthenae in Canada, p. 747—752). Eodem pertinent multae epistulae ex America ad Nyvam missae (p. 60—3, 126 7, 160, 184—7, 376—380, 478, 538—40). Epistulam pastoralem episcopi Ruthenis in America missam v. p. 141—151.

Ex aliis quaestionibus commemorentur adnotationes de collegio Rutheno Romae (p. 641—2), de causis suspiciendi Ruthenos de schismate. De

sydyt' shizma? (p. 103-6, 180-3), de nomine unitorum, de calendario iuliano, de clerogamia; praeterea de certamine in Croatia de liturgia glagolitica (p. 95-6).

Ex libris ruthenicam artem ecclesiasticam tractantibus commemorantur in Nyva libri russiaci (conscripti a Ščerbakovskij et Siecynskij) et polonici (Mokłowski), ubi multa de templis ligneis in Ukraina et Galicia inveniuntur (p. 56—8).

Sumptibus Nyvae editur Bibliotheca Nyvae, quae hucusque 10 libellos continet. Libelli maxima ex parte sunt commentationes e Nyva seorsum expressae ut de poesi apud Isaiam (N. 4), studia de Bohohlasnyk (N. 5), commentarii ad decretum „Non temere" (N. 3), Sviencickyj de antiquitatibus ecclesiasticis (N. 9 ex 1909). Nonnulli tamen libelli eduntur solum extra Nyvam in Bibliotheca Nyvae ut *On. Volanskyj* de apologetica et sociali actione animarum pastoris Ruthenorum huius temporis (N. 8).

*O. V—yj.*

# RUSSICA.

Prof. *M. M. Tarěev,* **Основы Христіанства.** 1. Христосъ. 2. Евангеліе. 3. Христіанское міровоззрѣніе. 4. Христіанская свобода. **De fundamentis religionis christianae.** Tom. I. Christus, pag. 368, an. 1908, ed. 2.; Tom. II. Evangelium, p. 366, an. 1908, ed. 2.; Tom. III. Mundi consideratio christiana, p. 318, an. 1908, ed. 3.; Tom. IV. Libertas christiana, p. 421, an. 1908, ed. 2.

Licet non rara neque pauca systemata philosophiae christianae nostris temporibus lucem aspexerint, tamen hoc prof. Tarěev opus, vel potius haec opera, aliquid certe novi in hac re videntur exhibere. Clarus scriptor, academiae ecclesiasticae Moscoviensis professor, opera sua sive separatim edita, sive foliis periodicis inserta nunc in unum recolligens, ultimum studiorum suorum, postquam nempe quindecim annos undequaque suum systema philosophicum meditatus est, prelo subicere decrevit. In prooemio tom. I[i] scriptor protestatur se non habere opus suum pro systemate valorem obiectivum vel confessionalem habente, sed pro religionis christianae privata comprehensione (личное понимание христіанства. личное религіозное міровоззрѣніе. pag. 6). Totum opus in quattuor partes dividit, quarum unaquaeque aliquem universalem et integralem totius systematis aspectum exhibet.

Tom. I. Haec operis pars de ipso Christo tanquam persona theandrica est, ideoque Christus" inscribitur. Scriptor exorditur a descriptione exinanitionis seu humiliationis Christi, quae quidem in epistola S. Pauli ad Philipp. 2, 5—11 exhibetur. Haec idea exinanitionis — *κένωσις* — est totius systematis philosophici lapis angularis, circa quem omnia alia adstruuntur. Atque in eo consistit, quod Christus cum esset Deus, gloriam suam divinam momento incarnationis pro se non appetivit (не отнесся своекорыстно къ своей божественной славѣ, p. 38), sed semet ipsum exinanivit forma servili in terris assumpta (pp. 7—38). Sequitur historica disquisitio, quomodo sancti patres de humilitate Christi docuerint. Patres primorum trium saeculorum (p. 39—50). Patres saec. IV[i] (p. 50—60). Patres saec. V[i]. Comparatur doctrina

S. Cyrilli Alexandrini cum systemate christologico Theodori Mopsuestoni (p. 60—105). Christologia Theodoreti ep. Cyrensis (p. 105—123). Doctrina S. Leonis papae (123—125), S. Sophronii Hierosolymitani (125—128), S. Agathonis papae (128—131), S. Ioannis Damasceni (131—134). Scriptor concludit omnes quos supra nominavi patres de Christi exinanitione varias opiniones exhibere atque in illis tantum, quae dogma ecclesiasticum respiciunt, inter se convenire. Quare, ut aliquid positivi ac certi assequamur debemus aliquam speciem sine iis nostroque iudicio statuere, qualis est species seu imago Christi, hominis naturaliter se filium Dei esse agnoscentis et potestate miracula patrandi praediti (религіозно-историческій образъ Христа. какъ образъ человѣка съ природнымъ богосыновнимъ самосознаніемъ и съ богодарованною чудотворною силою, pp. 133—134). Deinde Tarĕev ad philosophiam historiae evangelicae proprie dictam transit. Ac primum in introductione declarat se in explicatione evangelii non methodum mere-historicam vel archaeologicam, vel rationalisticam sequi, sed potius momentum psychologicum evangelii exquirere velle, ut Christi persona magis elucescat, nempe interna eius imago, de qua tantum evangelistae re vera loquuntur (p. 135—151). E tota historia evangelica quaedam capita eligit et in illis moratur. Ita contemplatur deinceps Christi nativitatem tanquam revelationem vitae divinae in ipso (pp. 152—161), Christi conscientiam sui ipsius (самосознаніе). seu cognitionem sui ipsius, Christum parvulum in templo, Christum evangelii praedicatorem, Christum-hominem peccati expertem etc. . (161—178); baptismum Christi ab Ioanne (178—187); tentationem Christi a diabolo in deserto (187—197); doctrinam et opera Christi (198—368).

Tom. II. In tomo secundo agitur de ipsa evangelii doctrina, unde eius titulus: „Evangelium". Introductio (p. 1—32): describuntur methodi diversae theologiae biblicae et systema scriptoris adumbratur. Hic de evangelio tractaturus exordium ab Antiquo Foedere sumit eo consilio, ut ita melius religio christiana eiusque indoles ut religionis iudaicae „antitheseos" definiatur.

Deinde exponuntur illa, quae a *T.* fundamenta evangelii in antiquo testamento sita (ветхозавѣтная основа евангелія) habentur. Haec sunt: monotheismus iudaicus, tractatur eius indoles et proprietas (33—48). Testamentum antiquum; exponitur eius indoles et essentia, et quid fuerit populo iudaico (p. 48—64). Sacerdotium antiqui testamenti: quaeritur in quo sita fuerit eius essentia ratione habita sacrificii et peccati (64—74). Theocratia (74—81). Prophetae, quorum indoles et momentum in praedicanda religione consideratur (81—109). Nomismus iudaicus; agitur de eius nexu cum doctrina et modo agendi prophetarum, eius doctrina propria, natura iuridica, tractantur quaestiones de novissimis, expectatio Messiae (109—156).

Conclusio: antiquum testamentum evangelio fundamenta praebet orationis seu modi dicendi et coloris mystici (156—164).

Iamque scriptor transit ad evangelium ipsum. Prima pars inscribitur „Pater caelestis": describitur Deus-Pater Novi Testamenti, eius

paternitas qua pater est hominum, in eo maxime posita quod est Deus amoris, Deus universalis (pp. 165—198).

In parte secunda agitur de „iustitia spirituali“ (духовная праведность), nempe de statu iustitiae secundum doctrinam Christi. Haec in eo posita est, quod nullum vestigium iuridici seu forensis in se continet, habet aliquid prorsus absoluti, ita ut universa — pro latissimo ambitu — neque exerceri possit, neque ad vitam socialem accommodata sit (p. 199—243).

Sequitur: „Vita aeterna“, quae est vita Dei non in duratione temporis indefinita posita, sed in momento aeternitatis. Ut eam adipiscatur homo oportet abneget semetipsum, spernat bona istius mundi (p. 244—288). In proximo capite scriptor exponit philosophiam soteriologiae christianae: Christus ut Salvator (reduplicative), eius munus, diversa nomina, passio, resurrectio etc. (289—324). Denique describitur „Regnum Dei“, nempe quid sit regnum Dei, ecclesia et eius finis (eschatologia) (325—359). Appendix: Interpretatio: Ioann. VIII, 44, X, 12—13 et Luc. XVI, 1—13 (361—366).

Tom. III. continet ea, quae scriptor de rebus humanis statuit, disserit enim de fine et ratione vitae, cuius vim et evolutionem historicam exemplo tentationis Christi explicare conatur. In introductione radicem antinomiae, quae in vita nostra conspicitur, cum et caelestia petimus et felicitatem voluptatemque terrenam desideramus ostendit (9—17). Inde in capite primo eudaemonismus reicitur (17—26); in capite secundo opinio naturalis perfectionis refellitur: homo omnino non est potens perfectionis consequendae, sed potest tantummodo paulatim sese meliorem reddere (26—45). Hic progressus (совершенствованіе) aerumnas vitae aut dolores non excludit, immo perfectio spiritualis alia via, nisi qua demittimur dignitatisque iacturam facimus, non obtinetur (45—59). Finis vitae non est perfectio nostra hic in terris attingenda, sed gloria Dei, quae in humilitate et nullitate nostra perficitur (59—70).

Quapropter aerumnae immeritae (hominum iustorum) sunt augmentum gloriae divinae (70—78). Conscientia qua homo intellegit se nihil posse adducitur ad vitam spiritualem (78—84). Haec vita spiritualis, quam per Christum accepimus, est eius opus in nobis. Initium eius oritur in nobis ontologice a baptismate, perficitur autem paenitentia, quae est vera *μετάνοια εἰς ζωήν*, vita nova, prorsus mutata (84—99). Haec vita precibus alitur (93—96), confirmatur ieiunio, quod neque meritum est neque virtus, sed necessaria contra impetum carnis custodia (96—101). Contra vero consuetudines et mores mundi habemus alia arma: humiliationem voluntariam (юродство) (101—107). Vita vera est caritas, quae primo a Deo procedit, nam quia Deus adamavit nos, caritatem habemus; caritas vero fide perficitur (107—119). Quare fides non est contemplatio quaedam tantum, sed sicuti ad caritatem via paratur caritate sui, ita fiducia hominis erga se ipsum postea in fiduciam erga Deum mutatur (119—125). „Spes est fides, quae tentationes superavit“ (125—127). Porro vivere vitam veram christianus nisi in ecclesia non potest, licet singulorum vita christiana latius pateat, quam

ecclesia nec ab ecclesia mensuretur (128—131). Gratia totus mundus ipsaque natura ab ecclesia sanctificatur. Gratia non est naturae contraria, sed elevat et sanctificat eam (128—136). Tamen ecclesia ad culturam christianam efformandam non est apta, eius munus in eo est, ut non sit de hoc mundo et a potestate temporali plane separata (136—143). Id quod modo omnino peculiari distinguit religionem christianam a qualibet alia est quod mortuos ad vitam redituros esse docet quacum re regni caelestis imago conectitur (143—156).

Post haec scriptor de Christi tentatione exponit, prout ad historiam populorum, qui ante Christum fuerunt, atque ad historiam ecclesiae christianae refertur. In introductione dicit se velle totam historiam mundi lumine doctrinae christianae illustrare. Porro tota evangelii essentia in tentationibus Christi est posita, ideoque haec „sensum universalis evolutionis explicant, continent philosophiam historiae generis humani“, (уясняютъ смыслъ всемірной эволюціи, содержатъ философію человѣческой исторіи). Tentationes, quibus genus humanum obnoxium est eo spectant, ut suam quisque perfectionem eamque illimitatam acquirat (157—161). Sequitur descriptio lapsus primi hominis (161—172). In capite proximo *T.* conatur conscientiam religiosam populorum ethnicorum et populi iudaici exprimere. Conatur nempe ostendere quomodo genus humanum ante Christum finem huius vitae ultimum comprehenderit, quomodo homo, vitiorum suorum primique peccati conscius „luctatus sit cum Deo“ (богоборчество). Describuntur deinceps: Sinenses, Indi (brahmani et buddhistiae), Persae, Graeci, Iudaei (173—224). Denique agitur de ipsis „Tentationibus Christi“ (224—282) et de historia ecclesiastica gentis christianae, in qua *T.* conatur ostendere quomodo tres ecclesiae praecipuae orthodoxa, catholica, protestantica fructus victoriae qua Christus tentationes vicit usurparint (282—318).

Tom. IV Hoc ultimum volumen duas partes continet: priore tractatur „Veritas et symbola in vita (parte) spiritus“ (Истина и символы въ области духа); posteriore vero quaeritur, quomodo res christiana a mente religiosa Russorum (scriptorum) percipiatur. Scriptor monstrare studet quomodo religio christiana ad vitam humanam omnesque eius vicissitudines referatur. Quam quaestionem tractandam suscepit illustratam „libertate christiana“, unde titulus est voluminis quarti.

Caput primum partis primae varios vitae religiosae typos continet. Pro exemplari perfectissimo Alexius ille Karamasov habetur in quo pietas fides viva caritas activa convenienter coniunctae sunt. Sub finem catholicismus et orthodoxia et protestantismus iudicio subiciuntur. Apud catholicos vita spiritualis symbolo bonae disciplinae (ordinis) ecclesiastico-iuridicae (символомъ церковно-юридическаго благоустройства) compensatur, apud protestantes — symbolo fidei intellectus, apud orthodoxos — idololatria et superstitione (7—43). In capite secundo scriptor de religione et ethica disserit in naturam earum et mutuam conexionem inquirens. Ethicam autonomam esse agnoscit (43—95). Caput tertium: „Spiritus et caro“. Hic moventur quaestiones de modo, quo

religio christiana ad vitam practicam referatur, quomodo haec ab illa sanctificari possit et quomodo ambae ad unum idemque tendere queant (95—175). Denique in parte secunda (175 421) scriptor in nonnullis scriptoribus Russorum: Tolstoj, Dostoevskij, Buharev, Solov'ev, Rozanov ostendere nititur quomodo hanc quaestionem persolverint.

In aestimando opere prof. Tarěev praemonere debemus illud exceptis iis, quae in vol. I[1] de κένωσις exponit (1—134), non esse modo doctrinae proprio compositum quippe cum scriptor ea, quae dicat, iam tanquam probata seu explorata disciplinis vel experientiae vel philosophiae maxime Germanorum afferat. Proprias autem sententias non ratiocinio aut demonstratione proprie dicta deducit, sed ad illas exponendas probandasque magis arte orandi utitur. Quo fit, ut liber, quemadmodum ipse cl. scriptor confitetur, non habeat vim nisi opinionis privatae expositae; est enim fructus omnium, quae ille in penu proprio expertus est.

Tarěev non tam vias novas inire studet in religione christiana, immo se esse christianum „historicum“ profitetur contra novatores illos, qui „christianismum historicum“ reiciunt, — quam ad purum evangelium eam reducere. Voce puri evangelii non comprehendit totam Novi Testamenti doctrinam, sed evangelii proprie dicti tantum. Reliqua Novi Testamenti pars, ut epistolae apostolorum, habetur pro parte patristica (p. 181) et quae dumtaxat per errorem cum evangelio coniungatur (cnf. 182, 184—5): „Nobis unus magister Christus“. Apostoli autem evangelium iam veste humana ethnicorum induerunt ad vitae nostrae condiciones illud accommodantes (p. 183, 187, 192). Vetus Testamentum, *T.* multo magis pro libro habet, quo nobis nihil nisi religio iudaica exponatur. Hoc apparet ex modo, quo religionem Vet. Test. in vol. II° describit, ubique ultima „criticae“ inventa proferens, uti de monotheismo Iudaeorum (p. 36), de relatione Jahve ad populum electum (57 sqq.) etc.... (cnf. 60, 63, 105 sqq.). Congruenter religionis christianae doctrinam in vivo ecclesiae magisterio conspici negat. Ecclesia, licet mundum sanctificet, tamen non est magistra infallibilis veritatis. Caput et tota vis revelationis, vitae novae, est ipsa persona hominis, non ecclesia. Porro religio christiana est absoluta: quapropter aliena est a quavis accommodatione ad veritates naturales, ita ut loqui de christiano matrimonio, societatis humanae ordine, regimine, statu, aut de christiana scientia nullo modo possimus (vol. IV, 93—94, 124—128, 132—133, 144 etc.). Christi enim religio est religio electorum, non autem vulgi (104). Ergo fieri non potest, ut mundus praeceptis evangelicis pervadatur christianus fiat. Una forma veri fidei christianae progressus est libera omnium virium naturalium evolutio quibuscum fides religiosa simul atque ethico-aesthetica perpetuo iungenda est. Symbola, quibus ecclesia olim vitam humanam intricavit itemque asceticmus uni generi deditus tanquam noxia atque perniciosa prorsus abicienda sunt eorumque loco lex amoris activi introducenda, quo homo intimae vitae divinae particeps fit.

Licet toto opere suo Tarěev rationalismum acerrime impugnet, tamen ipse propter absolutum subiectivismum, quo laborat, ab illo invitus illaqueatur. Velut negat corpus Christi ad vitam rediisse (vol. I,

p. 344, 346, 350 sqq.), ubique contendit miracula non fuisse ad fidem doctrinae faciendam patrata (vol. I, 146—148 et passim), dicit Christum linguam Veteris Testamenti adhibuisse, non vero sensum (vol. II, 233 sqq.), negat Evangelium continere ideam Regni Dei (ibid. 334—335) etc... Contra ecclesiam catholicam vehementer inflammatur, eius doctrinam atheam appellat, quae nihil commune cum Christi doctrina habeat (vol. III, 299 sqq.). De ecclesia catholica ea, quae Russi fere sentiunt sentit: eam esse tyrannicam, fideles importuno dominatu teneri, omnem progressum libertatemque esse sublatam etc. nec, quod mirum non est, inquisitio et iesuitae ultimum occupant locum. Nobis autem videtur scriptor, si doctrinam catholicam melius neque ex fontibus turbidis, cognoscere velit, fortasse id, quod tam ardenter quaesivit, in ea inventurus esse, illam nempe caritatem vivam atque concentum vitae alienum ab ascetismo solivago et ieiuno.

Tales res de operis prof. Tarěev vi multum derogant. Licet complura de Christi humilitate de tentationibus eius, de aliis rebus egregie et subtiliter disputaverit, dolendum tamen est rationalismi pestem non corticem tantum, verum etiam medullam operis eius invasisse. Catholicos iuvat, quod modernismi Russici clarum praebet exemplum. Neglegenda vero non est 2ª quarti voluminis pars, in qua *T* subtilem atque diligentem litterarum russicarum indagatorem se praestat. Genus dicendi scriptoris verbis alienis abundat, nec raro propter verborum incertitudinem et obscuritatem sententia latet. Dr. *Leonini.*

**Православная богословская энциклопедія** (Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija). **Encyclopaedia theologica orthodoxa.** Tomus IX. (Кармелиты—Kindej+*Κοινή*). Petropoli, typ. commentarii periodici Странникъ, 1908, V + 770.

Praeclarum hoc volumen clarissima in luce ponit Dr. Nicolaum Glubokovskium, qui praecipuam de Encyclopaedia theologica orthodoxa, curam habet, nil intentatum relinquere ut ea maximae sit studiosis utilitati, eique praestent operam viri fama litteraria perillustres. Quae nobis maioris momenti in hoc volumine videntur, breviter percensemus, animadversionibus adiectis, cum opus fuerit.

Complures notitias vel dissertatiunculas ad historiam vitamque catholicae pertinentes Ecclesiae conscripsit Sergius Troickij, in hac provincia versatissimus Satis habeo meminisse quae in hoc volumine inseruit de Carmelitanis (1—5), de Carolinis libris (22—28), de dioecesi Coloniensi (381—386), et de socialismo catholico (252—267). Hicce fortasse titulus in errorem inducere potest, cum apud nos socialismus catholicus veri nominis ignoretur. Auctor agit de democratia christiana, ac de mediis, quibus operosiores catholici nostrae aetatis, conantur malis societatis civilis remedium afferre. Duas periodos in historia huiusce actionis socialis Ecclesiae catholicae distinguit: prior ab anno 1825 perducitur usque ad annum 1849; altera vero ab anno 1849 ad nostram extenditur aetatem, eique favit praesertim Leo XIII.

De modis, quibus antequam incipiatur ieiunium quadragesimale, variis indulgent iocis populi catholici, Carnevale, selecta eruditione

disserit I. I. Golubev (7—16). S. Runkevič condiciones hodiernas aperit eparchiae georgianae, quae ex provinciis constat Kaḫetḫiae et Karthaliniae (44—58). Haec notitia nihil fere affert de vetere historia harum provinciarum: quae tamen ad recens spectant aevum, maxima sedulitate ex documentis ineditis Ssmae Synodi hausta sunt. Sergius Zarin agit de conciliis carthaginiensibus (71—78), de catechumenis (182—190), de monasterio cassinensi O. S. B. (95—101), de Quartodecimanis (318—325). Maior accuratio desideratur in citationibus bibliographicis. In parva notitia de monasterio cassinensi praeteritur silentio praeclara historia, quam concinnavit italice L. Tosti.

Ioannes Sokolovus provinciam historiae Ecclesiae byzantinae et Graeciae recentioris in Encyclopaedia sibi comparavit: haud tamen feliciter usque suum gerit munus. Cum de Cassia agit (117—125), quae praeclarum sibi nomen in historia litteraria poëseos liturgicae Graecorum sibi comparavit, ignorare videtur quae docte conscripsit Sophronius Petrides, in Revue de l'Orient chrétien, 1902, t. VII, p. 218—244. Perspicue de catacumbis disseruit E. Rědin, qui facile primas tenuisset inter studiosos artis christianae in Russia, nisi mors immatura eum absumpsisset (130—151). Instruitur haec notitia illustrationibus. Ex optimis hausit fontibus auctor materiarum segetem. Notionem ac proprietates categoriarum evolvit P Tiḫomirov (163—172). Haec tamen dissertatiuncula potius ad philosophicam, quam ad theologicam pertinet Encyclopaediam. De Catenis egit S. Zarin. Mentio tamen apud eum non inicitur, neque de pulcherrima illa editione catenarum, quam typis mandavit Nicephorus Theotocus († 1800), neque de recentissimo volumine Theodori Uspenskii, de octateucho constantinopolitano, ubi summa eruditione haec provincia exploratur. De catechismis catholicis, lutheranis et russis egerunt S. Zarin, A. Bulgakov, et B. Gruzdev (190—218). In notitia de catechismis catholicis, plura tradit Zarin de catechismis sive russice sive polonice scriptis, atque in scholis catholicis imperii russici adhibitis. Gruzdev περίληψιν historicam catechismorum orthodoxorum in Russia concinnavit. Tenet confessionem nomini Petri Mogilae addictam conscripsisse Isaiam Trofimovič Kozlovskium, quae sententia mihi non arridet, ut spero citius me ostensurum. Quaedam adiungenda erant de graeca versione Confessionis orthodoxae, ac de eius fatis in Oriente. Mirum omnino est scriptorem non meminisse dissertationem Hoffmanni, Historia catechismi russorum (Breslaviae, 1751), neque praeclarum illud volumen quod de Confessione orthodoxa anno 1804 Petropoli typis mandavit A. Bolḫovskij, quodque, sine auctoris nomine insertum est in Ḫristianskoe Čtenie, 1844, t. II, p. 223—67. Adnotationes bibliographicae accurate non afferuntur.

De catholicismo romano disseruit A. I. Bulgakov († 1907), (231—250). Plura heic nigro lapillo notanda, quae tamen in brevi recensione nequeunt attingi. Sententias scriptoris ad trutinam revocavi in scriptiuncula: Il cattolicismo secondo l'enciclopedia teologica ortodossa, Bessarione, series III, vol. VI, 1909, p. 185—195. Utilis tamen est ditior bibliographia quae huic adnectitur dissertationi,

quaeque titulos adducit operum, quae adversum catholicam Ecclesiam Russi theologi scripsere. De catholicismo in Georgia obiter disseruit N. Popov (226—231), quem latuit anno 1902 M. Thamarati ingens volumen documentis refertum composuisse de Historia catholicismi in Georgia (Tiflisii, 1902), eandemque provinciam explorasse M. A. Ḫaḫanov, Bogoslovskij Věstnik, 1901, t. II, (p. 163—180). De catholicismo romano in Russia egit iterum A. Bulgakov (222—226), quem fugit praeclarum opus polonice scriptum, ab Abraham: Powstawie organizacyi kościola łacińskiego na Rusi, Leopoli, 1904, ac plura maximi momenti opera, quae in Russia prodierunt.

Notitiam de Kachethia (272—274) exaravit Alexander Ḫaḫanov, qui tamen eam leviter attigit, ac valde lacunosam exhibuit bibliographiam. De Catharis (285—300), ac de Quietismo (348—356) disseruit A. Pokrovskij, qui iniuriosis verbis S. Theresiam appetit. Vocat enim eam экзальтированная монахиня, col. 352. Adnotationibus bibliographicis ditavit N. Glubokovskius notitiam de Quirino (340—347) quae N. Troickium habet auctorem.

De liturgia celtica mira scripsit eruditione M. Tenner, vir anglus, (443—486), qui numeris omnibus eam absolvit. Peculiarem mereri videntur mihi mentionem notitia I. M. Gromoglasovi de schismaticis russis, qui saeculo XVII ad ripam fluminis Kerženec suos penates transtulerunt (519—526), et notitia de urbe Kerč in Russia meridionali, ubi paucis abhinc annis praeclarae reliquiae vetustarum ecclesiarum byzantinarum detectae sunt (535—544).

Ex omnibus dissertationibus in hoc volumine contentis principem tenet locum absolutissima dissertatio de communi dialecto graeco in Sacris Scripturis (*κοινὴ διάλεκτος*). Prof. S. I. Sobolevskij enarrat originem huiusce dialecti; notas, quae proprie ad eam pertinent, recenset; theorias Deissmanni ac Thumbi ad trutinam revocat; graecum sermonem, quo utuntur graeci interpretes sacrarum Scripturarum dialecto attica comparat; de idiomate Ecclesiae christianae post aetatem apostolicam disserit; necessitatem cognitionis graecae linguae pro studiis biblicis aperit. Quam docta sit haec commentatio, satis claret ex citatis bibliographicis, quae 34 columnas implent. Tota continetur dissertatio columnis 603—754. Tantae utilitatis visa est ea graecis theologis, ut statim in graecum idioma eam verterint, inseruerintque primum in *Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος*, 1909, t. I, 481—548, ac deinceps separatim vulgarint, Alexandriae in Aegypto 1910.

Complures continet hoc volumen vitas scriptorum, clarissimorumque virorum, quas inter meminisse iuvabit vitas Alexandri Katanskij, cui plura debentur opera ad polemicam orthodoxam adversus catholicos spectantia, et Caroli Caspari, cuius maxime laudatur pretiosa sylloge Quellen zur Geschichte des Taufsymbols.

De X volumine Encyclopaediae, quod lucem aspexit vergente ad occasum anno 1909, alias iudicium nostrum feremus.

In recensione voluminis VIII Encyclopaediae scripsimus de notitia A. Popov circa Cardinales: „Mirum videtur auctori cardinales diaconos missam celebrare sicut presbyteros, quod disertissimis verbis

prohibetur a canone XIII quarti concilii oecumenici. Hic canon loquitur de monachis apostatis (IV, 1908, p. 225). Absonum proposito nostro duximus totum canonem afferre, in eoque explanando diutius immorari. Canon ita se habet: „Pervenit ad aures Sanctae Synodi, quod clerici quidam et monachi, quibus nihil a proprio episcopo mandatum est, et sunt etiam nonnunquam ab ipso communione segregati, ad imperatoriam Constantinopolis urbem se conferunt". — Mansi, t. VII, col. 367. Recte animadvertit cl. Dr. Glubokovskij titulum huiusce canonis satis accurate a nobis allatum non fuisse. Etenim ex canonis contextu patet hosce monachos apostatas minorem partem fuisse, Прав. Бог. Энц., t. IX, p. 767. Clarissimi viri animadversionem lubentissime accipimus: constat tamen iterumque asseveramus canonem illum nihil continere, quod referri possit ad Cardinales romanae Ecclesiae. Addimus, nostras *κρίσεις* in id non tendere, ut meritas derogemus laudes perdoctis scriptoribus Encyclopaediae. Mirum esse non debet scriptores orthodoxos ea interdum de vita catholicae Ecclesiae latere, quae multi apud nos ignorant.

**Věra i Razum** (Fides et ratio), Ḫarkov, 1909.

*E. N.* Poslědovatel'noe raskrytie dogmatov věry v bor'bě s eresjami s 1-go do V věka (Progressiva detectio dogmatum fidei in certamine cum haeresibus a primo usque ad quintum saeculum). I, 185—210; 465—491. Conceptus progressus dogmatici claritate in praesens adhuc caret, nec statutis definitur limitibus. Theologi tam protestantes quam catholici, atque haud raro vel orthodoxi sibi falso persuadent eum ab aetate Jesu Christi initium habuisse, in posterumque determinatum fuisse ab Ecclesia. Ad eum rite definiendum opus est, consideremus doctrinam in Evangelio contentam, prout interpretatione magisterii ecclesiastici patescit. Notandum est doctrinam de progressu dogmatico primum enucleatam fuisse in Occidente, ubi Romana Ecclesia ea indigebat, ad excusandas novitates dogmaticas in suam theologiam invectas. Attamen, etiam in Russia Vladimirus Solov'ev conatus est ex intima persuasione mentis progressum dogmaticum, ut legitimum, exhibere, ut a novitatis nota recentiora dogmata Ecclesiae romanae remota praedicaret. Huic theoriae progressus dogmatici characterem orthodoxum praeclarus philosophus indidit. Solov'evi doctrina, quae dilucide exposita fuit in commentario periodico »Conspectus orthodoxus«*) breviter concinnatur. Ad sententiam scriptoris, cuius articulum heic in breve contrahimus, doctrina Solov'evi meret quidem laudes in eo, quod innitatur factis ac documentis historicis. Nequit autem dici eam consonam esse doctrinae orthodoxae. Contradicit enim spiritui et significationi verae religionis christianae, atque insuper omni caret firmamento, si lance criticae artis pensetur. In se enim spectata, repugnantia involvit: ad lumen vero historiae perpensa, nititur falsis interpretationibus documentorum historicorum. Haec nititur probare auctor huiusce scriptionis; ipsius tamen argumenta facili negotio theologia catholica solvit.

---

*) Dogmatičeskoe razvitie cerkvi v svjazi s voprosom o soedinenii cerkvej (Progressus dogmaticus Ecclesiae, habita ratione unionis Ecclesiarum), Pravoslavnoe Obozrěnie, 1885, t. III, 727—798. Sententias Solov'evi conatus est refellere A. Kirěev, Něskol'ko zaměčanij na stat'ju V. S. Solov'eva o dogmatičeskom razvitii cerkvi (Quaedam animadversiones ad scriptionem Vladimiri Solov'evi circa progressum dogmaticum), Чтенія societatis amicorum progressus spiritualis, 1886, t. I, p. 460—470.

*E. Voroncov* Otkrovenie v prorokah i otkrovenie vo Hristě (Revelatio per prophetas, et revelatio per Christum). I, pag. 28—44. Primum caput epistolae Pauli Apostoli ad Hebraeos, in quo continetur tota doctrina de persona Jesu Christi, exhibet etiam pauca de discrepantia inter revelationem Veteris Testamenti, et revelationem Jesu Christi. Auctor breviter exponit sententias rationalistarum nostrae aetatis adversus factum revelationis: deinceps, interpretatus verba Apostoli in praecitato capite, in quo differat utraque revelatio statuit, ac revelationem Jesu Christi longe praecellere revelationi veterum Prophetarum erudite demonstrat.

*N. N. Německij.* Protestantizm v načalě XX stolětiia (Protestantismus germanicus exoriente saeculo XX). Hic habetur russica versio operis Huppert.

*P. G. Linickij.* O vospitanii (De educatione). I, 58—70; 222—236; 347—358. Tractat de educatione intellectuali et morali iuventutis, ac de influxu quem societas exercet in animos adulescentium. Permulta continet e penu experientiae deprompta ad puerorum institutionem sive in scholis, sive in familia.

*P. L.* O želatel'nosti izučenija elementov filosofskih nauk v ženskih eparhialnyh učiliščah (De peroptato studio elementorum philosophiae in scholis dioecesanis puellarum). I, 492—499. Asserit studium philosophiae semper floruisse in russicis seminariis, ac dolet nihil de ea tradi in scholis dioecesanis pro puellis. Obicitur ex eo nullum emolumentum percepturas puellas, quippe quae ad vitam practicam unice spectare debeant, vel etiam ineptae sint ad meditationes metaphysicas. Solvit huiusmodi obiectiones, ostenditque philosophiam utilissimam esse scientiarum studiosis, ac praesertim admodum juvare in confirmandis veritatibus fundamentalibus fidei de Deo, de immortalitate, de malo etc.

*E. A. Voroncov.* Vozzrěnija vethozavětnih prorokov na pastyrstvo i ih ocěnka nedostatkov sovremennago im pastyrskago levitskago služenija (Sententiae prophetarum Veteris Testamenti circa ministerium pastorale, eorumque iudicia circa defectus eiusdem ministerii). I, 579—93; 723—39; II, 17—34. V' disserit de muneribus, ac de donis supernaturalibus prophetarum. Acceptis a Deo charismatis, prophetae ea praesertim tempestate a Deo excitabantur qua, imminuta in animis religione, voluptates ac vitia homines transversos agebant. Manus igitur prophetarum in eo praecipue versabatur, ut populo verum sensum legis explanaret, eumque revocaret ad meliorem frugem. Cum tamen ad hosce fines assequendos maxime necessaria foret cooperatio Levitarum, prophetae in id tendere debebant, ut sacerdotium leviticum rite suo munere defungi potuissent. Pervestigat deinceps auctor quae nobis de sacerdotio levictico in scriptis Prophetarum traduntur, ac demonstrat haec nigris coloribus sacerdotium illud nobis expingere.

*P. Grom.* Děti i religija (Pueri et religio). I, 594—601; 740—54. *G.* sibi sumit binas quaestiones pertractandas: 1. Estne utile, ut pueri primis religionis christianae praeceptis instituantur? 2. Potestne asseri pueros aptos esse ad huiusmodi institutionem suscipiendam? Conatur praesertim refellere obiectiones scriptorum illorum, qui placitis rationalismi faventes, tenent mysteriorum fidei cognitis, quippe quae veritates altissimas, rationi humanae omnino impervias continent nullum pueris emolumentum afferre, nec non pravas doctrinas eorum, qui, necessitate religionis denegata, scientiam fidei christianae a scholis omnibus procul ablegandam tuentur. Exemplis e vitis perillustrium sanctorum depromptis ostendit in puerili etiam aetate scientiam illam uberrimos edere fructus tam sanctitatis quam invictae animi fortitudinis.

*D. M. Bagrecov.* Položenie drevne russkoj ženščiny hristianki (Condicio mulierum christianarum in vetere societate rus-

sica). I, 602—22; II, 35—63; 169—87. In suo argumento pertractando sese praebet *B.* in provincia veteris historiae russicae versatissimum. Hoc ei est propositum ut passim traditas a chronographis russis de condicione mulierum notitias, in unum colligat, ad trutinamque revocet. Ut plenius assequatur suum finem, praemittit suae tractationi conspectum generalem de condicione mulierum in Russia, ea tempestate, qua idolorum cultus obtinebat. Sententia huius scriptoris quamvis mulieres apud Russos non fruerentur iuribus, quibus eas religio christiana donavit, tam infelices quam apud ceteras nationes ethnicas dici non poterant. Veteres idololatrae russi in mulieribus quidpiam conspiciebant divini, quo fiebat, ut religiosum quendam characterem apud eos mulieres induerent. Post acceptam religionem christianam, praesertim sub influxu civilis cultus Byzantinorum, canonice atque iuridice condiciones mulierum immutatae sunt. Christianismus enim docuit mulieres russas, semet, non secus ac viros, adlaborare posse ad regnum Dei in terris statuendum. Per christianismum statutum est coniugium tanquam vinculum morale, quod nititur intima communione animarum; causae divortii valde imminutae sunt, quapropter familia firmior in sua constitutione evasit. Maiorem dignitatem mulier adepta est, cum etiam vir ex praecepto legis christianae teneatur fidelitatem uxori servare. Haec beneficia pedetentim contulit religio christiana mulieribus russicis, ut satis abunde patet ex documentis historicis, atque iuridicis, quae tum ex chronicis russicis, tum ex primitivis legum christianarum russicis codicibus studiose delegit *B.* atque interpretatus est.

*N. Čipurin.* Religiozno-nravstvennoe broženie v sredě našego obščestva i želatel'naja bor'ba s nim (Exagitatio religiosa et moralis in nostra societate, et bellum quod optandum est, ut ei indicatur). I, 623—33; 755—774. *C.* invehitur in libertatem conscientiae, quae statim ac promulgata est in Russia malorum colluviem Ecclesiae orthodoxae contulit. Centena milia orthodoxorum, praesertim in provincia Žitomieriensi, catholicae Ecclesiae nomen dederunt: in Finlandia, ac regione, quae ad ripas maris Baltici extenditur, permulti ad protestantismum transiere; sectae russicae sese late propagarunt in provinciis Caucasia, Chersonensi, Tauridensi, Kalužensi, Tamboviensi, Samarica, Stavropoliensi, Tverensi. Pauca tradit auctor de diffusione sectariorum, quos Ḫlystovcy, Baptistas et Molokanos vocant. Dolet praesertim apud coetus excultos materialismum grassari, ac marxismum inter operarios multos nancisci fautores. Ut malis hisce medeatur proponit praedicationem sacram praesertim instaurandam. Memorat quae sua consecuti sunt eloquentia oratores sacri primis Ecclesiae christianae saeculis, oratores galli saeculo XVII, oratores americani saeculo XIX optatque ut Russia viros hoc tempore edat, qui verborum medicina ingruentes morbos depellere valeant.

*D. Brjancev.* Voskresnem-li my (Est-ne verum nos quondam resurrecturos?). I, 634—44. *B.* refellit sententias Basilii Rozanovi, qui in actis diurnis Novoe Vremja (n. 11, 427) haec scripsit »Resurrectio Christi nihil nobis pollicetur. Christus Deus est: nos vero homines. Itaque, ex eo quod Jesus Christus resurrexit non sequitur et nos resurrecturos. Deus mundum creavit. Num sequitur et me idem efficere posse? .« Respondet *B.* Jesum Christum Deum esse atque hominem, utque hominem resurrexisse, hominemque esse sicut nos. Non repugnat igitur et nos resurrecturos. Immo necessarium est. Etenim Jesus Christus sua redemptione principium nobis attulit vitae, quae indefectibilis est.

*T Koževnikov.* Věra kak psiḫologičeskij fakt s naučnoj točki zrěnija i kak dobrodětel, po učeniju svjaščennago pisanija i cerkvi (Fides considerata tanquam factum psychologicum, sub aspectu scientifico, nec non tanquam virtus, iuxta doctrinam Sacrae Scripturae atque Ecclesiae). II, 64—88. *K.* pervestigat

in quo reponendo sit fidei essentia, iuxta psychologiam, et quaenam sint condiciones, quibus oriatur. Ostendit fidem non esse tantum φαινόμενον intellegentiae, ut putarunt Brentano, Lips; neque fructus emotionis, ut docuit Hume, nec voluntatis tantum. Fides est factum intellectuale, quia praesupponit cognitionem obiecti, eodemque tempore, factum emotivum (emocial'noe), quia non credimus quidquid nobis per intellectum repraesentatur. Acute disserit auctor de fide sub aspectu philosophico. Perpensis deinceps eis, quae nobis S. Scriptura tradit de natura fidei, deducit doctrinam de fide per christianam revelationem enucleatam, non modo, non reicere doctrinam psychologiae de fide, sed etiam multa explicare, quae psychologiam non attingit. Etenim psychologia rebus naturalibus explicare non potest, quanam de causa primo iam saeculo religionis christianae tot homines in Christum crediderint. Nulla fuit aetas tam contraria principiis religionis christianae quam aetas, quae ipsam Christi mortem secuta est. Dicendum est igitur fidem, quam Christus invexit, elementa continere, quibus ortus tribuendus est heroum illorum, qui plurimum contulerunt ad progressum fidei christianae.

*A. P. Pokrovskij.* Mitropolit Moskovskij Filaret, kak pedagog (Philaretus, metropolita mosquensis ut paedagogus). II, 143—168; 293-315; 463-487; 731—749; III, 23—36; 172—83. Complura sunt opera, quae nobis exhibent vel dotes animi, vel dotes ingenii Philareti Drozdovii, saeculo XIX praeclarissimi inter praesules russicae Ecclesiae. Optimae notae scriptores de eo egerunt ut theologo (Korsunskij), ut episcopo mosquensis eparchiae (Zaozerskij), ut auctore compendii historiae biblicae (Smirnov), ut exegeta (Troickij), ut adversario rationalismi (Ioseph archim.), ut scriptore iuris canonici (Naumov), ut oratore sacro (Čepik). Korsunskij ingens opus (plus quam 1000 paginas continens) de vita Philareti typis evulgavit. Attamen non omnia exhausta sunt, quae ad clarissimum hunc virum pertinent, cui 700 opera vel scriptiones tribuuntur, praeter ea quae inedita adhuc delitescunt. Metropolitae Philareti praecipua haec laus vindicanda est, quod summa ope contendit progressum fovere scholarum ecclesiasticarum. Auctor labores enarrat, quos lubenter Philaretus suscepit ad perficiendas scholas ecclesiasticas, innumerisque ex eius operibus locis adductis, concinnat methodum tum moraliter, tum scientifice instituendi alumnos earundem scholarum.

*A. Pokrovskij.* Nravstvennyj zakon, ego suščnost', soderžanie i osnovanie (Lex naturalis, eius essentia, contenta in ea, ac fundamentum). II, 199—213. *P.* conceptum legis primum explanat, ac leges physicas a legibus moralibus distinguit. Examini deinde subicit theoriam kantianam de ratione practica, ostenditque cum ea nefas esse consentire. Tuetur legem moralem ex intimis humanae naturae radicibus germinare, ac principii absoluti existentiam requirere. Legem moralem christianam, quae in Dei ac proximi amore consistit, declarat. De evolutionismo morali disserit. Concludit legem moralem in id tendere, ut per amorem magis magisque ad similitudinem Dei homines accedant.

*P. Levitov.* K voprosu ob učebnikě dogmatičeskago Bogoslovija v duhovnyh seminarijah (De compendio theologiae dogmaticae, quo utendum sit in seminariis). II, p. 285—292. In seminariis russis vulgo adhibetur compendium Theologiae metropolitae Macarii. Videtur omnium optimum, ob simplicitatem expositionis et materiarum segetem. Attamen in praesens lacunae in eo deprehenduntur. Deest in eo dogmatum historia: methodo fere mathematica utitur in suis demonstrationibus. In compendio, quod magis ad nostra tempora accommodatur, de dogmatis Ecclesiae agendum est praecipue methodo historica, necesse est detegantur vincula, quibus ipsa dogmata inter se consociantur. Permulti etiam sunt loci Sacrarum Scripturarum et Patrum in compendio macariano, quae pondere inutili

memoriam addiscentium onerant. Optandum etiam foret, ut loci scripturarii desumantur ex versione russica Sacrarum Scripturarum, non autem ex versione palaeoslavica. Magis usurpanda est etiam methodus philosophica. Tenet auctor Theologiam polemicam, vel plane oblitterandam, vel non tradendam nisi perfunctorie. Conficitur inde macarianum compendium in multis renovandum, ut emolumentum afferat studiosis.

*V. Th. Ivanov.* Svoboda voli i nravstvennaja statistika (Libertas voluntatis et moralis statistica). II, 332—360 Tuetur quaestionem de libertate humanae voluntatis non modo theoreticam esse, verum etiam moralem. Eos refellit, qui ope statisticarum effutiunt voluntatem liberam non esse. Examini subicit varias sententias, quae de natura libertatis feruntur. Valorem innuit consecutionum, quae ex statisticis deducuntur, quibus vindicatur tantum maior vel minor probabilitas. Ostendit ex iis nullum deduci argumentum ad infitiandam libertatem humanam.

*D. S. Leonardov.* Teorii soglašenija skazanija Moiseja o mirotvorenii s.. estestvennoj nauki (Theoria consensionis narrationis Geneseos de creatione mundi cum scientiarum naturalium inventis). II, 443—62; 592—615; 750—769; III, 37—55; 184—210; 301—316. Docta quidem dissertatio, quae tamen apud nos antiquata videatur. Quis enim concordismum biblicum Pianciani hodie meminerit? *L.* maxime ope geologiae conatur ostendere narrationem Moysis convenire cum veritatibus in disciplinis naturalibus propugnatis. Tenet firmamentum narrationis Geneseos depromi ex traditione historica divinitus revelata, quae, ut ita dicam, prisma pertransiit divinae inspirationis in mente Moyseos. Quidquid igitur audet scientia contra huiusmodi narrationem, eam suo pondere non destituet. Verba enim Dei manent in aeternum.

*B. Talankin.* Svjatootečeskoe vozzrěnie na smert' (Doctrina Sanctorum Patrum de morte). II, 488—507; 631—652; III, 81—92. Complures sunt quaestiones de morte, quae difficilem solutionem praebent. Unde promanat timor mortis? Quaenam causa est, quae animam a corpore separat? Quamnam vim habet huiusmodi separatio? Ad respondendum hisce quaestionibus, interrogat *T.* unum tantum Gregorium Nyssenum. S. Gregorius tam theologice, quam philosophice eam solvit. Imprimis rationem mortis detegit in eo quod anima tendat ad plenam aeternae felicitatis possessionem. Mors habetur poena pro culpa generali, et resurrectio habetur principium novae vitae.

*S.*- O duhě svjatom (De Spiritu Sancto). II, 569—91. Speculative disserit de persona Spiritus Sancti. Innuit primum, in quo Spiritus Dei a spiritu humano differat. Demonstrat eum esse principium et fontem cuiuslibet vitae in terris De influxu Spiritus Sancti in animam nostram tractat, ac praesertim de dono prophetiae, quod ei specialiter vindicatur, ut ab eo in homines derivatum. Mentionem inicit de hymnis liturgicis, in quibus frequenter preces ad Spiritum Sanctum attolluntur.

*A. Vertelovskij.* Po voprosu ob istočnikah načal'nago egipetskago monašestva (Quaestio de fontibus primitivi monachismi aegyptiaci). II, 711—730. Demonstrat momentum veteris monachismi in Aegypto in historia religionis christianae, ac res contentas in opere *G. Troickij:* Obozrěnie istočnikov načal'noj istorii egipetskago monašestva, Sergievo, 1907, in breve contrahit. Summis laudibus extollit auctorem, qui suum argumentum perpulchre atque erudite exhausit, ex purissimisque fontibus materias suae tractationis deprompsit.

*J. Dmitrevskij.* Čto predstavljaet iz sebja kniga *Morozova:* Otkrovenie v grozě i burě (Quid nobis exhibeat liber Morozovii: Revelatio in procellis et fulguribus). II, 770—789; III, 67—80. Ad tru-

tinam revocat famosum illum commentarium Apocalypseos, quem anno 1907, praecitato titulo insignitum, N. Morozov typis mandavit. In eo conatur *M.* ex testimonio astronomiae tribuere compositionem huius commentarii S. Ioanni Chrysostomo, quem appellitat seditiosum virum in urbe byzantina. Rationes tantum astronomicas a Morozovio adductas heic tangit *D.*, ac lepide interdum refellit.

*P. Levitov.* O prepodavanii nravstvennago Bogoslovija v duhovnyh seminarijah (De methodo tradendae theologiae moralis in seminariis ecclesiasticis). II, 790—794. Studium philosophiae necessarium asseritur ad rite instituendum studium theologiae moralis. Tempore conciliorum oecumenicorum potius de quaestionibus dogmaticis quam de moralibus actum est. Ex hoc efficitur theologiam moralem tradendam non esse instar dogmaticae. Praefert illa methodum deductivam; haec vero analyticam. Studium psychologiae atque anthropologiae in ea maximi momenti faciendum est, ac dolet *L.* hocce elementum philosophicum penitus deesse compendio theologiae moralis a Soljarskio concinnato, quo maxime utuntur in seminariis. Tenet etiam auctor praecipuam curam magistrorum in eo ponendam esse, ut alumnis explicent principia fundamentalia ethicae, ac fuse tractent de quaestionibus ad societatem hodiernam spectantibus.

*S. Čistoserdov.* Patrologičeskij element v Cerkovnoj istorii Sokrata i ego naučno-istoričeskoe značenie (Elementum patrologiae in historia ecclesiastica Socratis, eiusque momentum historicum ac scientificum). II, 1—22. In sua historia meminit Socrates, pro re nata, hosce illosve Patres vel scriptores ecclesiasticos Non sequitur methodum scriptorum, qui ex proposito vitas Patrum enarrarunt, quapropter non invenimus notitias numeris omnibus absolutas. Attamen permagni ducuntur parvae ac mancae huiusmodi notitiae, ac de iis frequens occurrit usus in compendiis patrologiae. Auctor ostendit haec: 1. Elenchus scriptorum ecclesiasticorum ac notitiae, quae de iis traduntur, perpendendae sunt iuxta finem, quem sibi proponit Socrates in eventibus historicis enarrandis: 2. Socrates non compilavit ceteros scriptores, sed proprio marte de scriptoribus ecclesiasticis egit atque iudicavit. 3. Cum Socrates fontibus genuinis usus sit, quae nobis tradit, maxima fide digna sunt: pauca deprehendes apud eum, quae mendose se habeant.

Otkrytie missionerskago s'ězda v Kievě (Inauguratio congressus missionariorum Kioviae habiti) III, 143—148. Pauca hic reperiuntur de infelici hoc congressu, qui mense iulio 1908, Kioviae in monasterio S. Michaelis locum habuit. Ei interfuerunt 3 metropolitae, 10 archiepiscopi, 23 episcopi: omnia membra congressus fuere 580. Complures modi propositi sunt, maxime ad bellandum cum Ecclesia catholica.

*G. Ščelcov.* Možno-li otoždestvljat' hristianstvo s socializmom (Potest-ne fides christiana unum idemque ac socialismus haberi). III, 149—171. Haud raro effutiunt socialistae suas doctrinas nihil habere, quod placitis religionis christianae repugnet. Immo, ipsius ut complementum aestimandas esse. Jesus Christus tradidit suis discipulis principia fidei, fraternitatis, aequalitatis, communismi, quae fulcra habentur socialismi. Hic consensus christianismi et socialismi exterior tantum est, corticemque unice tangit. At reapse, unus alteri repugnat: christianismus nititur fide in Deum: socialismus Deum esse negat. Ille vitam aeternam profitetur, hic deridet; proprietatem ille admittit, hic respuit. Testimonio doctorum socialismi, praesertim Bebeli, hancce repugnantiam inter christianismum et socialismum *Š.* probat.

*D. Brjancev.* Razvod i novye povody k nemu (Divortium et novae ipsius causae). III, 227—240. In praesens sunt multi in Russia, sive fidei osores, sive fidei amici, qui reformandas esse statuunt leges ad divortium spectantes. Nec desunt, qui putent indissolubilitatem

matrimonii, theoretice perfectissimam, practice multis scatere incommodis. Hac de causa, sive in consessu delegatorum populi, sive apud commissionem specialem Synodi examen instituitur nunc de legibus ad matrimonium ac divortium spectantibus. *B.* indicat motiva, quae commissio synodalis apta declaravit ad matrimonium dissolvendum: ut infirmitas mentis quae plures annos perstet; morbi venerei. *B.* demonstrat quasdam ex hisce causis non convenire cum doctrina evangelica, vel mala societati allatura. Dolendum sane Synodum petropolitanam nimis indulgere corruptoribus moralis christianae, qui liberum amorem praedicant in Russia.

Zapiska vysokopreos. Mitropolita *Antonija* o reformě cerkvi (Memorandum Antonii, metropolitae petropolitani, de reformanda russica Ecclesia). III, 285—88. Agit maxime de modis ad tutandam Ecclesiam orthodoxam contra ceteras confessiones christianas et sectas, de largienda autonomia Ecclesiae, de concilianda ei maiore benignitate ex parte regiminis, de paroeciis instaurandis.

*C. Šebatinskij.* Istoričeskij genezis idei Moskvy, tret'jago Rima, v XV v. (De genesi historica urbis Mosquae, tanquam tertiae Romae). III, 289—300. Post concilium florentinum de Graecis apud Russos invaluit opinio eos fidem corruptam profiteri, sincerosque non esse. Exinde iam coeptum est cogitari primatum religiosum ex Graecis ad Russos transiisse, praesertim cum urbs byzantina sub dominatu Turcarum ad incitas redacta visa fuerit. Celebrato autem coniugio Ioannis III et Sophiae Palaeologae, ac penitus abiecto Tartarorum iugo, Russorum Caesares heredes imperii byzantini habiti sunt, et consequenter exorta est sententia, Mosquam ut tertiam Romam aestimandam.

*N. Zagorovskij.* Otklik pastyr'ja protiv poricatelej duhovnyh i graždanskih vlastej (Responsio pastoris contra osores tam ecclesiasticae quam civilis potestatis). III, 317-330; 460—475. Contra fautores libertatis invehitur in Russia, ac praesertim contra Gregorium Petrov, qui litteris editis ad metropolitam Antonium (28 martii 1908) declaravit, adesse in Russia quosdam viros christianos, vere autem christianam Russiam nunquam fuisse. Russia neque est societas christiana, neque christianum imperium. Dolet *Z.* presbyterum orthodoxum haec de sua patria dixisse. Conatur deinde eum refellere locis S. Scripturarum et S. Ioannis Chrysostomi, sed nervo caret et robore haec argumentatio.

*S. Glagolev.* Ob osnovanijah i metodah induktivnyh zaključenij (De fundamentis et methodis conclusionum inductivarum). III, 341—61. De ea, quam vocant philosophi associatione idearum ac de lacunis methodi inductivae rigore dialectico disseritur.

*L. Bagrecov.* Něskol'ko slov po istorii idealističeskoj filososofii Džordža Berkli (Pauca de historia originis philosophiae idealisticae Georgii Berkley). III, 362-376. Philosophia tendit ad plenam cognitionem, quapropter principia cuiuslibet cognitionis ad eius potissimum pertinent provinciam. Principium autem cognoscitivum est ratio, quapropter philosophia inquirere debet in relationes intellectus cognoscentis res, ad ipsas res. Quomodo ens ad nostram refertur rat onem?.. Hoc ens extra rationem habeturne aut est quidpiam a ratione determinatum, definitum?.. Praecipua haec quaestio cardo est, circa quem volvitur systema philosophicum Berkley Idealismus berkleianus praebet originalem, et quasi veram solutionem quaestionis ad realitatem naturae exterioris spectantis.

*J. Krasnickij.* Buddism i hristianstvo (Christianismus et buddismus). III, 435—459; 581-97; IV, 21-38; 433—456; 576—97. *K.* animadvertit hodiernos cultores scientiae comparativae religionum, sese conscribere inter osores veritatis christianae Buddismus ab iis consideratur tanquam fons religionis christianae et religio christianismo perfectior. Effutiunt buddismum melius conformari nostrae in-

doli, ac praecipuas doctrinas religionis christianae ab eo depromptas fuisse. *K.* sibi munus sumit analysin instituendi huiusce sententiae, et comparat narrationes evangelicas cum narrationibus librorum sacrorum Indorum. Vitam Jesu Christi persequitur ab oblata stella Magis usque ad eius resurrectionem, eamque comparat cum traditionibus ac fabulis buddismi. Demonstrat ex iis quasdam nullo modo comparari posse cum narrationibus evangelicis, quasdam similitudinem cum iis habere, sed tantum levem exterioremque.

*D. Ivanickij.* Možno-li otricatel'nyj vzgljad anarhistov na sobstvennost' osnovat' na učenii Hrista (Num possit negatio iuris possidendi bona privata, quod convellunt anarchistae, inniti doctrinae Christi). III, 476—487 Potissimum aggreditur auctor theorias tolstoianas de proprietate privata. Doctrina de proprietate in religione christiana intime devincitur cum doctrina de regno caelesti. Consequitur proprietatem in se spectatam nullum habere momentum, et possessionem bonorum temporalium considerandam tanquam fluxam et caducam. Hoc tamen sibi non vult Jesum Christum denegasse proprietatem privatam, aut licitum usum bonorum temporialium ut suo exemplo monstravit. Io. XII, 6; Mat. XVIII, 27; Luc. XI, 3.

*B. Davydenko.* Svjatootečeskoe učenie o bezsmertii duši čelovečeskoj (Doctrina sanctorum Patrum circa immortalitatem animae humanae). III, 488—511; 614-36: 778—94. Demonstrat totam christianam ἐσχατολογίαν niti doctrina de immortalitate animi, quae non modo theoretica est veritas, sed et practica. Locos Patrum adducit tam graecorum quam latinorum, qui profitentur mortem non esse nisi brevem interruptionem unionis animae cum corpore. Argumenta sive scripturaria, sive philosophica, quibus utuntur Patres ad immortalitatem animae probandam explicat, suamque claudit dissertationem confutatione Lucretii Cari.

*A. Nikol'skij.* Něskol'ko slov pamjati prof. Theodora Aleksandroviča Zelenogorskago (Pauca in memoriam professoris Theod. Al. Zelenogorskij). III, 512—520. Breviter agit de vita et scriptis Theodori Zelenogorskij, professoris universitatis Harkoviensis, vita defuncti 3 iulii 1908. Scripsit: De Methodis mathematicis et metaphysicis (1876—77), Historiam philosophiae cartesianae (1882), De Dialectica Platonis (1890), De Aristippo, conditore hedonismi (1892) etc.

*S. Tverdynskij.* Evangel'skij obraz Hrista i značenie etogo obraza v voprosě o nravstvennoj cěnnosti načal asketizma (Imago evangelica Jesu Christi, ac momentum huius imaginis, habita ratione moralis valoris principiorum ascetismi). III, 569—580. *T.* breviter ostendit in persona Jesu Christi reperiri unicum criterium ad diiudicandum valorem moralem ascetismi. Sive ex principiis fidei christianae, sive ex simplici meditatione historica vitae Jesu Christi, hoc idem clara in luce ponitur. In scriptione tractat etiam modum, quo Jesus Christus sese gessit ad legem mosaicam, quod attinet.

*N. Zagorovskij.* Sovremennyj socializm pred sudom slova Božija (Socialismus hodiernus ante tribunal verbi divini). III, 598-613; 759—777; IV, 39—60. *Z.* ab initio affert praecipua opera, quae de socialismo scripta sunt in Russia. Mala demonstrat, quae in societatem promanant ex actis diurnis per periodica socialistarum. Demonstrat mentiri socialistas cum libertatem, aequalitatem, fraternitatem praedicent. Socialismus in id tendit, ut discordiam inter varios coetus sociales serat ac foveat. Doctrinae socialistarum opponitur doctrina evangelica. Dissertatio potius oratorium, quam scientificum habitum praesefert.

*L. Bagrevcov.* Otnošenie iskusstva v naukě i žizni s hristianskoj točki zrěnija (Relatio artis ad scientiam et vitam sub aspectu christiano). III, 637—60; 795-806. Haec optima dissertatio uberrima instruitur bibliographia russica. *B.* inquirit in essentiam, naturam artis, eiusque influxum psychologicum, et socialem. Demon-

strat scientiam emolumentum afferre arti et vicissim. Ars potest esse simul elementum corruptionis morum, vel instaurationis. Occasione arrepta, invehitur auctor in recentiora quaedam opera litteraria, quae in Russia maxime conferunt ad mores depravandos, ac sperat fore, ut litteratura magis penetretur spiritu christiano.

*V. Troickij.* Vethozavětnyja proročeskija školy (Scholae propheticae Veteris Testamenti). III, 727—40; IV, 9—20; 188—201. De nominibus primum agit, quibus huiusmodi scholae denominantur in Vetere Testamento. Pauca tantum de hisce scholis traduntur in libris historicis, quando sermo instituitur de regimine politico Judaeorum. At de earum constitutione, fine, mediis ad finem assequendum, fere nihil dicitur. Opus est igitur coniecturas facere, si velimus de eis fusius tractare. *T.* sibi non proponit suum argumentum rigore methodi scientificae evolvere Hocce ei propositum est, ut ex Scripturis Sanctis ea depromat, quae constitutionem atque historiam harum scholarum nos doceant Consecutiones practicas ex suis investigationibus eruit auctor. Tenet enim scholas ecclesiasticas in Russia instaurandas, eorumque lacunas in praesentia ex eo derivare, quod praeceptores in iis habeantur, spiritus praeceptorumque apostolicorum omnino expertes.

*A. Palmieri.*

## CROATICA.

**Vrhbosna.** Annus 1908. Praeest Dr. Ivan Šarić (nr. 1—9) et Dr. Ivan Dujmušić (nr. 10—24).

*Ivan Petar Bok* D. I., Nove odredbe rimske za čestu i svakidašnju sv. pričest (Nova de frequenti et cotidiana ss. communione decreta Romana). Nr. 1—5.

P Bok S. I., in quaestione de frequenti ss. communione versatissimus, tres hocce anno commentationes eadem de re conscripsit. In commentatione suprascripta varia adducit decreta ac responsa Romana, quae post celeberrimum illud decretum de frequenti et quotidiana ss. communione ab anno 1905 a P. Pio X. et a Congregationibus s. Concilii et Indulgentiarum anno 1906 et 1907 eadem de re emissa sunt. Decreta et responsa haec *B.* adducit atque explicat, ut ostendat, frequentem et cotidianam communionem populi christiani primum esse et maximum s. Patris Pii X. desiderium.

*Ivan Jablanović,* Bosanska kraljica Katarina u Rimu od 1466—1478. (De Catharina, regina Bosniae, ab a. 1466 usque ad a. 1478 Romae commorante.) Dissertatio ex historia Bosniensi. Nr. 2—5.

Catharina, de qua *J.* scribit, uxor est Stephani Thomae, paenultimi regis Bosniensis. Appropinquante regni interitu (1463) Catharina primum Ragusam petiit, dein vero venditis ibi possessionibus a. 1466 Romam advenit, ubi protectione Romanorum Pontificum fruens a. 1478 vita functa est. Scriptis copiosis prae manibus habitis tria auctor considerat. 1. Cur regina Romam petierit (p. 27), ad quam quaestionem respondet, Catharinam utpote reginam catholicam Romae praesidium quaesiisse et invenisse. Contra archimandritam Ruvarac demonstrat *J.*, Catharinam a Roma non fuisse alienam. 2. In secunda parte *J.* loquitur de epitaphio reginae in Ecclesia Romana »Ara Dei« (p. 58) eiusque authentiam contra Ruvarac defendit. 3 Maximi momenti tertia pars est, ubi de testamento reginae agitur (p. 104). Ex testamento undequaque valido patet, ius hereditarium ad regnum Bosniae Romano Pontifici competere.

*O. P. Grabić,* Religija čuvstva (De religione, quae conscientiae religiosae quae vocatur superstruitur). Nr. 8—10 et 13.

Dissertatio stilo fluenti et eloquenti elaborata, sed difficilis ad intellegendum. In introductione (p. 140) inculcat *G.* aetatem nostram esse aetatem ratiocinationis et exquisitionis (criticae). Ars critica subiectivismo, apriorismo, naturalismo etc. innixa religionem non solum

supernaturalem et positivam sed etiam naturalem destruit. Conceptum religionis »criticae« demonstraturus probat *G.* in 1. parte (p. 141), rationem humanam ad veritatem plene cognoscendam creatam esse, in 2. p. (p. 143) phaenomena religiosa in dependentia ab Ente supremo fundari. Cum dependentia haec a ratione cognoscatur, ratio in religione praevalet non affectus. Hoc non obstante »moderni« religionem affectui et »conscientiae« religiosae superstruunt, hinc non mirandum, eorum systema esse systema rerum inter se pugnantium (pars 3. p. 173). In ultima parte (p. 233) *G.* demonstrat, religionem modernistarum rationi humanae et catholicae nullo modo satisfacere.

Scriptori, qui verborum magnam vim possidet, commendamus, ut nexui logico et claritati magis attendat, vel saltem ut sententias maioris momenti diligentius exprimat.

*Ivan Petar Bok* D. I., Kruh naš svakidanji daj nam danas (Panem nostrum cotidianum da nobis hodie). Nr. 8—10, 13—14.

Dissertatio haec exegetica, liturgica et patristica attentionem meretur. Cum exegetae moderni multiplici s. Scripturae sensu reiecto litteralem tantum et typicum sensum admittant, et hinc quartam orationis Dominicae petitionem sensu litterali tantum interpretentur (sc. de pane materiali), *B.* multiplicem huius petitionis sensum propugnat, eumque de pane materiali, sacramentali, spirituali, sc. de bonis fortunae, gratiae, ss. Eucharistiae. Ad defendendam suam propositionem praeter decretum »Sacra Tridentina« multa colligit testimonia ex conciliis ecclesiasticis, ex effatis Romanorum Pontificum et liturgiis antiquis, dein vero ex ss. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis. In fine duas difficultates solvit, quas contra »panem sacramentalem et spiritualem« Knabenbauer et alii moverunt.

*Ivan Jablanović,* Prve pojave biskupije kršćanske u Bosni (Prima dioecesis christianae in Bosnia vestigia). Nr. 14 et 16.

Historia ecclesiastica regni Bosniensis suum scriptorem nondum habet. *J.*, qui recentiore tempore singulis ecclesiae Bosniensis quaestionibus studiose occupatur, in commentatione suprascripta inquirit, ubinam prima dioecesis christiana in Bosnia erecta sit et quando. Demonstrare conatur, primam sedem episcopalem historice certam fuisse »Bistue Novam«, religionem vero christianam in Bosniam sub Romanis adhuc imperatoribus introductam fuisse.

Dr. *Ante Alfirević,* O ravnopravnosti sv. Petra i Pavla (De aequalitate hierarchica ss. Petri et Pauli). Nr. 17—19.

Scriptores protestantici primatum Romani Pontificis impugnantes asserunt, s. Paulum eadem in primaeva ecclesia praerogativa, qua s. Petrum, immo maiore usum esse. Ad hoc efficiendum ad s. Scripturam, ad quasdam consuetudines primorum Pontificum, ad archaelogiam christianam provocant. Dr. *A.* omnes obiectiones ex s. Scriptura, ex usu Pontificum et archaeologia petitas clare refutat primatumque s. Petri in tuto ponit.

Dr. *Ivan Šarić,* Papa Pijo X. (Iosip Sarto). Nr. 21—22.

Haec summi Pontificis vita ab episcopo Caesaropolitano perpulchre delineata etiam libro separato (Sarajevo p. 105 in 8$^{0}$, pret. 1 cor.) edita est.

*Ivan Petar Bok* D. I., Lozinka Pija X. i njegova euharistična vojna (De tessera Pii X. ac de militia eius eucharistica). Nr. 21—22.

Fervens frequentis s. Communionis propugnator P. Bok ostendit, summum Pontificem in frequenti et cotidiana s. Communione optimum invenisse modum ad tesseram suam »instaurare omnia in Christo« ad effectum perducendam. *B.* clare et perspicue disserit, quaenam necessitas, quinam duces huius militiae fuerint, quomodo militia eucharistica a Summo Pontifice praeparata et convocata sit, quam constanter se Pius X. in hac militia gesserit quosque fructus bonos consecutus sit. Dr. *K. Dočkal.*

# PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

## De synodis orthodoxis iassiensi (1642) atque hierosolymitana (1672) earumque valore symbolico [1].

### I.

Inter symbolica theologiae orthodoxae documenta recensentur Acta synodi iasssiensis, quae Dositheus hierosolymitanus Actis synodi hierosolymitanae intexuit. Improprie tamen vox Actorum adhibita est ad significanda documenta, quae ex hoc promanasse concilio feruntur. Haec enim Acta nil aliud praeseferunt, nisi duas epistolas, in quibus de sessionibus vel de canonibus concilii iassiensis ne verbum quidem inicitur.

Prior epistola inscribitur *Ἐπιστολὴ συνοδικὴ πρὸς τὴν ἐν Ιασίῳ τοπικὴν σύνοδον*. Edita est nomine Parthenii I, Patriarchae constantinopolitani (1639—1644), qui synodum sua in urbe coegit, ut Calviniana Cyrilli Lucareos capita sollemniter damnaret [2]. De anno convocationis huius synodi ac promulgationis epistolae synodicae, quae ei tribuitur, non convenit inter scriptores. Communis

---

[1]) Elenchum heic perteximus operum, quorum pluries inicitur mentio in nostra disquisitione: Aymon, Monumens authentiques de la religion des Grecs, Hagae Comitum, 1708; Helladius, Status praesens Ecclesiae graecae, Altorfii, 1714; Dositheus, Δωδεκάβιβλος, Bucharestii, 1715; Schelstrate, Acta orientalis Ecclesiae, t. I, Romae, 1739; Perpétuité de la foi de l' Église catholique sur l' Eucharistie, t. II, III, Parisiis, 1841; Kimmel-Weissenborn, Monumenta fidei orientalis, Ienae, 1850; Pichler, Geschichte des Protestantismus in der orientalischen Kirche im XVII. Jahrhundert, Monachii, 1862; Gorskij et Nevostruev, Описаніе славянскихъ рукописей московской синодальной библіотеки, t. II, Mosquae, 1862; Winer, Comparative Darstellung des Lehrbegriffes der verschiedenen christlichen Kirchenparteien, Berolini, 1866; Gass, Symbolik der griechischen Kirche, Berolini, 1872; Philaretus, Обзоръ русской духовной литературы, Petropoli, 1884; Zöckler, Handbuch der theologischen Wissenschaften, t. III, Monachii, 1890; Gedeon, Πατριαρχικοὶ Πίνακες, Constantinopoli, 1890; Mechisedec (episcopus), Biserica ortodoxă in luptă cu protestantismulŭ. Bucharestii, 1890; Mesoloras, Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, Παράρτημα I, Athenis, 1893; Silvester (ep), Опытъ православнаго догматическаго богословія, t. I, ed. III, Kioviae, 1892; Müller, Symbolik, Erlangae, 1896; Legrand, Bibliographie grecque du XVII siècle, t. IV, Parisiis, 1896; Macarius, Введеніе въ православное богословіе, ed. VI, Petropoli, 1897; Michalcescu, Compendiu de teologie simbolică, Bucharestii, 1902; Macarius, Исторія русской церкви, t. XI, Petropoli, 1903; Michalcescu, Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, Lipsiae, 1904; Jugie, Histoire du canon de l' Ancien Testament dans l' Église grecque, et dans l' Église russe, Parisiis, 1909.

[2]) Allatius, De Ecclesiae occid. atque orientalis perpetua consensione, col. 1028.

tenet sententia eam habitam fuisse anno 1642 mense maio. Legitur enim in conclusione epistolae: Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, indictione decima [3]). Mirum tamen est Allatium, qui favet huic chronologiae, asseruisse synodum hancce celebratam esse statim atque in patriarchatu pedem fixisset Parthenius [4]). Cum autem Parthenius ad sedem patriarchalem evectus sit anno 1639, haud obscure colligitur convocationem praefatae synodi annum 1642 praecessisse.

Metropolita Macarius refert Bibliothecam synodalem mosquensem codicem miscellaneum possidere (A., No. 1, ff. 2—5), in quo synodalis epistola Parthenii asservatur, ibique clarissimis verbis traditur eam compositam fuisse anno 1640 mense maio [5]). Hancce chronologiam probarunt Legrandius [6]) et Melchisedech, episcopus romenus [7]). Synodicam igitur epistolam Parthenii, nec non synodum constantinopolitanam, quam ipse coegit, ad annum 1640 censent referendas. Synodo interfuerunt 45 antistites vel viri dignitatibus ecclesiasticis exornati, inter quos meminisse placet Petrum Mogilam, archiepiscopum et metropolitam kioviensem [8]).

Epistola synodalis Parthenii edita est prima vice Iassii die XX decembris anni 1642. Hoc eruitur ex adnotatiuncula priori editioni inserta, atque in postremo folio alterius editionis, parisiensis, recusa *Ἐτυπώθη ἐν Γιασίῳ τῆς Μολδοβλαχίας, ἐν τῇ σεβασμίᾳ καὶ αὐθεντικῇ μονῇ τῶν ἁγίων τριῶν ἱεραρχῶν κατὰ τὸ αχμβ′ ἔτος τὸ σωτήριον ἐν μηνὶ δεκεμβρίῳ κ′*. Huiusce tamen prioris editionis nullum amplius exstat exemplar, ut clarissimi viri testantur Legrandius et Bianu, qui bibliothecarum scrinia, ad eam detegendam, sedulo, sed incassum, rimati sunt [9]). Editio parisiensis lucem

---

3) Pichler, Op. cit., p. 223; Kimmel, p. 417.

4) Op. cit., col. 1082.

5) Исторія русской церкви (Historia russicae Ecclesiae), t. XI, (ed. II), Petropoli, 1903, p. 577. Clarissimus vir S. Golubev adnotat in codice qui citatur a Macario, synodicam epistolam Parthenii referri quidem ad annum 1640: attamen adiungitur indictio X quae respondet anno 1642. Adest igitur error in mentione anni, quem tamen errorem corrigit mentio recta indictionis. — Кіевскій митрополитъ Петръ Могила и его сподвижники (Petrus Mogilas, metropolita kioviensis, eiusque socii in rebus praeclare gestis), t. II, Kioviae, 1898, Appendix, p. 263. Communior igitur chronologia maioris probabilitatis notam praesefert. Alienum etiam a veritate non esset affirmare hancce epistolam conscriptam fuisse ante annum 1642, Mesoloras, p. 34, approbatam in synodo constantinopolitano mense maio 1642, et confirmatam paulo post in synodo iassiensi.

6) Bibliographie grecque du XVII siècle, t. IV, p. 114.

7) Biserica ortodoxă in luptă cu protestantismulŭ, p. 31.

8) Virorum nomina, qui huic epistolae subscripsere, refert Aymon, Op. cit., pp. 359—362. Apud eundem, textum reperies epistolae, commentariis instructum, quae contumeliis in Graecos affluenter scatent.

9) Bianu et Hodos, Bibliografia românéscă veche, t. I, Bucharestii, 1903, p. 119. Falso tradit Macarius hancce editionem vulgatam esse anno 1641. Ex ea inferri potest synodum, cui Parthenius praefuit, habitam fuisse anno 1642, alioquin epistola synodalis iam typis

aspexit anno 1643 hocce titulo: Parthenii, patriarchae constantinopolitani, Decretum synodale super calvinianis dogmatibus, quae in epistola Cyrilli nomine ante annos aliquot edita, falso Graecorum et orientalium consensu recepta ferebantur quae omnia damnantur ab iisdem, et anathemate notantur [10]). Iussu Petri Mogilae, in linguam polonicam versa, Kioviae edita est [11]).

Altera epistola inscribitur graece: *Ἐπιστολὴ τῆς ἁγίας συνόδου τῷ ἐκλαμπροτάτῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ Λουκί, θεοσεβεστάτῳ αὐθέντῃ καὶ ἡγεμόνι πάσης Μολδοβλαχίας, κ. κ. Ἰωάννῃ Βασιλείῳ Βοιβόνδᾳ σωτηρίαν παρὰ Θεοῦ* [12]). Ioannes Basilius quem Patres synodales vocant strenuum expugnatorem haereseon [13]), ad sedandas turbas, quas Confessio Cyrilli Lucareos apud orthodoxos excitarat, legatos oecumenici throni, una cum legatis russicae Ecclesiae in urbem Iassium accersivit, »ut spuria dogmata convellerent, editisque in publicum libris germanam orientalis Ecclesiae doctrinam explicando confirmarent« [14]). Melchisedec episcopus

---

mandata fuisset anno 1640. At nihil vetat quominus suspicamur eandem servatam fuisse ineditam in Codice Constantinopolitanae Ecclesiae, Kimmel, p. 417, et post eius confirmationem per synodum Iassiensem, tanquam documentum maiore instructum auctoritate, pervulgatum.

10) Legrand, Op. cit., t. I, pp. 450—451.

11) Macarius, Исторія etc., t. XI, p. 577. — Versio haec polonica inscribitur: Listy Swiętego Oyca Partheniusza, z miłosierdzia Bożego Archiepiskopa Konstantinopolskiego nowego Rzymu y oecumenici Patriarchae, pisane do Jaśnie Przewielebnego w Bogu Jego M-ci Oyca Piotra Mohiły, Archiepiskopa Metropolity Kijowskiego, Halickiego y wszystkiey Rusi, Archimandrity Pieczar., Przewielebnieyszych Jch M-ciow Oycow Episkopow prawosławnych y wszystkiego duchowienstwa prawosławnego, tudziesz y do Jch M-ci Panow stanu świeckiego, w ktorych znosi się potwarz włożona przed kilka lat na Cerkiew Vschodnią przez wydrukowanie xiążki Kałwinskiey nauki, pod imieniem s. pamięci nieboszczyka Oyca Cyrilla Patriarchy Konstantinopolskiego, a na przestrogę wszystkim prawosławnym posłuszeństwa s. Oyca Patriarchi Konstantinopolskiego synom, na polski ięzyk przełożone y wydane. Edita est anno Domini 1643 mense ianuario, die XVI in officina typografica monasterii kioviensis, cui nomen Печерскій. Unicum fortasse huiusce rarissimae editionis exemplar asservatur Leopoli, in bibliotheca Ossolinski. Eam recudendam curavit S. Golubev, Op. cit., t. II, Appendix, pp. 251—292.

12) Bina documenta reperiuntur in variis editionibus synodi hierosolymitanae, nec non apud Kimmelium, pp. 408—20; Mesoloram, 37—42, et Michalcescu, 154—158.

13) Kimmel, p. 418. De Ioanne Basilio gloriose praedicavit prolixo carmine Athanasius Patellarus: Στίχοι ἡρωελεγεῖοι Βασιλείῳ βοεβόδᾳ Μολδοβλαχίας, Papadopulo-Keramevs, Texte grecești privitoare la istoria românească, Bucharestii, 1909, pp. 439—449.

14) Sinodulŭ din Iasĭ s'a tinutŭ în anulŭ 1641; iar, judecândŭ dupe lucrările luĭ, s'a continuatŭ si în anulŭ 1642 (după numĕrarea bisericéscă). Delegatiĭ de la Kiev s'aŭ întorsŭ la Kiev tocmaĭ în tómna anuluĭ 1642 (dupe calcululuĭ bisericescŭ). — Op. cit., p. 31.

autumat hancce convocationem factam fuisse anno 1641: membra tamen synodi, ad munus sibi demandatum absolvendum, suas sessiones produxisse usque ad sequentem annum 1642. Legati vero metropolitae kioviensis, adulto iam autumno, suam in patriam redierunt [15]).

Ex sede constantinopolitana legati missi sunt Iassium, Porphyrius, metropolita nicaenus, et Meletius Syrigus, qui perdoctis in lutheranos scriptis perillustris theologi famam sibi comparavit. Ex metropoli autem kioviensi synodo interfuere Isaias Trofimovič, higumenus monasterii S. Nicolai, Kioviae; Ioseph Kononovič, higumenus monasterii Epiphaniae (Братскій богоявленскій), atque Ignatius Oksenovič. Hi tantum viri memorantur litteris subscripsisse, quas synodus iassiensis Iohanni Basilio dedit [16]). Non convenit inter scriptores an Petrus Mogilas, qui synodo constantinopolitanae adfuit, Iassium sese contulerit. Sententiam affirmativam tuentur Gedeon [17]) et Melchisedec [18]) qui, adiectis episcopis moldavis, undecim viros in eadem synodo sese congregasse statuit. Nihil tamen certi habetur, cum annalium romenorum conditores res in synodo gestas eiusdemque synodi convocationem alto praetereant silentio, ac paucas tantum incompositasque notitias de ea tradiderint historiographi graeci. Conicere licet membra huius synodi (si fas est hocce epitheto quinque virorum conventum cohonestare) tempore autumnali suas sessiones habuisse, ut Confessionem Cyrilli Lucareos, et Confessionem Orthodoxam Petri Mogilae sub examen revocarent, ac media inquirerent quibus toto terrarum orbi pateret macula corruptae per Lutheranos fidei Ecclesias orthodoxas haud sordescere. Praecipuum tamen huiusce conventus munus in eo repositum est ut confirmaretur epistola synodalis Parthenii I, quamobrem haud pauci scriptores censent synodum, ad quam referuntur documenta superius citata, potius constantinopolitanam quam iassiensem appellandam [19]). Non enim

---

15) Kimmel, p. 420.

16) Πατριαρχικοὶ πίνακες, p. 571.

17) Op. cit., pp. 35—36.

18) Der Name Synode zu Jassy ist ungenau, es war eigentlich eine zweite Synode von Constantinopel, deren Dekret den in Jassy versammelten Abgeordneten vorgelegt wurde und ihre Bestätigung erhielt. — Gass, p. 77. — Ὀρθότερον θὰ ἦτο, ἂν ἐκαλοῦντο πρακτικὰ τῆς ἐν Κ. τῷ 1642 ἐπὶ Παρθενίου συνελθούσης συνόδου, ἀποδεκτὰ γενόμενα καὶ ὑπὸ τῆς ἐν Ἰασίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ ἔτος γενομένης συνόδου. — Mesoloras, p. 33; Pichler, p. 226—227.

19) Meletius Atheniensis tradit concilium convocatum fuisse ut aggerem exstrueret adversus conatus Societatis Iesu, quae id temporis in Polonia et Lithuania ad progressus unionis fovendos strenue adlaborabat: Αἰτίαν λαβόντες ἐκ τούτων τῶν κεφαλαίων οἱ Ἰησουῖται παρεπίκραναν καθ' ἡμέραν τοὺς ἐν Λιτουανίᾳ, Οὐκραΐνῃ, Ποδολίᾳ καὶ Πολωνίᾳ διάγοντας χριστιανούς, λέγοντες, ὅτι ὁ Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως νὰ ἐκαλουΐνισεν, ὅθεν ἀδεῶς καὶ συχνῶς ἐβίαζον αὐτοὺς νὰ παπίσωσι. — Op. cit., t. III, p. 449. Hoc idem testatur Dositheus hierosolymitanus, Ἐγχειρίδιον κατὰ τῆς καλβινικῆς φρενοβλαβείας, Prooemium, Bianu et Hodos, Op. cit., t. I, p. 301; Δωδεκάβιβλος, p. 1171.

Iassii, sed Constantinopoli, composita est synodica illa epistola, quae nucleus est ac fundamentum synodi iassiensis.

Epistula Parthenii complectitur XVII capita quae totidem capitibus Confessionis Cyrilli Lucareos opponuntur. Caput septimum Confessionis, quod Christologiam enucleat, nulla in praefatis litteris inuritur censura, cum apprime respondeat doctrinae orthodoxae. Exinde factum est ut licet Confessio Cyrilli XVIII capita complectatur, decem septem tantum epistola synodica reprobet.

Parthenius rationes exponit quae eum moverunt ut synodicam epistolam in lucem proferret. Confessio Cyrilli maxime divulgabatur inter clericos et fideles, qui novitate doctrinae in ea contentae perterriti, etiam atque etiam Patriarcham rogarunt ut decerneret utrum sententiae Cyrillo tributae consonae fidei orthodoxae haberentur necne [20]). Ad animos exagitatos tranquillandos, Parthenius, una cum membris synodi Constantinopoli coactae, praevia diligenti investigatione, sancivit omnia capita confessionis cyrillianae, praeter septimum, haeresim Calvini continere, ac toto caelo a fide orientalium Ecclesiarum discrepare [20]). Damnavit igitur sententias in confessione cyrilliana prolatas, quin tamen Cyrillum ipsum anathemate percelleret. Etenim, ut Dositheus animadvertit, Cyrillus synodo visus est nunquam cum Calvinianis consentire, neque vel minimum ab orientalis Ecclesiae professione dissidere. In quem igitur cadere huiusmodi accusationem non aperte cognoverant, anathema dicere aequum non duxerunt, quamvis anathemate ignotum eorumdem capitum scriptorem perculerint [21]).

Synodi iassiensis acta permagni habentur a scriptoribus orthodoxis. Ut ait Mesoloras, Russi Graecique in unum coetum Iassii convocati, aperte commonstrarunt Ecclesiam orthodoxam supremum diem non obiisse, suaque dogmata inconcusse servare, nec non strenue ac sincere a novitatibus in Occidente pervulgatis abhorrere [22]). Valor epistolae synodicae Parthenii in eo praecipue consistit quod concinna brevitate enucleat ac reicit calvinianos errores, in confessione Cyrilli prolatos, fideique orthodoxae authenticam doctrinam exponit [23]).

---

20) Kimmel, pp. 408 - 409.

21) Ib., p. 421.

22) Ἡ ἐν Ἰασίῳ σύνοδος, αἱ ἀποφάσεις καὶ αἱ πράξεις αὐτῆς μεγίστης σημασίας τυγχάνουσι, διότι κατ' αὐτὴν συνησπίσθησαν Ἕλληνές τε καὶ Ῥῶσσοι, οἵτινες ἀπέδειξαν τοῖς τε Ἰησουΐταις καὶ τοῖς διαμαρτυρομένοις, ὅτι ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία ζῇ, ὅτι διατηρεῖ ἀσάλευτα τὰ ἑαυτῆς δόγματα, καὶ ὅτι θαρρούντως καὶ εὐπαρρησιάστως ἀποκρούει τὰς καινοτομίας τῆς Δύσεως. — P. 36; Malyševskij, Мелетій Пигасъ, t. I, pp. 627 628.

23) E., Notite istorice asupra timpuluĭ si impregiurălilor religióse în care s'au tinut sinodul din Iasi, Revista teologică, Iassii, 1883, pp. 102—208; Practicalele Sinoduluĭ din Iasĭ, care este al II-lea contra capitulilor luĭ Ciril, Biserica ortodoxa română, Ib. 213—216; 220—22; 239-40; 705—715; Biserica ortodoxă română, t. VII, pp. 705—715; Melchisedech, Biserica ortodoxă în luptă cu protestantismulŭ, pp. 25—58.

## II.

Maioris momenti quam synodus iassiensis est celeberrima illa synodus hierosolymitana, cui Dositheus praefuit, anno 1672 congregata. Tam scriptores orthodoxi, quam catholici et lutherani, uno veluti ore declarant, sive materiarum segete, sive theologicarum sententiarum praestantia anteactas graecae Ecclesiae synodos, synodum hierosolymitanam longe superare. In ea igitur illustranda si diutius immorer, haud abs re mihi videor facturus.

De synodo hierosolymitana quattuor inquiri possunt: α' Quibusnam causis quonam loco et quonam tempore haec synodus congregata sit; β' Quaenam documenta inter eius acta recenseantur, et quisnam feratur eorum auctor; γ' Quid nobis exhibeant haecce documenta; δ' Quisnam sit valor apologeticus et symbolicus actorum huius concilii[24]).

Causa, quae Dositheum impulit ad convocandam synodum hierosolymitanam, hisce verbis in actis synodalibus expromitur: »Matris nostrae apostolicae Ecclesiae doctrinam super his quae affinguntur illi, exponendam duximus, ut quae a Domino nobis tradita, ab apostolis promulgata, et a sanctis patribus conservata est fides nostra, nobis edicentibus, universo manifesta fiant mundo[25])«. Haec igitur fidei expositio, synodali sanctione communita, ad lutheranos calvinianosque ab ovilibus orthodoxis procul arcendos concinnata est. Etenim, Lutheri et Calvini asseclae, quamvis iterum atque iterum litterae graecorum Patriarcharum, concilia particularia, scriptaque theologorum eos adegerint ad agnoscendum suis in novitatibus nil sibi commune cum Ecclesiis orthodoxis, haud tamen animis concidebant, omnemque conatum persequebantur, ut triste in exitium fidei christianos orientales pertra-

---

[24]) De concilio hierosolymitano sub Dositheo Patriarcha praesertim egerunt: *Ittigius,* De Actis synodi hierosolymitanae anno 1672 sub patriarcha Hierosolymitano Dositheo adversus calvinistas habitae, in qua imprimis de Cyrilli Lucaris Confessione actum est, Heptas dissertationum selecta quaedam historiae ecclesiasticae veteris et novae capita illustrantium, Lipsiae, 1696, pp. 412—415; Aymon, Monumens authentiques de la religion des Grecs, Hagae Comitum, 1708, pp. 261—451; Cowel, Some account of the present greek Church with reflections on their present doctrine and discipline, Cantabrigiae, 1722, pp. 136—39; 146—51; Kiesling, Historia concertationis Graecorum Latinorumque de transsubstantiatione in Eucharistiae Sacramento, Lipsiae, 1754, pp. 310—24; Perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie, t. IV, Parisiis, 1841, coll. 71—296; Kimmel, Op. cit., pp. LXXV—XCII; Gorskij, О соборѣ іерусалимскомъ 1872 года (Synodus hierosolymitana anni 1872), Прибавленія operibus Sanctorum Patrum russice versis, t. XXIV, Mosquae, 1871, pp. 568—620; Lebedev, Исторія греко-восточной церкви подъ властію Турокъ, Petropoli, 1903, pp. 58—62; Palmieri, Dositeo, Patriarca greco di Gerusalemme, Florentiae, 1909, pp. 15—24.

[25]) Kimmel, p. 329.

herent. Ad rudes illaqueandos in regionibus orthodoxis Confessionem calvinianam Cyrilli Lucareos summis extollebant laudibus, tanquam speculum verae fidei orientalis, effutiebantque sese, vel in minimis, cum graecis doctoribus convenire, suamque doctrinam ne transversum quidem unguem ab orthodoxa doctrina discedere. Huiusmodi calumnias, quae in vulgus disseminabantur, sive pastores, sive theologi orthodoxi, pro virili contundere haud semel aggressi sunt. Nicolaus Spadarius librum conscripsit[26]), et Paisius Ligarides, metropolita gazensis, prolixiores litteras de mysterio eucharistico adversus lutheranos[27]). Integrum fidei decus suae Ecclesiae hierosolymitanae vindicavit Nectarius Hierosolymitanus Patriarcha in epistola apologetica ad Paisium, Patriarcham Alexandrinum (1668—1676)[28]). Parum tamen, aut nihil profecerunt vindices Ecclesiarum orthodoxarum. Improbitati gratis indulgentes, ut Dositheus enarrat, calvinianae haereseos fautores in Gallia suas de Deo rebusque divinis errores apostolicae ac sanctae orientali Ecclesiae affingebant, atque id quidem non modo sermonibus, verum etiam et scriptis, praesertim Iohannes Claudius Carentonensis, quocum diu ac feliciter decertavit Arnoldus.

Ad ora pseudo-reformatorum obstruenda, Dositheus, qui catholicam Ecclesiam aeque ac sectas protestantes vehementissimo prosequebatur odio, nullum praesentius adiumentum excogitavit, quam synodum coire, cui delatum fuisset munus technas haereticorum diluendi. Ut hocce propositum ad effectum adduceret, suis cohortationibus summopere Dositheum incitavit marchio Carolus Nointel, qui tunc temporis munere gallici legati apud Ottomanos fungebatur, vir multiplici doctrina instructus, rebusque catholicis promovendis maxime addictus[29]). Occasionem synodi convocandae nactus est Hierosolymitanus Patriarcha, cum sanctuario bethleemitico Nativitatis Domini permagnis sumptibus instaurato, sollemnibus caerėmoniis id rite dedicandum anno 1672 sibi proposuerit[30]). Convocavit igitur ad sollemnia plurimos ex Palaestina episcopos ac praelatos, qui omnes in unum coetum coierunt, ut ingruentia ex protestantium audacia christianis orthodoxis pericula deprecarentur.

Merito haec synodus hierosolymitana audit, quamvis sessio ad eam auspicandam in urbe bethleemitica hàbita sit, quo factum

---

[26]) Enchiridion sive stella orientalis occidentali splendens, Stockholmae, 1667. Cf. Gorskij, Loc. cit., pp. 577—78; Erbiceanu, Bărbatii culti greci și români, Bucharestii, 1905, p. 16; Legrand, t. IV, p. 62—104.

[27]) De hisce controversiis plura apud Richardum Simonem, Fides Ecclesiae orientalis, seu Gabrielis, metropolitae Philadelphiensis opuscula, Parisiis, 1671, pp. 105—143; Le Moni (pseudonymus eiusdem scriptoris), Histoire critique de la creance et des coûtumes des nations du Levant, Francofurti, 1684, pp. 37—64; Aymon, Op. cit., pp. 4—25.

[28]) Perpétuité de la foi, t. II, col. 1179—1184.

[29]) Perpétuité de la foi, t. III, col. 382.

[30]) Palmieri, Dositeo, pp. 14—15.

est ut prior editio actorum Synodus bethleemitica inscribatur. Ex luculento enim Dositheі testimonio constat membra concilii »in sanctam et magnam urbem Hierosolymam convenisse [31]).« Actis synodalibus subscripserunt Dositheus, Nectarius, septem metropolitae atque episcopi, et complures archimandritae, hieromonachi, presbyteri, summatim 71 viri. Horum subscriptiones refert Aymon [32]), qui tribus tabulis suo volumini adiectis, eas exhibet ad similitudinem autographi depictas. Concilium habitum est mense martio. Viri, qui ei interfuerant, suum nomen Actis apposuere die 16. martii. Testatur Dositheus Acta concilii una cum subscriptionibus transcripta fuisse in codice Patriarchatus, die XX maii eiusdem anni [33]).

Acta concilii binis constant documentis, quorum prius audit, Clypeus orthodoxae fidei; alterum vero Confessio fidei. De hac fidei confessione in paragrapho, quae subsequitur, fusius disceptabimus. Illud graece ita inscribitur: *Ἀσπὶς ὀρθοδοξίας ἢ ἀπολογία καὶ ἔλεγχος πρὸς τοὺς διασύροντας τὴν ἀνατολικὴν Ἐκκλησίαν αἱρετικῶς φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ὡς καταφρονοῦσιν οὗτοι αὐτοὶ οἱ Καλουῖνοι δηλονότι, συντεθεῖσα παρὰ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τοπικῆς συνόδου, ἐπὶ Ιοσιθέου Πατριάρχου Ἱεροσολύμων* [34]). Marchio Nointel exemplar actorum Synodi misit ad Ludovicum XIV regem Galliae.

Haec eadem acta primum typis vulgata fuere Parisiis anno 1676 hocce titulo: »Synodus bethlehemitica adversus calvinistas haereticos, orientalem Ecclesiam de Deo rebusque divinis haeretice cum ipsis sentire mentientes, pro reali potissimum praesentia anno 1672 sub Patriarcha Ierosolymorum Dositheo celebrata, interprete Domino M. F. (Míchael Foucqueret) O. S. B. [35]). Haec prior editi( recusa est Parisiis anno 1678 [36]), insertaque est ab Harduino in Actis Conciliorum [37]). Anno 1690 Dositheus ipse typis ea mandavit Bucharestii, hocce titulo: *Ἐγχειρίδιον, ἔλεγχον τὴν καλβινικὴν φρενοβλάβειαν συκοφαντοῦσαν τὴν ἀνατολικὴν, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν, φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων ὡς αὐτοὶ οὗτοι, οἱ καλουῖνοι δηλονότι κακοφρονοῦσι, προβάλλοντες εἰς πίστιν δῆθεν τῶν λεγομένων αὐτοῖς, τὰ λεγόμενα Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως κεφάλαια.* Alteram partem haec editio constituit voluminis, quod continet opus Meletii Syrigi *Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, καὶ ἐρωτήσεων Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως, Ἀντίρρησις.* Cum hunc librum alibi descripserim [38]), de eo satis habeo titulum

---

31) Kimmel, p. LXXVII, 425.
32) Pp. 437—442.
33) Ib., p. 446.
34) Kimmel, p. 325.
35) Legrand, Bibliographie hellénique du XVII siècle, t. II, pp. 336—337.
36) Ib., t. V, pp. 115—116.
37) T. XI, Parisiis, 1715, coll. 179—274.
38) Dositeo, pp. 86—89.

heic rettulisse. Hoc unum monendum puto, in praefatam editionem complures, et quidem maximi momenti correctiones invenisse Dositheum, praesertim in Cyrillo diiudicando, easque sedulo adnotasse conditores operis La perpétuité de la foi[39].

Clypeum fidei Aymon suae farragini monumentorum immiscuit, utque sibi mos erat, contumeliosis scurrilibusque verbis Dositheum eiusque socios lacessivit[40]) Quaedam tantum excerpta edidit Schelstrate[41]. Recentiore aevo eam vulgarunt Kimmelius[42], Mesoloras[43], Michalcescu[44].

Aymon multa invectus est in Dositheum, quem auctorem crepat documentorum ad synodum hierosolymitanam pertinentium[45]. Nemini dubium est quin Dositheus ipse praecitata documenta conscripserit, solusne, an laboris socio adhibito, me fugit. Scriptores operis La perpetuité de la foi, semel atque iterum id testati sunt[46]) Dositheus ea composuit tamquam praeses synodi, vel antequam synodus congregaretur, cum ea conscripsisset. proceribus suam in urbem convocatis ob dedicationem sanctuarii bethleemitici, legit, eosque rogavit ut sua approbatione haec documenta communirent. Quod tota synodus, vel plura ex eius membris collatis viribus eadem non composuerint, valorem symbolicum confessionis Dosithei, ac significationem historicam Clypei orthodoxae fidei non imminuit. In cunctis enim synodis contingit, ut scripta unius viri, quorum doctrina Patribus perplacet, ab eis ita approbentur, ut illud quod documentum erat individuale, per hancce approbationem synodicum evadat. Hoc idem de actis concilii hierosolymitani a Dositheo compositis asserendum est. Auctoritatem, quae documentis a synodis promulgatis tribuitur, eis vindicamus, tanquam consectarium subsequentis approbationis concilii. Paucis, Dositheus tam Clypeum, quam Confessionem orthodoxae fidei, ut privatus theologus conscripsit: utramque tamen sua sanctione synodus hierosolymitana ad fastigium documentorum synodalium, quae nomine cuiusdam Ecclesiae particularis promulgantur, evexit.

39) T. III, coll. 392 - 94.
40) Pp. 263—442.
41) Op. cit., t. II, pp. 651—652.
42) Pp. 325 488.
43) Pp. 55—129.
44) Pp. 126—182. Confessionem Dosithei, Acta synodi hierosolymitanae, et Confessionem Cyrilli Lucareos, adnotationibus instructa, anglice typis evulgavit nuperrime Robertson: The acts and decrees of the Synod of Jerusalem, sometimes called the Council of Bethehem, holden under Dositheus, Patriarch of Jerusalem in 1672, translated from the greek with an Appendix containing the Confession published with the name of Cyril Lucar condemned by the Synod, Londini, 1899.
45) Ce conciliabule n'est pas une confession de foi de l'Église de Jérusalem, ni des véritables Grecs des autres Églises de l'Orient, mais un écrit forgé clandestinement et frauduleusement par cet ex-patriarche. — P. 369.
46) T. III, col. 382.

γ' Clypeus fidei invectivas in protestantes et Cyrilli Lucareos apologiam complectitur. Dosithei sententia, Lutherus et Calvinus eidem haereticorum gregi accensendi sunt, quanquam nonnihil inter eorum doctrinas videtur interesse[47]). Dicteriis non parcit Dositheus in protestantibus refellendis eisque pudore afficiendis. »Cum enim ab Occidentalibus iamiam recesserint, seque ab omni demum Ecclesia catholica procul fecerint, manifestissime sese probant haereticos, immo et haereticorum coryphaeos. Nam falsa atque inepta non modo dogmata, sui supra modum amantes, induxere, si tanta dogmata licet fabellas appellare at etiam Ecclesiae prorsus extorres facti sunt, cum Ecclesia catholica, ut dictum est, nulla penitus communione coniuncti. Atque eorum quos suis seduxere fabulis, conversionem veluti pertimescentes, eo fraudis confugere, ut quod illi circa fidem sentiunt, hoc ipsum orientalem sentire Ecclesiam persuaderent[48]).« Doctrina Calvini malitia appellatur, quae exitialem pestem hominibus comparavit, et Calvinus ipse, non secus ac Belial, cum christianorum coetu nil habet commune[49]). Sex deinde capitibus, Dositheus Cyrillum Lucarim a macula corruptae per suam Confessionem fidei satagit purgare. Hancce confessionem appellat τὸ μέγιστον ματαιολόγημα asseclarum Calvini[50]), quapropter statuit: 1 Orbem orthodoxum nunquam Cyrillum agnovisse ut fidei suae desertorem, ac nunquam Confessionem eius nomine vulgatam agnovisse; 2 Etiamsi huiusce Confessionis Cyrillus poneretur auctor, asserendum foret eam clanculum vulgatam fuisse, atque inter Orientales neminem suspicatum esse nefarium hoc facinus eum perpetrasse; 3 Hac de causa Confessio pseudo-cyrilliana Ecclesiae orientali non potest appingi tanquam expositio fidei orthodoxae; 4 Christianos orientales ea penitus latuit, ac si quis eam agnoverit, eique adhaerendum putaverit, dubitandum non est quin haec adhaesio sibi velit eum a fide maiorum descivisse; 5 Cyrillus tam alienus fuit ab assentiendo calvinianis placitis, ut saepe saepius in suis ad clerum et populum sermonibus (horum excerpta congerit Dositheus) contraria edisseruerit. Pro comperto igitur est Cyrilli Confessionem veluti Confessionem Ecclesiae orientalis falso et calumniose perhiberi. »Sicut albo nigrum contrarium, et lucis privatio tenebrae sunt, ita evangelicae veritati divinitus revelatae, quam Ecclesia tenet orientalis, non modo contrarie opponitur dicta Cyrilli Confessio, sed et privative[51]).«

Hisce in capitibus, conatur Dositheus suadere, infirmis nixus argumentis, cyrillianam Confessionem, Cyrilli non esse fetum, eo quod ipse iureiurando se eam composuisse strenue negaverit,

---

[47]) Kimmel, p. 335.
[48]) Kimmel, p. 330.
[49]) Ib., p. 332.
[50]) Kimmel, p. 338.
[51]) Kimmel, p. 381.

doctrinamque in ea contentam reiecerit[52]). Ac verum quidem est, inquit, duas synodos anathemate eum perculisse. Haec tamen gravissima poena ecclesiastica in eum lata, non arguit hasce synodos Cyrillum tanquam auctorem famosae illius Confessionis agnovisse. Cyrillus enim culpa non omnino vacavit, cum sex annorum intervallo eam impugnare noluisset, ac silentium sibi indixisset. Hinc factum est ut maiore audacia haeretici Cyrillum calvinianis novitatibus mordicus adhaesisse creparent: »Cyrillum, etsi ignota sibi prorsus esse dicta capitula iurantem, eo dumtaxat quod ea scriptis impugnare renuit, duabus in synodis zelus orientalium ceu proditorem una cum capitulis anathematizavit[53]).

δ' Clypeum fidei, qui Acta proprie dicta synodi hierosolymitanae exhibet, pro arbitratu partiumque studio alii alias iudicarunt. Veteres theologi protestantes enixis viribus in id incubuerunt, ut eum omni destituerent auctoritate, ac depravata inter documenta spuriaque abicerent. Aymonius[54]) et Spanheim[55]) inflatis buccis hocce documentum vituperarunt, tanquam *κακόπλαστον* Dosithei, ac *λατινοφρώνων* qui ei adstipulati sunt. Idipsum igitur haud ex graeco fonte derivatum accepere, sed ex caenoso theologiae scholasticae Latinorum profluxisse praedicarunt. Kiesling Graecos insimulavit, auri sacra fame, puritatem fidei orthodoxae Latinis vendidisse, Nointelio emptore. »Difficilis non fuit opera haec a misellis Graecis extorquere documenta. Plerique enim e Patriarchis et episcopis hoc venenum iamiam in scholis romanis imbiberant, et ad hoc negotium feliciter conficiendum bene instructi adornatique erant. Alii vero ex Graecis, qui nomen suum huic synodo dabant, erant homines oppido indocti, et rerum sanctiorum expertes, quorum ignorantia egregie uti poterant curiae romanae oratores. Alii denique ex his viris erant pauperes, et aeris gallicani, ad sorditiem usque sitientes, quos nulla retinebat religio si vel maxime totius Ecclesiae graecae periret salus[56]).«

Audaciam harum calumniarum iam rettuderunt scriptores operis La perpétuité de la foi[57]). Potius quam in latinos

---

52) Kimmel, p. 395.
53) Ib., p. 397.
54) Op. cit., pp. 387; 396—97; 448—49.
55) De Ecclesiae graecae et orientalis a romana et papali in hunc diem perpetua dissensione adversus Abrahamum Ecchellensem, Petrum Arcudium, Leonem Allatium et nuperos ὁμοψήφους, Opera, t. II, Lugduni Batavorum, 1703, pp. 515—16.
56) Op. cit., p. 312.
57) Il aurait fallu montrer que ces documents ne s' accordent point avec la créance ancienne et présente de l' Église grecque, qu' ils ont été dressés par des personnes suspectes de collusion avec les Latins; que les formes n'ont pas été observées; que dans la suite ces décrets ont été désavoués, ou condamnés; que ceux qui les ont dressés ont été accusés comme novateurs; enfin, il aurait fallu qu' il paraisse quelque acte contraire qui détruise ceux de 1672, et qui contienne une exposition de foi toute différente, et généralement approuvée dans l' Église grecque. — T. III, p. 382.

theologos oblatrarent, eisque corruptae fidei orientalis per synodum hierosolymitanam notam inurerent, opus fuit theologis lutheranis antiquioris aevi ostendere doctrinam, quam haec synodus confirmavit, ex adverso stare veteris Ecclesiae graecae traditioni, vel a recentiore Ecclesia graeca censoria virgula signatam, vel authenticis graecae Ecclesiae documentis reprobatam. Fatendum tamen est, hasce calumnias perperam editas in vulgus tempestate illa, qua de transsubstantiatione inter latinos et lutheranos theologos acerrime digladiatum est, in praesentia scriptores ipsos protestantes stomachari. Audiatur prae ceteris Kimmelius: »Concedimus Aymonio Dositheum aliosque Ecclesiae graecae tunc temporis principes arta fuisse cum gallico legato et aliis magnae gratiae et dignitatis viris, Romanam fidem sectantibus, familiaritate coniunctos, quorum fortasse auctoritate et ipsa synodus convocata est. Nec vero ii mihi videntur fuisse, qui, ut Romanorum plausum reportarent, de suae Ecclesiae placitis, nedum de eius fundamento quidquam detrahi paterentur. Si Graeci a Romanis argumenta formasque argumentorum, rationes ac causas mutuati sunt nonnullas, ut suam fidem tutarentur, suam doctrinam magis probabilem vel plausibilem redderent, non a patrum doctrina descivisse putandi sunt, sed in ea exponenda tuendaque esse progressi. Quare synodus, de qua quaerimus, non pro sacrorum desertionis atque infidelitatis signo habenda est, sed processum ad rectiorem et subtiliorem suarum rerum descríptionem fecisse Graecos agnoscimus [58]).«

Scriptores quidam orthodoxi momentum Clypei fidei, eiusque valorem symbolicum nimis exaggerant. »In provincia theologiae symbolicae, iuxta Mesoloram, maxima est dignitas, maximus est valor Actorum synodi hierosolymitanae, quibus falsi rumores adversus fidem orthodoxam dissipati sunt, haereses damnatae fuere, et clarius luce meridiana patuit Ecclesiam orientalem medium iter persequi, regiam viam indesinenter tenere, quin dextrorsum vel sinistrorsum flectat, mordicus adhaerere doctrínae Servatoris nostri, prout ab Apostolis ipsa enucleata fuit et determinata per formulas ac definitiones ab Ecclesia una, sancta, catholica, quas afflante Spiritu Sancto in Conciliis oecumenicis coacta, de rebus fidei concinnavit. Acta synodi hierosolymitanae praecipua capita controversiarum fidei attingunt, in eis quae suis dubiis haeretici ínsperserunt, ac paucis verbis, sed fortiter in suis decisionibus spiritum veteris Ecclesiae doctrinasque imprimunt, easdemque comparant cum sententiis catholicorum occidentalium ac protestantium, qui in plurimis litteram et spiritum Sacrae Scripturae veterisque traditionis ecclesiasticae depravarunt, atque istis sententias orthodoxas opponunt [59])«. Haud secus sentit Alexander

---

58) Pp. LXXXVIII—XC.

59) Ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις σύνοδος καὶ τὰ ταύτης πρακτικὰ ἔχουσι μεγίστην ἀξίαν καὶ σημασίαν διὰ τὴν Συμβολικήν, διότι διὰ τούτων ἐτέθη τέρμα εἰς τὰς ψευδεῖς διαδόσεις, κατεκρίθησαν αἱ αἱρέσεις, καὶ ἀπεδείχθη ὅτι ἡ ἑλληνικὴ

Gorskij »Momentum dogmaticarum definitionum, quas haecce synodus concinnavit, totaque Ecclesia orthodoxa recepit, valorem symbolicum apud orthodoxos eis vindicat, atque in concertationibus cum duobus coetibus christianis, qui potiores habentur, plurimis in rebus ab antiquis conciliis nulli subiectis examini, quid nobis sentiendum statuit[60]).

Haec vere fortasse dici queunt de Confessione Dosithei, Actis inserta; ad Clypeum fidei tamen ea nullo modo referri, mea quidem est sententia. Hocce enim in documento pars apologetica polemicis invectivis interseritur. Pars apologetica in id exclusive tendit, ut Cyrillum Lucarim calviniana haeresi non fuisse infectum suadeat, integrumque fidei decus supremis rectoribus sedis constantinopolitanae vindicet. Itaque, a veritate alienum non est asserere cum Gassio, Dositheum hic patriarchatus Const. defensionem exarasse, cui non parum ignominiae defectio Cyrilli Lucareos a fide orthodoxa attulerat[61]). In Actis ergo praefatae Synodi causidicum egit Dositheus potius quam theologum; historicam disquisitionem instituit, quae ne hilum quidem ad theologiam symbolicam pertinet, cuius munus in fidei doctrina perspicue concinnanda reponitur. Iuxta principia theologiae othodoxae, Antistites constantin. aeque ac ceteri totius orbis orthodoxi episcopi, falli et fallere queunt. Nil igitur fidei interest Cyrillus fueritne haereticus necne. Historice quaestio pervestiganda est, eamque in libros symbolicos pertractandam usurpare, idem est ac finem horum librorum naturamque vel ignorare, vel pervertere.

Adde, quod propositum sibi munus statuendi Cyrillum a culpa corruptae fidei remotum fuisse, exitu haud secundo Dositheus absolvit. Tumido prooemio universis ubique terrarum ortho-

---

ἀνατολικὴ Ἐκκλησία τὴν μέσην ὁδόν, τὴν καὶ βασιλικήν, διαφυλάττουσα ἀπαραμειώτως, οὔτε πρὸς τὰ δεξιὰ οὔτε πρὸς τὰ ἀριστερὰ ἀποκλίνουσα, ἔχεται ἐρρωμένως τῆς τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίας, ὡς αὕτη ἀνεπτύχθη ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ διετυπώθη ἐν ὅροις καὶ δόγμασιν ὑπὸ τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς Ἐκκλησίας, ἐν πνεύματι ἁγίῳ συνερχομένης καὶ δογματιζούσης ἐν οἰκουμενικαῖς συνόδοις. Τὰ πρακτικὰ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις συνόδοις ἅπτοντες πάντων τῶν κυριωτάτων θρησκευτικῶν ζητημάτων, ἐν οἷς ἀμφιβολία τις εἶχεν ἐγερθῆ παρὰ τοῖς ἑτεροδόξοις, καὶ διατυποῦσι συντόμως μέν, ἀλλὰ συνεκτικῶς, ἐν ὅροις ἐκκλησιαστικοῖς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀρχαίας Ἐκκλησίας ἐν σχέσει συγκριτικῇ καὶ ἀντιθετικῇ πρὸς τὰς δοξασίας τῶν δυτικῶν καὶ τῶν διαμαρτυρομένων, τῶν διαστρεψάντων ἐν τοῖς πλείστοις τό τε γράμμα καὶ τὸ πνεῦμα τῆς τε Γραφῆς καὶ τῆς ἀρχαίας ἐκκλησιαστικῆς παραδόσεως. — Pp. 48—49.

60) Важность догматическихъ опредѣленій, этимъ соборомъ постановленныхъ и всею восточною Церковію признанныхъ, даетъ имъ въ Церкви православной значеніе символическое, и въ спорѣ съ двумя главнѣйшими вѣроисповѣданіями въ христіанствѣ установляетъ наши отношенія къ ихъ ученіямъ по многимъ пунктамъ, которыхъ древніе вселенскіе соборы не касались въ своихъ разсужденіяхъ. — Loc. cit, p. 568.

61) Die ganze diplomatisch geschraubte und unredliche Demonstration, beabsichtigt Ehrenrettung des Patriarchats und gleichzeitig Verdammung, der unter seinem Namen bekannt gewordenen Symbolschrift. — Pp. 80 81.

doxis clamat sedem oecumenicam veneni calviniani ne guttulam quidem hausisse. Semel tamen atque iterum aequitatis causae, cuius patrocinium arripuit, haud satis convictum sese praebet. Apertis verbis non audet asserere a labe calviniana Cyrillum immunem extitisse, neque argumentis utitur, quibus accusationes in eum latas discutiat. »Si Cyrillus, ait, Patriarcha oecumenicus cum esset, certe ac vere haereticus fuerit, ipseque decantata capitula composuerit, et alia quidem palam docuerit, alia vero corde crediderit; contra Orientalem Ecclesiam, Spiritus Sancti nunquam non praesidio circumvallatam, nequaquam ille scripsit aut credidit, sed contra propriam conscientiam [62])«. Haeret igitur Dositheus in tuenda memoria Cyrilli Lucareos. Durioribus etiam verbis in Capite V Cyrillum obiurgat, quem habet pro peccatore, et tali utique, quem ob illata Ecclesiae mala non levis apud Deum poena maneat; »Nunc autem auctorem impietatis factum, nedum non ut sanctum, sed miserum agnoscimus, atque omnis cum Christo participationis extorrem [63])«.

Excerpta autem homiliarum Cyrilli, quibus praecipue innititur Dositheus ad eum labe calviniana purgandum, ut Gass rite animadvertit, non merentur ut eis plena fides adhibeatur. Authenticitas enim eorum incerta est, atque etiam si omne dubium removeret, cum nos lateat quonam suae vitae tempore Cyrillus eas scripserit, obici semper potest Cyrillum eas composuisse, priusquam calvinianis laqueis irretiretur. Veritati igitur consonum est, quod sine verborum ambagibus ait Lebedev: »Textus Actorum saepe saepius ostendit, synodum hierosolymitanam, quae Cyrillum dealbare aggressa est, vix ac ne vix dimidium facti habuisse. Haud raro Acta Concilii in animum hancce persuasionem inducunt, auctoritatis ecclesiasticae patrocinium Cyrillum non mereri. Graeci quidem depereunt gloriam intaminatae fidei orthodoxae: historia tamen laudatoribus sui ipsius non commodat aures, neque eis de seipsis gloriantibus morem gerit [64])«.

Praeter apologiam Cyrilli Lucareos, continet C l y p e u s f i d e i invectivas in protestantes. Pauca de doctrina fidei orthodoxae in eis quae lutheranis placitis repugnant Dositheus in prooemio Actorum enucleat, quae tamen stylum et colorem polemicum

---

62) Εἰ γάρ, ὡς εἴρηται, Κύριλλος οὗτος ὁ ποτὲ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, βεβαίως καὶ ἀληθῶς ἦν, κἀκεῖνος συνέγραφε τὰ θρυλλούμενα κεφάλαια, καὶ ἄλλα μὲν ἐδίδασκε δημοσίως, ἄλλα δὲ ἐπίστευε τῇ καρδίᾳ, κατὰ τῆς ἰδίας συνειδήσεως ἔγραφε καὶ ἐπίστευσεν, οὐ κατὰ τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, ἣν περιέποι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. — P. 379.

63) Kimmel, p. 398.

64) Текстъ актовъ во многихъ случаяхъ даетъ возможность открывать, что, хотя соборъ имѣлъ цѣлію пообѣлить Кирилла, но онъ сдѣлалъ это лишь на половину. Во многихъ мѣстахъ разсматриваемыхъ Актовъ слышится очень явная неувѣренность въ томъ, что Кириллъ заслуживаетъ защиты и покровительства со стороны церковнаго авторитета.. Вообще Греки слишкомъ любятъ тщеславиться своимъ православіемъ. Но исторія съ своими задачами стоитъ выше всякихъ претензій и мелкаго самолюбія. — Pp. 59—60.

praeseferunt. Theologia polemica autem provinciam theologiae symbolicae non invadit. »Libri symbolici, ait quidam theologus russus, sensu strictiore in theologia nominantur publicae Confessiones fidei, scripto aliquo, nomine totius Ecclesiae, propositae, quibus definitur atque docetur quid Ecclesia de dogmatibus divinis sentiat, quove differat ab haereticorum sententiis [65])«. Hasce notas non praestat Clypeus fidei orthodoxae. Sex capita in quae distribuitur, cyrillianae Confessionis examen historicum instituunt, ac prooemium invectiva est in lutheranos et calvinianos. Desunt igitur huic documento dotes illae, quas necessarias ducimus, ut scriptio aliqua, synodali sanctione vel communita, inter documenta symbolica recenseatur. Quo fit, ut valorem historicum tantum ei vindicemus: haud enim parum inservit theologicis inter Graecos et Lutheranos concertationibus enarrandis. Id tamen librorum symbolicorum Ecclesiae orientalís elencho adnectere, tam character polemicus, quam doctrinae inopia, definitionumque ad fidem spectantium non sinunt.

Excusso clypeo fidei orthodoxae, gradum facimus ad praeclaram illam Confessionem fidei pervestigandam, quam Dositheus actis synodi hierosolymitanae, velut complementum, adnexuit. Tota vis symbolica praefatae synodi, ut reor, in Confessione Dosithei latet, cuius momentum in theologia orthodoxa iure meritoque supremum habetur. Catholicis autem theologis huiusce Confessionis studium quam maxume gratum est atque iucundum. Etenim, ea in lucem edita, prostrata iacuit humi calviniana haeresis, quae per dolum atque insidias inter orthodoxos serpere iam coeperat, uberiores pedetentim fructus perceptura, nisi praesules graeci, sua surripientes arma ex latinis panopliis, eam depulissent. Quae res luce clarius meridiana pandit, aetate illa, ad ingruentes adversus fidem errores explodendos, graecos theologos, inermes sese praebuisse, ac victoriam sibi tantum arrisisse, cum ex thesauris catholicae theologiae copiose hausissent.

De Confessione Dosithei iam iam dicturi, nobis inquirendum est; *α'* Quaenam sit doctrina in ea contenta; *β'* Quaenam recenseantur eius editiones ac versiones; *γ'* Quemnam influxum exercuerit latina theologia in graecum scriptorem, qui eam exarandam curavit; *δ'* Quinam eius sit valor symbolicus.

*α'* Confessio Dosithei graece inscribitur: *Δοσίθεος ἐλέῳ Θεοῦ Πατριάρχης Ἱεροσολύμων τοῖς ἐρωτῶσι καὶ πυνθανομένοις περὶ τῆς πίστεως καὶ θρησκείας τῶν Γραικῶν ἤτοι τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, πῶς δηλονότι περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως φρονεῖ, ἐν ὀνόματι κοινῶς τῶν ὑποκειμένων τῷ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῷ θρόνῳ Χριστιανῶν ἁπάντων καὶ τῶν ἐπιδημούντων τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ μεγάλῃ πόλει Ἱερουσαλὴμ ὀρθοδόξων προσκυνητῶν (οἷς πᾶσα ἐν τοῖς περὶ πίστεως ἡ καθολικὴ*

---

[65]) Theses theologiae e doctrina de principiis theologiae revelatae excerptae, Petropoli, 1804, n I.

*Ἐκκλησία συνᾴδει), ἐκδίδωσι σύντομον ὁμολογίαν ταύτην εἰς μαρτύριον πρός τε Θεοῦ πρός τε ἀνθρώπων εἰλικρινεῖ συνειδήσει, οὐδεμιᾶς ἄνευ προσποιήσεως* [66]).

Ipsa refragatur Confessioni Cyrilli Lucareos, quam acriter instanterque refellit, totidem adhibitis capitibus ac responsionibus, quot in illa reperiuntur. Ut clarior omnium oculis obversetur maxima discrepantia, quae inter calviniana placita fidemque orthodoxam habetur, Dositheus, qui Confessionis ei tributae perhibetur auctor, ipsissimis verbis locutionibusque confessionis Cyrillianae utitur eandemque usurpat rationem sententias expromendi enucleandique. Conficitur inde, duas confessiones, quae si utriusque spectes placita, toto caelo differunt, in rerum ordine complexuque, artissima quadam cognatione devinciri, faciemque simillimam praeseferre. Praesertim capitulum septimum Confessionis Cyrillianae, paucis tantum superadditis, in suam Confessionem Dositheus rettulit, ut apposita heic tabella luculenter prodit.

| Confessio Cyrilli | Confessio Dosithei |
| --- | --- |
| *Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κένωσιν ὑποστῆναι, τουτ' ἔστιν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα προσειληφέναι, ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀεὶ παρθένου Μαρίας συλληφθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, γεννηθέντα, παθόντα, ταφέντα, καὶ ἀναστάντα ἐν δόξῃ, σωτηρίαν πᾶσι τοῖς πιστοῖς καὶ δόξαν προξενῆσαι. Ὃν καὶ προσδοκῶμεν ἐλευσόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς.* | *Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ Ἰησοῦν Χριστὸν κένωσιν ὑποστῆναι, τοῦτ' ἔστιν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα προσειληφέναι ἐκ πνεύματος ἁγίου, ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀεὶ παρθένου Μαρίας συλληφθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, γεννηθέντα χωρὶς τοῦ δοῦναι πόνον ἢ ὠδῖνας τῇ ἰδίᾳ κατὰ σάρκα μητρὶ ἢ τὴν παρθενίαν αὐτῆς διασεῖσαι, παθόντα, ταφέντα, ἀναστάντα ἐν δόξῃ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς Γραφάς, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός, ὃν καὶ προσδοκῶμεν ἐλευσόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς.* |

Duodeviginti capitula, in quae Dosithei Confessio distribuitur, *ὅροι* (decreta, decisiones) vocantur. Primus *ὅρος* eadem fere repetit ac Cyrillus in primo capitulo suae Confessionis [67]). At in secundo, doctrinam Ecclesiae orthodoxae, quae maxime consona est theologiae catholicae, disertis verbis ad subruendam ex imo calvinianam haeresim, enucleat Dositheus. Ponit enim Sacram Scripturam a Deo traditam esse, eique propterea, non quidem ut lubuerit, sed secundum Ecclesiae catholicae traditionem et interpretationem

[66]) Kimmel, p. 425.

[67]) Synopsim confessionis Dosithei compararunt Kimmelius, pp. LXXXIII—VII, et Mesoloras, pp. 91—99.

adhibendam esse fidem omni dubitatione maiorem[68]. Consequitur inde, catholicae Ecclesiae auctoritatem haud quidem minorem esse Sacrarum Scripturarum auctoritate. Perspicue deinceps accurateque doctrinam de concordia inter divinam praedestinationem ac liberum arbitrium, quam haeretici caeca involvunt caligine, Dositheus explanat, Deumque hominibus velle non auferre declarat[69], neque malorum intentatorem haberi[70]: peccatum non a Deo esse, sed ab homine vel a diabolo (*ὅρος* IV); Deum mala permittere ac praescire, quin eorum dicendus sit provisor vel opifex (V); peccatum originale in omnem Adami posteritatem profluxisse, fructusque sibi proprios labores, aerumnas, corporis infirmitatem, discrimina vitae, mortemque habere (VI); Iesum Christum solum apud Deum esse mediatorem, intercessores vero Beatissimam Virginem, Angelos et Sanctos (VIII); sine fide, quae per caritatem operatur, scilicet quae divinorum praeceptorum observationem includit, neminem aeternam consequi salutem (IX). In decreto X, contento poplite dimicat Dositheus pro tuenda catholicae Ecclesia hierarchia, quae sine dignitate episcopali consistere nequit. »Non secus atque homini respiratio necessaria est, ac mundo sol, ita et necessarius Ecclesiae videtur episcopatus[71].« De supremo hierarchiae gradu fuse disserit Dositheus, ex Patribusque latinis suorum argumentorum confirmationem mutuatur, ac perbelle docet episcopalem dignitatem cum presbyteratus ordine miscendam non esse, ac diversis plane ab eo muneribus officiisque instrui.

Decretum XI, quid membrorum Ecclesiae nomine veniat, dilucide exponit, Ecclesiamque, quae catholica est, per Spiritum Sanctum edoceri subinde affirmat (XII), haud tamen immediate, ut haeretici effutiunt, sed per sanctos Patres, ac praepositos a Deo electos[72], quorum magisterium regulis conciliorum oecumenicorum innititur. In decreto XIII, vindicatur bonorum operum necessitas, ut fides ad iustificandum valeat[73]. Hocce autem principio statuto, gradum facit Dositheus ad probandum per lapsum originalem hominem non ita corruptum fuisse, ut quidquid boni habeat in ordine naturali, malum censeatur (XIV). Septem sacramenta in Ecclesia ex testimonio Evangeliorum statuuntur in decreto XV, eaque Dositheus describit, edisseritque quomodo admi-

---

68) Πιστεύομεν τὴν θείαν καὶ ἱερὰν γραφὴν εἶναι θεοδίδακτον, καὶ διὰ τοῦτο ταύτῃ ἀδιστάκτως πιστεύειν ὀφείλομεν, οὐκ ἀμελῶς μέντοι, ἀλλ' ἢ ὡς ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ταύτην ἡρμίνευσε καὶ παρέδωκεν. — Kimmel, p. 426.

69) Kimmel, p. 429.

70) Ib., p. 430.

71) Αὐτοῦ τὸ ἀναγκαῖον ἐννοοῦμεν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ὡς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὴν ἀναπνοὴν, καὶ ἐν τῷ κόσμῳ τὸν ἥλιον. — Kimmel, p. 438.

72) Ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος διδαχὴ οὐκ ἀμέσως, ἀλλὰ διὰ τῶν ἁγίων Πατέρων καὶ καθηγεμόνων τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καταγλαΐζει τὴν Ἐκκλησίαν. — P 444.

73) Πιστεύομεν οὐ διὰ πίστεως ἁπλῶς μόνης δικαιοῦσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ διὰ πίστεως καὶ ἐνεργουμένης διὰ τῆς ἀγάπης, ταὐτὸν εἰπεῖν, διὰ τῆς πίστεως καὶ τῶν ἔργων. — P. 445.

nistrari debeant, et quosnam effectus in anima producant. Fusiore calamo de baptismate atque eucharistia quid orthodoxa sentiat Ecclesia, determinat, ac praesertim, theologiae catholicae subsidio usus, transsubstantiationem eucharisticam definit atque illustrat. Verbum ipsum transsubstantiationis Dositheus usurpat, ad significandum panem et vinum, facta consecratione, vere, realiter, ac substantialiter, in corpus et sanguinem Domini converti[74]. In capite XVIII aperte tradit doctrinam catholicam de purgatorio, quamvis nomen ipsum purgatorii reiciat. Ait enim: »Eorum, qui peccatis impliciti, non in desperatione defuncti sunt, sed quod adhuc superstites paenituit, at nullum fecerunt paenitentiae fructum, lacrimas videlicet effundendo, genibus flexis in orationibus vigilando, semet ipsos afflictando, pauperes recreando, suam denique tum in Deum, cum in proximum caritatem operibus demonstrando, quae et catholica Ecclesia recte ab initio satisfactiones appellavit, horum, inquam, ipsorum animas credimus ad inferos abire, ibique iustas pro iis, quae commisere, peccatis poenas sustinere, at suae tamen exhinc futurae liberationis esse conscias et ab summa bonitate per sacerdotum precationes et eleemosynas, quas pro defunctis eorum propinqui faciunt, liberari. Ad hoc vero potissimum valet incruentum Missae sacrificium, quod peculiariter singuli pro consanguineis defunctis, catholica vero et apostolica Ecclesia cotidie pro omnibus communiter facit. Porro liberationis huiusmodi notum nobis esse tempus nequaquam dicimus; tales enim solvi quidem poenis, idque ante resurrectionem et universale iudicium et scimus et credimus; id vero, quando fiat, ignoramus[75]«. Per transennam adnotamus, hocce decretum, tanquam gorgoneum caput, uno agmine facto, tum theologos lutheranos et calvinianos, cum scriptores orthodoxos catholicae infestissimos Ecclesiae, quam maxume detestari atque aversari.

Quae sequuntur quaestiones ac solutiones, adeo arta cum catholica doctrina cognatione continentur, ut eas catholicum virum auctorem vel inspiratorem habuisse probe dixeris. Tenet

---

[74] Pp. 461–62.

[75] Τοὺς δὲ συμφθαρέντας θανασίμοις πλημμελήμασι καὶ μὴ ἐν ἀπογνώσει ἀποδημήσαντας, ἀλλὰ μετανοήσαντας μέν, ἔτι περιόντας ἐν τῷ μετὰ σώματος βίῳ, μὴ ποιήσαντας δὲ οὐδοτιοῦν καρπὸν μετανοίας — ἐκχέαι δάκρυα δηλονότι καὶ γονυπετῆσαι ἐν γρηγορήσει προσευχῶν, θλιβῆναι, πτωχοὺς παραμυθῆσαι, καὶ τέλος ἐν ἔργοις τὴν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν πλησίον ἀγάπην ἐπιδεῖξαι, ἅ καὶ ἱκανοποίησιν καλῶς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἀπ' ἀρχῆς ὠνόμασε — τούτων καὶ αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἀπέρχεσθαι εἰς ᾅδου καὶ ὑπομένειν τῶν ἕνεκα ὧν εἰργάσαντο ἁμαρτημάτων ποινήν· εἶναι δ' ἐν συναισθήσει τῆς ἐκεῖθεν ἀπαλλαγῆς, ἐλευθεροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἄκρας ἀγαθότητος διὰ τῆς δεήσεως τῶν ἱερέων καὶ εὐποιϊῶν, ἅ τῶν ἀποιχομένων ἕνεκα οἱ ἑκάστου συγγενεῖς ἀποτελοῦσι· μεγάλα δυναμένης μάλιστα τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἣν ἰδίως ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων συγγενῶν ἕκαστος καὶ κοινῶς ὑπὲρ πάντων ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ὁσημέραι ποιεῖ ἐκκλησία· ἐννοουμένου μέντοι καὶ τούτου τοῦ μὴ εἰδέναι ἡμᾶς δηλαδὴ τὸν καιρὸν τῆς ἀπαλλαγῆς. Ὅτι γάρ γίνεται ἐλευθερία τῶν τοιούτων, ἀπὸ τῶν δεινῶν καὶ πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστάσεώς τε καὶ κρίσεως οἴδαμεν καὶ πιστεύομεν· πότε δέ, ἀγνοοῦμεν. Kimmel, p. 463—64.

enim Dositheus, Sacram Scripturam utilem quidem ac necessariam esse, eamque tamen omnibus haud legendam (Quaestio I). Etenim, non omnibus est perspicua, quo fit ut doctissimorum ac sanctissimorum hominum explicationibus indigeat (Q. 11). Libros autem Scripturae Sacrae, quos malitiose haeretici apocryphos appellant, germanos inter libros eiusdem Scripturae percensendos tuetur Dositheus. In postrema quaestione sacrarum imaginum sanctorumque cultus, precationes ad Deum, monachalis vita, ieiunia denique, a calumniis Cyrilli sectaeque calvinianae vindicantur.

Haec omnia quae in sua Confessione explanat, statuta fuisse admonet Dositheus, ut mendacium everteretur quod in perniciem ignominiamque fidei orthodoxae calviniani novatores excogitarunt. Illud mendacium, quamvis perdocti scriptores graeci, Hieremias Patriarcha, Georgius Coresius, Gabriel Severus, Gregorius Chius, Ioannes Nathanael, Meletius Syrigus, Theophanes Hierosolymitanus detexerint, authenticis graecae Ecclesiae documentis explodere visum est, ut protestantium audacia obtunderetur.

Stylo polemico Dositheus utitur in decretis concinnandis, quibus suae Ecclesiae doctrinam coartat. Haud raro protestantes increpat, obiurgat, asperrimisque verbis lacessit. Eos enim scelestissimos haereticos (*παμμιάρους αἱρετικούς*) appellitat, cunctisque infidelibus peiores (*χείρους πάντων ἀπίστων*), indoctos (*ἀμαθεῖς*), miserrimos (*ἀθλίους*), sacrilegos (*βεβήλους*), homunciones (*ἀνθρωπίσκους*), nugatores ac novitatum artifices (*κενοφώνους*), circulatores (*τερατοποιούς*), qui blasphemias in Deum sanctosque continenter evomunt (*λαλοῦντας ἄδικα κατὰ τοῦ Θεοῦ καὶ βλάσφημα κατὰ τῶν ἁγίων*)[76]) Placita vero, quibus assentiuntur, sacrilega sunt, abominanda (*βέβηλα καὶ ἄνοστα*), calumniae in Deum (*συκοφαντίαι κατὰ τοῦ Θεοῦ*), iniquae blasphemiae contra divinam altitudinem (*ἀδικίαι καὶ βλασφημίαι εἰς τὸ ὕψος τοῦ Θεοῦ*), novitates (*νεωτερισμοί*), nugae (*κενοφωνίαι*), sophismata et inventa diaboli (*διαβόλου σοφίσματα καὶ ἐφευρήματα*), ineptiae ridiculae (*γελοῖα*)[77]). Nil mirum igitur si protestantes, spe amissa in suas sententias graecam Ecclesiam pertrahendi, Dositheum immiti animo adorti sint, eumque contumeliarum plaustris obruerint, ac penes latinos ipsummet sua mereri stipendia insimularint.

*β'* Confessio Dosithei editionibus Actorum synodi hierosolymitanae inserta est, varia tamen discrimina passa, quae Clypeus fidei non tulit. Dositheus ipse, cum persensisset nimium latinis theologis addictum sese praebuisse, quaedam suae Confessionis capita immutavit vel emendavit, in volumine quod eius cura et studio, adversus Calvinianos, lucem aspexit Bucharestii, anno 1690. Testatus enim est se in errorem incidisse, cum doctrinam orthodoxam de statu animarum in altera vita concinnaret, quapropter,

---

[76]) Kimmel, pp. 429, 430, 457, 480, 485.
[77]) Ib., pp. 429, 430, 462, 479, 480, 485.

sui ipsius corrector effectus, fusius atque accuratius decretum XVIII enucleavit [78]).

Insuper, cum praesentiam realem Iesu Christi in Sacramento altari vindicaret, uberrima locorum segete ex sanctis Patribus collecta, suam sententiam munitissimo tanquam vallo circumsaepsit, ut cuniculos calvinianis novitatibus obstrueret, maioreque nisu, bonorum operum naturalium insufficientiam ad salutem aeternam hominibus comparandam in decreto XIV tuitus est [79]).

Mense septembri 1723 orientales Patriarchae Hieremias III Constantinopolitanus (1716—26; 1732—33), Athanasius Antiochenus (1686—1724), et Chrysanthus Hierosolymitanus (1707—1731) epistulam miserunt ad episcopos iniuratos (non-iurors) Britanniae [80]), qui, occasione arrepta ex itinere Arsenii, metropolitae Thebaidos in Angliam, omnem lapidem moverunt, ut foedus cum Ecclesiis orthodoxis pangerent [81]). Adnotasse iuvat hocce negotium anglicanis male cessisse, non secus ac lutheranis saeculo XVII. Sua in responsione, patriarchae, quorum nomina percensuimus, declarant dogmata et cogitata Ecclesiae orientalis, iam pridem a conciliis oecumenicis excussa fuisse, definita et constituta, eisque aliquid addere, vel ab iis detrahere haud licere, ideoque unionis ineundae cum Ecclesia orthodoxa cupidis onus incumbere iis adhaerendi ac parendi, quae in conciliis oecumenicis Patres statuerunt [82]). »Ad pleniorem tamen et certissimam eorum persuasionem«, Patriarchae (hortatu praesertim, ut reor, Chrysanthi Hierosolymitani, Dositheo avunculo addictissimi) anglicanis mittunt uberrimam expositionem orthodoxae fidei Ecclesiae Orientalis, quemadmodum continetur in Actis Synodi vulgo dictae Hierosolymitanae, quae anno 1672 »accurata consideratione« coacta est. Ex hac expositione certissime nosci potest atque hauriri fides Ecclesiae orientalis [83]). Una cum hisce litteris, iidem Patriarchae epistulam miserunt ad synodum russicam, adiecta Confessione

---

78) Χρὴ εἰδέναι ὅτι ἐν τῷ ἐγχειριδίῳ τῷ ἐπιγραφομένῳ τῆς ἐν Βηθλεὲμ συνόδου, ἡμαρτημένως εἰπὼν ὁ συγγραφεὺς περὶ τοῦ κεφαλαίου τούτου τοῦ ιη′ ἤδη ἐπιδιορθούμενος ἑαυτὸν εἰς πλάτος ἐξήνεγκεν αὐτὸ εἰπὼν πάντα τὰ ἀναγκαῖα περὶ αὐτοῦ. — Ἐγχειρίδιον, etc., p. 82; Palmieri, Dositeo, pp. 88—89; Gorskij, Loc. cit., p. 618.

79) Gorskij, pp. 617—618.

80) De hisce episcopis disserit L. Petit, apud Mansi, t. XXXVII, coll. 372—73.

81) Howard, The schism between the oriental and western Churches, Londini, 1892, pp. 100—107; Hore, Eighteen centuries of the orthodox greek Church, Londini, 1899, pp. 594—612.

82) Mansi — Petit, t. XXXVII, col. 542.

83) Εἰς πληρεστέραν δὲ καὶ ἀναντίρρητον πληροφορίαν, ἰδοὺ πέμπομεν ὑμῖν πλατυτέρως τὴν ἔκθεσιν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς ἀνατολικῆς ἡμῶν Ἐκκλησίας, καθὼς περιέχεται ἐν τῇ πρὸ χρόνων ἱκανῶν γενομένῃ μετὰ σκέψεως ἀκριβοῦς συνόδῳ ἱεροσολυμιτικῇ λεγομένῃ κατὰ τὸ ἀχοβ′ ἔτος τὸ σωτήριον . . Ἐντεῦθεν ἔχεται γνῶναι καὶ καταλαβεῖν ἀδιατάκτως τὸ ἡμέτερον τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς καὶ ὀρθόδοξον φρόνημα. — Ib., coll. 542—43.

Dosithei. »Misimus, scribunt, expositionem ac sententiam rectae fidei nostrae et apostolicae orientalis Christi Ecclesiae, quae expositio accuratum simul est responsum cunctis propositis quae ab illis (episcopis Britanniae) afferuntur, nec quicquam aliud praeter eam habemus, quod dicamus et respondeamus [84])«. Textus Confessionis Dosithei quam Patriarchae orientales ad episcopos Britanniae exhibuere, textui editionis parisiensis Actorum synodi hierosolymitanae conformatur, omissis epilogo, et parte polemica quaestionis IV a verbis *Προστίθησι δὲ τοῖς εἰρημένης* usque ad finem [85]). Praeter recensitos patriarchas, novem episcopi graeci, quorum nomina in Actis Conciliorum referuntur [86]), hisce litteris subscripserunt.

Anno 1691 discipuli Ioannicii ac Sophronii ex genere Lichudorum (*Λειχοῦδαι*), qui studiis theologicis ac philosophicis in Russia inclaruere, ac Mosquae academiam graeco-slavicam condidere, Acta synodi hierosolymitanae una cum Confessione, prout habetur in Enchiridio Dosithei (1690), ex graeco idiomate in russicum verterunt. Interpretum nomina haec sunt: Joseph Athanasiev, Alexius Kirillovič Barsov, Nicolaus Semenov, Theodorus Polikarpov, Theodotus Aggeev et monachus Job [87]). Huiusce versionis exemplar in bibliotheca synodali mosquensi asservatur [88]). Anno 1728 novam versionem ex textu editionis parisiensis comparavit Alexius Kirillovič Barsov, qui ductu Lichudorum, graecam linguam apprime didicit, eamque in academia mosquensi professus est [89]). Haec etiam versio inedita asservatur Mosquae in bibliotheca Tolstoiana [90]). Inscribitur: Щитъ православія, или отвѣтъ и обличеніе ко оглаголующимъ восточную церковь еретикомъ, аки бы она мудрствуетъ въ сущихъ о Бозѣ и о божественныхъ якоже и они, сирѣчь Калвини, зломудрствуютъ. Сложены отъ помѣстнаго іерусалимскаго собора, при Доснееи, патріархѣ іерусалимскомъ, 1672 года, мѣсяца марта въ 16 день [91]).

---

[84]) Πέμπομεν τὴν ἔκθεσιν καὶ τὸ φρόνημα τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς καθ' ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ ἁγίας καὶ καθολικῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, ἥτις ἔκθεσίς ἐστι καὶ ἀπόκρισις ἀκριβὴς πρὸς πάσας τὰς προτάσεις τῶν ὑπ' ἐκείνων προβαλλομένων, καὶ ἐκτὸς ταύτης οὐδὲν ἄλλο ἔχομεν εἰπεῖν καὶ ἀποκριθῆναι. — Ib., col. 537.

[85]) Kimmel, pp. 480—487.

[86]) Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 577—579.

[87]) *Smencovskij*, Братья Лихуды: опытъ изслѣдованія изъ исторіи церковнаго просвѣщенія и церковной жизни конца XVII и начала XVIII вѣковъ (Fratres Lihudy: specimen investigationum circa historiam culturae vitaeque ecclesiasticae ad finem vergente saeculo XVII, atque albente saeculo XVIII), Petropoli, 1899, p. 232.

[88]) *Gorskij* et *Nevostruev*, Op. cit., t. II, 3, pp. 490—94.

[89]) *Smencovskij*, p. 388.

[90]) *Kalajdovič* et *Stroev*, Описаніе рукописей Толстого, Mosquae, 1825, Cod. 120; Philaretus, Обзоръ etc., pp. 156—157.

[91]) *Stroev*, Библіологическій словарь и черновые къ нему матеріалы (Lexicon bibliologicum rerumque sylva non elaborata ad comparandum idipsum), Petropoli, 1882, p. 34.

Anno 1838 synodus petropolitana in lucem edidit dogmaticos *ὅρους* confessionis Dosithei[92]). De hac versione censuit Gorskij eam maiorem accurationem ac praecisionem in sententiis theologicis enucleandis exhibere quam graecum textum, cuius excellentiae rationes satis assequi non potuit. »Me enim latet, ait, graecus textus, quem ad versionem suam comparandam, interpretes russici usurparunt [93]).« At certo certius in praesentia constat Philaretum metropolitam mosquensem, ex graeco idiomate in russicum *ὅρους* Dosithei non solum transtulisse, verum etiam pro arbitratu emendasse, ut placitis theologiae orthodoxae apprime responderet.

Verbigratia, in decreto XVI, Dositheus scripserat Baptisma, non secus atque ordinem sacrum, characterem indelebilem imprimere: *ἐντίθησι δὲ τὸ βάπτισμα καὶ χαρακτῆρα ἀνεξάλειπτον* [94]). Haecce sententia latinismum redolere visa est Philareto, qui eam expunxit. Ad sententiam enim scriptorum orthodoxorum, consecratio sacerdotalis characterem indelebilem non imprimit, ac Latinorum doctrina super hac re nullis nititur fundamentis, testimonio canonum non fulcitur, ac talis est ut perniciem afferat Ecclesiae [95]).

Insuper in tertia quaestione. ut iam innuimus, inter canonicos Sacrarum Scripturarum libros Dositheus recenset Sapientiam Salomonis, libros Iudith, Tobiae, Machabaeorum, et Sapientiam Sirach. Visum est Philareto hancce sententiam Dosithei consonam non esse traditioni fidei orthodoxae, quamobrem praecitatum locum omnino praetermisit. Ad primam itidem quaestionem An deceat Sacram Scripturam communiter ab

---

[92]) Inscribitur: Царская и патріаршая грамоты о учрежденіи Святѣйшаго Синода, съ изложеніемъ православнаго исповѣданія восточно-каѳолической Церкви (Litterae imperiales et patriarchales ad sanctissimae Synodi institutionem spectantes, quibus adnectitur Confessio Ecclesiae catholicae orientalis), Petropoli, 1838; Mosquae, 1846; 1853 (III editio). Haec eadem Confessio edita est etiam russice hocce titulo: Изложеніе вѣры составленное на соборѣ іерусалимскомъ (Expositio fidei composita in synodo hierosolymitana), Воскресное Чтеніе (Lectio dominicalis), Mosquae, 1840, t. IV, pp. 139—144.

[93]) Loc. cit., p. 619.

[94]) Kimmel, p. 456.

[95]) Ἐξετάζοντες τὴν λατινικὴν ταύτην θεωρίαν, εὑρίσκομεν αὐτὴν πρῶτον μὲν ἀβάσιμον, δεύτερον δὲ ὀλεθρίαν ὡς πρὸς τὰς συνεπείας. Ἡ ἰδέα περὶ τοῦ ἀνεξαλείπτου χαρακτῆρος, ὅστις δῆθεν ἐπιτίθεται διὰ τῆς χειροτονίας, δὲν δύναται νὰ ἐπιβεβαιωθῇ ὑπὸ σαφῶν ὁπωσδήποτε μαρτυριῶν τῶν ἡμετέρων κανόνων. Περὶ αὐτῆς οὐδεὶς λόγος γίνεται ἐν τοῖς κανόσι, καὶ αὐτὴ δὲ ἡ ἔκφρασις ἀνεξάλειπτος οὐδ' ἅπαξ ἀπαντᾷ. — Christodulos, Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, Constantinopoli, 1896, p. 205. Doctrinam catholicam de charactere indelebili ordinis sacri concinne atque erudite exposuit I. P. Sokolov: Ученіе римско-католической церкви о таинствѣ священства (Doctrina Ecclesiae romano-catholicae de sacramento Ordinis sacri), Petropoli, 1907, pp. 321—436.

omnibus legi christianis, Dositheus plane respondet: Non decet (*οὔ*). Negationem expunxit Philaretus[96]).

Hasce mutationes omissionesque pro lubitu perpetrandi sibi ius usurpavit Philaretus. »Procul dubio, ait Lebedev, theologus qui rebus dogmaticis studet, gaudio afficietur, eo quod Philaretus decreta synodi hierosolymitanae emendaverit. At rerum gestarum scriptor, qui sine partium studio vetera ac genuina diiudicat monumenta, fortasse non sine maerore animadvertet, antiquum documentum, si verbis Philareti uti velimus, formosius evasisse, nativa excussa ruditate[97]).

Ex scriptoribus theologiae symbolicae, graecum textum Confessionis Dosithei typis mandarunt Kimmel[98]), Mesoloras[99]), Michalcescu[100]).

*γ'* Confessionem hancce legenti primo intuitu innotescet, in methodo et ratione scribendi verbisque deligendis, ex latinis fontibus haud raro Dositheum hausisse. Mihi quidem non est animus denegare fidei orthodoxae doctrinam in ea contineri. Ut meum assertum exemplis illustrem, Cyrillus scripserat Spiritum Sanctum a Patre *δι' Υἱοῦ* procedere. Incisum illud, perinde ac si latinam illius Filioque redoleret haeresim, non placuit Dositheo, qui processionem Spiritus Sancti a Patre simpliciter asserit. In decreto X, quamvis primatum Romani Pontificis aggressus non fuerit, eo ipso tamen quod statuit, nullis explicationibus adhibitis nullaque

---

96) Huiusce omissionis mentionem non reperio apud Petit, Loc. cit., col. 567. Confessio Dosithei, quam Philaretus mutilavit, graece edita est in opere: Τὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν γράμματα περὶ τῆς συστάσεως τῆς ἁγιωτάτης συνόδου, μετ' ἐκθέσεως τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῆς ἀνατολικῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, Petropoli, 1840. Testatur Lebedev hancce editionem eadem omittere quae Philaretus delenda censuit, Исторія греко-восточной Церкви, p. 62. Cum tamen prae manibus eam non habeam, nescio utrum particula negativa οὔ expuncta fuerit necne. Graecum textum editionis petropolitanae, quaestionibus omissis, germanice reddidit Lauchert: Glaubensbekenntnis des Patriarchen Dositheos von Jerusalem, aus den Akten der Synode von Jerusalem. Revue Internationale de Théologie, t. I, 1893, pp. 210—236.

97) Безъ сомнѣнія догматистъ порадуется тому, что Филаретъ потрудился надъ исправленіемъ текста опредѣленій, но историкъ, имѣя пристрастіе ко всему архаическому и первоначальному, можетъ быть и поскорбитъ, что памятникъ получилъ слишкомъ правильный и не дикій видъ, какъ выражается святитель Московскій. — Ib., p. 62; Iugie, p. 75.

98) Pp. 425—487.

99) Pp. 103—129.

100) Pp. 160—182. Cf. etiam Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 543—578. De editione Aymonii (pp. 367—424) nostram facimus sententiam Kimmelii: „Hicce scriptor Acta synodi hierosolymitanae tantopere decurtavit, tam multa resecuit, quod miror viros doctos latuisse, ut vix quod praebuit, pro editione possit haberi“. — P. XCI. Anglice reperitur Confessio apud Schaffium, The creeds of Christendom, t. II, Neo-Eboraci, 1877, pp. 401—445.

distinctione inter caput invisibile Ecclesiae, et caput visibile, Iesum Christum totius Ecclesiae caput haberi, implicite, ut mos est loquendi orthodoxis, romanae sedis praerogativas renuit. Ex decreto XVIII colligitur etiam purgatorium (nomine tantum censeo) Dositheum non admisisse, ut Gorskij coicit [101]. Fatendum tamen est, blandis verbis ipsummet usum esse, ac de industria quidquid in latinos contumelias sonaret, missum fecisse.

Praeterea, ex latina theologia complura, et quidem gravioris momenti, Dositheum hausisse in comperto est. Verbi gratia, voce utitur *βεβαίωσις* quae latinum verbum »confirmatio« graece ad amussim reddit, ad sacramentum confirmationis designandum, cum constet Graecos hocce sacramentum *μύρον, χρῖσμα* appellitasse. Hoc idem asserendum de verbo *ἱκανοποίησις* (satisfactio). Semel atque iterum usurpat etiam epitheton catholici ad significandam simpliciter Ecclesiam Orientalem.

Insuper, in sacramentorum effectibus determinandis, docet sacramentum ordinis signum indelebile in anima imprimere, ut superius innuimus. In statu animarum, quae corporis compagine exsolutae sunt, discutiendo, quam proxume ad sententiam catholicam accedit Dositheus. Catholicae etiam favet doctrinae in quaestionibus enodandis, quae ad Sacras Scripturas pertinent. Addimus, testimonia latinorum Patrum usurpasse eum in suis sententiis auctoritate traditionis fulciendis. Augustinus ter citatur [102]; semel Cyprianus [103]; semel Damasus, romanus Pontifex [104].

---

[101]) Loc. cit., p. 613.

[102]) Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 561—562.

[103]) Dositheus citat quidem epistulam Tertulliani ad Papianum in qua episcopi omnes Apostolorum vocantur successores, Ib., col. 551. Recte adnotat L. Petit se epistulam hanc non novisse. Σφάλμα Dosithei iam emendaverat Gorskius. Epistola quae heic citatur, Tertulliani non est, sed Cypriani ad Florentium Papianum. Locus, ad quem alludit Dositheus, ita se habet: „Christus, qui dicit ad Apostolos ac per hos ad omnes praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit" — P. L., t. IV, col. 403; Gorskij, p. 613.

[104]) Pro Damaso romano, Damascenum Dositheus dixit, quo factum est, ut in notis ad Confessionem apud Mansi L. Petit declararet se ignorare epistulam IV Damasceni ad Africanos. Hocce alterum σφάλμα correxit Gorskius. In epistula IV ad Stephanum archiepiscopum atque ad concilia Africae Damasus haec habet: „Oportet iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum Domini divinam praeceptionem, nos, qui supra domum eius, hoc est, universalem Ecclesiam catholicam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare . " *Mansi*, t. III, col. 431. Haec tamen verba, quae de cunctis episcopis dicta esse Dositheus et Gorskius autumarunt, sive ex contextu, sive ex litteris Stephani ad Damasum, Ib., coll. 430—431 ad Romanos Pontifices solum apparet spectare, eo magis quod alibi Damasus affirmat „sanctam romanam Ecclesiam, nullis synodicis constitutis, ceteris Ecclesiis praelatam esse, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum habuisse". — *Mansi*, t. VIII, col. 158, in Decreto Gelasii Papae de libris recipiendis et non recipiendis. Compertum est priorem partem huiusce docu-

Dissertissimis denique verbis, Dositheus doctrinam catholicam transsubstantiationis concinnavit, ex fontibus ipsis theologiae scholasticae vel nomine transsubstantiationis hausto. Hinc factum est ut cavillationibus protestantium penitus intercluderetur aditus. Concilia enim graeca annis 1638 et 1642 convocata theologis pseudo-reformationis ansam suppeditabant blaterandi Graecos obscure suam sententiam quoad mysterium eucharisticum proposuisse, eo quod sese abstinuissent a verbo transsubstantiationis usurpando. »Silentio non est praetermittendum, ait Kiesling, his in duabus synodis verbum *μετουσιώσεως* non esse adhibitum, quod documento est illud Graecis hactenus displicuisse. Quamvis autem his in synodis Graeci Reformatorum debellassent, de re eucharistica, sententiam, non tamen ex asse satisfecerant romanensibus, qui rotundiorem et planiorem ab iisdem expectabant declarationem nomine *μετουσιώσεως* inprimis instructam, quo intellegeretur Graecos transsubstantiationis adoptasse persuasionem [105].« Confessio igitur Dosithei tergiversantibus lutheranis ora obstruxit. Fatente Kieslingio, in hac synodo »Patres graeci ex imperio et voluntate romanensium verbum *μετουσιώσεως* in suorum maiorum adhibuerunt pudorem« [106].

Novitatem vocis in graeca theologia contumeliose irriserunt protestantes [107], qua in re Schollineri, O. S. B., verba recolenda: »Quod Graeci dictione *μετουσιώσεως* usque ad Gennadium usi non fuerint, nihil evincit; cum enim Graecis transsubstantiationis dogma nunquam in disceptationem venerit, parum fuerunt solliciti de nova voce, contenti antiquis, idem tamen prorsus significantibus vocabulis [108].« Adde, quod antequam ederetur confessio Dosithei, complures iam usurpaverant scriptores graeci verbum *μετουσίωσις*, ut Georgius Coresius, Dionysius protosyncellus, Gabriel

---

menti excerpta praeseferre antiquioris decreti, quod Damaso et cuidam romano concilio ab eo congregato tribuitur, Hergenröther, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, t. I, Friburgi, 1902, pp. 404, 444; Hefele, Histoire des Conciles, t. II, 2, Parisiis, 1908, pp. 941—943. Mirum est hocce testimonium silentio praeteriisse Turmelium cum de Damaso ageret in opere, quod ad primatum romanum evertendum typis vulgavit: Histoire du dogme de la papauté des origines à la fin du IV siècle, Parisiis, 1908, pp. 312—432.

[105]) Op. cit., p. 310; *Dannhaverus*, Exercitatio historico-theologica de Ecclesia graecanica hodierna, Argentorati, 1666, pp. 46—47; *Pictetus*, Scrutinium religionum, Dresdae, 1730, p. 321.

[106]) Ib., p. 317.

[107]) Hisce adstipulatus est Prokopovič: „Vocabulum transsubstantiationis est barbarum, e lacunis scholasticorum haustum, antiquae castiori orthodoxae Ecclesiae ignotum“. — Op. cit., t. III, p. 622.

[108]) Ecclesiae orientalis et occidentalis concordia in transsubstantiatione, historiae concertationis a D. Kieslingio professore lipsiensi fictae opposita, Ratisbonae, 1756, p. 27.

Philadelphiensis [109]). Immo huiusce vocis usum a Gennadio Scholario repetit synodus constantinopolitana anno 1691 habita, quae pulcherrimis verbis eam Graecis necessario adhibendam tuetur: »Ecclesia ad clariorem constitutionem veritatis, quae in sacramento est, iuxta suam propriam et potestatem et consuetudinem ductu sanctissimi Spiritus usa est voce transsubstantiationis, non aliud quidpiam per se significante quam quod mutatio seu conversio, quae est in sacramento, proponit. Usa porro ea est, quoniam nec aequivocis subicitur, et superat omnia haereticorum sophismata contra sacramentum; nec eam a Latinis mutuata est, sed est ea voce ditata ante annos plurimos a domesticis et legitimis suis orthodoxis doctoribus, ut promptum videre est ex commentariis verae religionis defensoris illius domini Gennadii Patriarchae Const., qui coram orthodoxis imperatoribus et piis patriarchis ac sacro senatu ipsisque doctoribus rectae fidei nostrae per hanc vocem ut ante cognitam atque ab Ecclesia receptam pro hoc mysterio depugnavit. Quam vocem ex eo tempore incessanter Ecclesia praedicat a finibus ad fines, neque ullus insurgere visus est contra usum hunc Ecclesiae praeter haereticos, sed omnes illam una confessione, afflatu Spiritus Sancti, una confitentur, ac docent indubitanter pura et pia conscientia [110])«.

Aymonius conviciis onerat Dositheum, eo quod verbum *μετουσίωσις* sua in Confessione usurparit. Ait enim, Dositheum, qui alternis paene verbis a veritate abhorrentes congerit sententias [111]), materiarum theologicarum segetem ad suam opellam

---

109) *Simon,* Fides Ecclesiae orientalis, p. 119; *Helladius,* Status praesens Ecclesiae graecae, p. 386.

110) Ἡ Ἐκκλησία τέλος πάντων προς σαφεστέραν παράστασιν τῆς ἐν τῷ μυστηρίῳ ἀληθείας κατὰ τὴν ἰδίαν αὐτῆς ἐξουσίαν τε καὶ συνήθειαν τῇ ἀπηχήσει τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐχρήσατο λέξιν τὴν μετουσίωσιν, οὐκ ἄλλο τι δηλοῦσά δι αὐτῆς ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνο, ὅπερ καὶ ἡ μεταβολὴ ἐν τῷ μυστηρίῳ παρίστησιν. Ἐχρήσατο δὲ ταύτῃ καθότι ἀπήλλακται τῶν ὁμωνυμιῶν καὶ ὑπέρκειται πάντων τῶν κατα τοῦ μυστηρίου αἱρετικῶν σοφισμάτων, οὐκ ἐκ τῶν Λατίνων δανεισθεῖσα ταύτην, ἀλλ' ἐξ οἰκείων καὶ γνησίων αὐτῆς ὀρθοδόξων διδασκάλων πλουτήσασα πρὸ χρόνων πολυαριθμήτων, ὡς πάρεστιν ἰδεῖν ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων ἐκείνου τοῦ ὑπερασπιστοῦ τῆς εὐσεβείας κὺρ Γενναδίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐνώπιον βασιλέων ὀρθοδόξων καὶ πατριαρχῶν εὐσεβῶν καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου καὶ διδασκάλων τῆς καθ' ἡμᾶς ὀρθοδοξίας διὰ τῆς αὐτῆς λέξεως ὡς προεγνωσμένης καὶ ἀποδεχομένης ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐναγωνισαμένου περὶ τοῦ ἱεροῦ μυστηρίου. Ἥντινα λέξιν ἔκτοτε ἀδιστάκτως πρεσβεύει ἀπὸ περάτων ἕως περάτων, καὶ οὐδεὶς ἀντιφερόμενος ἐφάνη τῇ χρήσει ταύτῃ τῆς Ἐκκλησίας πλὴν τῶν αἱρετικῶν, ἀλλὰ πάντες μιᾷ συρροίᾳ καὶ συμπνοίᾳ τοῦ ἁγίου Πνεύματος μέχρι τῆς δεῦρο συνομολογοῦσί τε καὶ διδάσκουσι ταύτην ἀνενδοιάστως εἰλικρινεῖ καὶ εὐσεβεῖ τῇ συνειδήσει. — Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 465. Praeter scriptores, quos memoravimus, voce μετουσίωσις usos, hocce documentum synodale citat etiam Maximum Margunium, episcopum cytheraeum, Meletium Pegam, patriarcham alexandrinum, et Nectarium Hierosolymitanum.

111) Ces dogmes si erronez, produits sous le nom d'un concille des Grecs de Jérusalem, ne sont que les visions et les extravagances que le patriarche Dosithée s'est avisé de mettre par écrit, n'étant pas capable de dire six mots de suite, sans faire une demi douzaine de grosses bévues. — P. 397.

conscribillandam ex latinis antistitum Galliae documentis, nec non ex litteris Nointelii collegisse, suique cleri inscitia abusum fuisse, ut eius suffragia emendicaret suisque placitis adstipulatores legeret [112]). Gorskius autem putat scriptorem Confessionis Dosithei graecum quidem orthodoxum fuisse: haud tamen in comperto est utrum in latinis scholis hicce scriptor theologicis disciplinis imbutus fuerit, an in graecis theologiam occidentalem apprime didicerit [113]).

Ex quonam igitur fonte, per quosdam veluti rivulos, theologia latina ad Confessionem Dosithei dimanavit? Helladius tradit de Dositheo, eum linguae turcicae, arabicae, moscoviticae, georgicae, graecae, latinae, peritissimum fuisse [114]), quas mirificas laudes, palpandi causa vel suos concives titillandi dictas censeo. Maioris autem ponderis videtur mihi testimonium Chrysanthi patriarchae hierosolymitani, qui tot annos contubernio usus est Dosithei, eumque apprime cognovit eique studiorum theologicorum socius adstitit. Testatur autem Chrysanthus latini sermonis scientiam, primoribus tantum labris Dositheum delibasse, qua de re coactus fuerit interpretum ministerio uti in latinis libris pervolutandis [115]). Hosce vero interpretes nactus est Dositheus inter graecos simul atque inter latinos, iique ad id omne studium adiunxerunt ut, qua possent, summa fidelitate theologiae latinae monumenta in graecum idioma verterent. Nil igitur mirum, si Dositheus, cui graecorum theologorum auxilium ad lutheranos debellandos praesto non erat (nihil fere aetate illa Graeci scripserant ad cavillationes reformatorum diluendas) versionibus usus latinorum theologorum ad suam Confessionem exarandam, latinas voces usurpavit suoque scribendi generi saepe saepius latinum colorem servavit. Mea quidem sententia, latinitas illa, quae in Confessionem Dosithei indiligenter irrepsit, signum non est Dositheum eam non composuisse. Ex ea nobis datur tantum ius colligendi ex latinis fontibus graece versis auctorem nostrum hausisse.

Scriptores orthodoxi uno veluti ore Dositheo tribuunt librum symbolicum, qui eius nomine venit. Dositheus ipse iure auctoris in eum potitus est, cum anno 1690 textum Confessionis a seipso emendatum in lucem edidit. Dubium igitur non est quin ipsemet suam Confessionem exaraverit, latinos scriptores populatus, quod lubenter scriptores orthodoxi agnoscunt, a Dositheo labem lati-

112) Dosithée travailla sur les minutes des prélats de France, et sur les lettres de Monsieur de Nointel, à dresser ce formulaire de Confession, et à mendier des signatures, pour le faire approuver à des ignorans, qui ne sçavoient pas de quoi il s'agissait. — P. 396.

113) Loc. cit., p. 612.

114) Op. cit., pp. 14—15.

115) Καὶ δὴ καὶ ὡ. μὴ ἐσχηκὸς πεῖραν καὶ κατάληψιν ἱκανην τῆς λατινίδος φωνῆς, μετὰ πολλῶν δυσκολιῶν καὶ δαπανῶν, κατὰ διαφόρους καιρούς, διὰ πολλῶν ἑρμηνέων ἀπὸ τῆς Λατίνων φωνῆς εἰς την ἡμετέραν πολλὰ βίβλια μετέφρασεν. — Δωδεκάβιβλος. p. 4; Palmieri, Dositeo, p. 74.

nismi demoventes. Dositheus enim, ad eorum sententiam, scriptoris orthodoxi muneri non defuit, principia theologiae orthodoxae strenue tuitus est, ac, si latinis placitis interdum indulsit, hoc ei crimini vertendum non est aetate illa, qua graeca theologia, prisco amisso splendore, senioque confecta, novis carebat armis ad lutheranam haeresim confodiendam [116]).

δ′ Confessio Dosithei praecipuum tenet locum inter symbolica graecae Ecclesiae documenta. Superius iam diximus patriarchas orientales eam, ut speculum verae fidei orthodoxae, episcopis non iuratis misisse [117]). Patriarchale synodicum systaticum (*πατριαρχικὸν συνοδικὸν καὶ συστατικὸν γράμμα*) synodi Constantinopolitanae adversus Ioannem Caryophyllum habitae anno 1691 [118]), cui subscripsere Callinicus II, patriarcha const. (β′ 1689—1693), ac Dositheus, confirmaverat iam Confessionem Dosithei, tamquam librum apprime orthodoxum atque irreprehensibilem [119]).

---

116) Αἱ ἐπ' αὐτοῦ ἐπιδράσεις τῆς λατινικῆς θεολογίας ὑπῆρξαν ὅλως ἐξωτερικαὶ καὶ δὲν πρέπει νὰ ὑπερτιμῶνται. Ἡ ἐξωτερικὴ ὁμοιότης τῆς ἐκθέσεως τῆς διδασκαλίας δὲν πρέπει νὰ θεωρῆται καὶ ὡς ταυτότης τοῦ φρονήματος. — Δοσίθεος, Πατριάρχης Ἱεροσολύμων, Hierosolymae, 1907, p. 32. Theologis lutheranis transsubstantiationem negantibus, quos tot graecarum synodorum decreta ad incitas redegerunt, nil reliquum fuit nisi ut graecam Ecclesiam obtrectarent, perinde ac si descivisset a fide maiorum. Audiatur Dannhawerus: „In Ecclesia graecanica sequiore occurrit, proh dolor! apostasia a veteri orthodoxa,....neque id agimus insultandi Graecis gratia, quorum potius miremur, et iudicamus, eos partim neglectu Scripturae, e caeco obedientiae studio, partim tyrannide turcica oppressos, in devia discessisse, hodieque nimis rerum aliarum imperitos imprudentesque sine ulteriore cura et indagine, in antiquam sylvam, doctoribus iisdem morbis laborantibus, ire, quanquam ex illa ipsa orthodoxia multa adhuc retinuerunt“. — Op. cit., pp. 32—33; Bielerus, De praestantia Ecclesiae evangelicae, quae ministerio Lutheri repurgata est, prae graeco-ruthenica hodierna, Ienae, 1750, p. 24.

117) Heic meminimus anno 1672, mense ianuario, Dionysium IV patriarcham const. (α′ 1671—1673) synodum convocasse, cuius confessio in pluribus artissimo devincitur cognationis vinculo cum Confessione Dosithei. Hancce Confessionem recenset Mesoloras inter libros symbolicos Ecclesiae orientalis. Reperitur apud Weissenbornium-Kimmelium, t. II, pp. 214—227; Mesoloram, pp. 130—146; Mansi-Petit, t. XXXVII, coll. 453—464. Ceteras huiusce documenti editiones recenset Petit. A verbo μετουσίωσις usurpando sese abstinet Dionysius. — Cf. Kiesling, p. 17.

118) Palmieri, Dositeo, pp. 33—37.

119) Τὸ ἐπιγραφόμενον σύγγραμμα δηλαδὴ ὀρθόδοξος ὁμολογία, ὅπερ καὶ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς συνόδου τοῦ οἰκουμενικοῦ θρόνου κεκύρωται συναινούντων καὶ τῶν λοιπῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν συναποφηναμένων τε καὶ συνεπισφραγισαμένων ταῖς ἰδίαις ὑπογραφαῖς, καὶ ἐπ' ἐκκλησίαις κεκήρυκται τὸ ὀρθόδοξον ἔχειν καὶ ἀνεπίληπτον. — Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 466. Haec tamen verba de Confessione Petri Mogilae dicta fuisse teneo. Mesoloras asserit hancce synodum sibi munus demandasse declarandae puritatis fidei quae, ad sacram Eucharistiam quod attinet, in Actis synodi hierosolymitanae atque in Confessione Dosithei exprimitur. Testatissimum id faciunt excerpta Confessionis quae hisce litteris synodalibus intexta fuere: Τὸ ἀποτέλεσμα καὶ τὸ πρακτικὸν τῆς συνόδου ἦν ἐκ δευτέρου δήλωσις τῆς ὀρθῆς γνώμης τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας,

Mirum tamen est opus Dosithei, tot laudibus cumulatum, apud scriptores orthodoxos, haud raro nihili pendi. Id quidem Mesoloras, una cum Confessione Petri Mogilae in album librorum symbolicorum digerit, qui maximi faciundi sint. Cum enim Patriarcha, quem Graeci summa veneratione prosequuntur, hancce Confessionem conscripserit, eamque synodus sollemniter approbaverit, mirari non debemus, simul atque in lucem prodiit ipsammet omnium oculos in se convertisse, ad eamque gloriam pervenisse, ut cunctas regiones orthodoxas sua celebritate compleret. Hoc idem tuetur Mesoloras: »Cum synodus hierosolymitana Confessionem Dosithei palam agnoverit ut Confessionem authenticam Ecclesiae orthodoxae orientalis, eamque Actis synodalibus intexuerit, consequitur ipsammet iure meritoque in album librorum symbolicorum recenseri [120])«. Id tuetur etiam Michalcescu [121]).

Attamen Andrutsos nullum fert iudicium de valore symbolico huiusce Confessionis [122]); Macarius [123]), Silvester [124]), Mali-

τῆς περιεχομένης ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις συνόδου, καὶ δὴ ἐν τῷ ιζ' ὅρῳ τῆς τοῦ Δοσιθέου ὁμολογίας, τῷ πραγματευομένῳ ἐκτενῶς περὶ τῆς θείας Εὐχαριστίας, καὶ ἐν τέλει περὶ τῆς Μετουσιώσεως, ὅστις, ὡς ἄριστα ἔχων, καὶ ἀντεγράφη. — P. 149. Confessionis tamen Dosithei mentionem haud inicit synodus, et verbum ac doctrina transsubstantiationis, quam ex illa synodum, de qua nobis sermo est, transcripsisse Mesoloras affirmat, reperiuntur etiam in Confessione orthodoxa Petri Mogilae, P. I, Q. CVII, Kimmel, p. 180. Hocce quidem Synodo propositum fuit ut sententiam Caryophylli transsubstantiationem negantis damnaret: nihil tamen in eius Fidei Confessione exstat, quod nos certiores faciat synodum characterem symbolicum Confessionis Dosithei tanquam authenticae fidei orthodoxae expositionis sanxisse. Confessio praefatae synodi primum lucem aspexit in opere Dosithei: Ἐγχειρίδιον κατὰ Ἰωάννου τοῦ Καρυοφύλλου, Iassii, 1694, pp. 98—108. Latine eam vertit Nicolaus Comnenus Papadopoli in opusculo quod inscribitur: Adversus haereticam epistolam Iohannis Hokstoni responsio ad sacratissimum et sapientissimum antistitem Chysanthum Notaram, metropolitam caesariensem, Palaestinae primatem, Venetiis, 1703, pp. 40—49; ac germanice Heineccius: Ein Synodus, welcher am 1691, unter dem Patriarchen Callinico zu Constantinopel, gehalten worden, wieder Joh. Caryophyllen Logothetam der Kirche zu Constantinopel, Op. cit., Anhang, pp. 40—47. Reperitur apud *Gedeon*, Κανονικαὶ Διατάξεις, t. I, Constantinopoli, 1888, pp. 99—105 et *Petit-Mansi*, t. XXXVII, coll. 473—482. De synodo egerunt Meletius Atheniensis, t. III, p. 484; Gass, p. 85; Mesoloras, pp. 147—150.

120) Ἡ ὁμολογία αὕτη δια την συμβολικὴν ἔχει σημασίαν καὶ ἀξίαν μεγάλην, διότι διὰ τῆς συγκριτικῆς καὶ τῆς ἀντιρρητικῆς ταύτης μεθόδου οὐ μόνον ἀναιροῦνται αἱ καινοτομίαι τῆς καλβινικῆς Ἐκκλησίας, ἀλλὰ καὶ διατυποῦνται ὀρθοδόξως τὰ δόγματα τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως. — P. 89. Ἡ Συμβολικὴ καὶ τὴν ὁμολογίαν ταύτην ὡς ἐπίσημον συμβολικὸν αὐτῆς βιβλίον παραδέχεται. — P. 91.

121) P. 125. — Cu tóte criticile și incriminările aduse de o parte și de alta, Mărturisirea luĭ Dositeĭ rĕmâne o lucrare de valóre pentru Simbolica bisericiĭ nóstre. — Compendiu de theologie simbolică, p. 76.

122) Pp. 35—36.

123) T. I, p. 63.

124) T. I, p. 64.

novskij [125]) inter privatas confessiones fidei (частныя изложенія вѣры) vel parvas expositiones aut explicationes (краткое изложеніе, изъясненіе вѣры) eam recensent. Nuperrime, symbolicam auctoritatem eiusdem libri, ob latinas, quibus inficiatur, sententias, pro viribus aggressus est minuere Chrysostomus Papadopulos, archimandrita [126]), cui favet doctissimus vir A. Papadopulo-Keramevs [127]).

Ad veritatem propius accedere videtur Gass, qui statuit latinae theologiae influxum nihil obstare huic Confessioni, quominus dicatur traditionem graecam in rebus fidei ea proponere, interque documenta, quae hancce traditionem portendunt, nobilissimum locum tenere [128]). Confessio Dosithei, suam ob puriorem doctrinam, meret primatum inter symbolica documenta recentioris Ecclesiae graecae; testimonium est perenne, ut catholicus ait scriptor qui Orientem peragravit, semper Graecam Ecclesiam odio prosecutam fuisse haereticos sacramentum Eucharistiae adorientes [129]), nec non in summis fidei christianae veritatibus romanae Ecclesiae doctrinam mordicus tueri. Ac, si in plurimis, ut nostra aetate quidam theologi graeci conqueruntur, latinis novitatibus indulsit, reponimus, in iisdem probandis acceptandisque iura veritatis christianae Dositheum vindicasse, quapropter laudem, potius quam vituperationem, ipse meret. Quae enim de transsubstantiatione, de statu animarum in altera vita, de Scriptura sacra edisseruit, cum traditioni romanae Ecclesiae consona sint, primitivae etiam Ecclesiae traditioni apprime respondent.

*A. Palmieri.*

---

125) T. I, p. 45. I. Sokolov characterem auctoritativum catholicum (авторитетно-каѳолическій характеръ) vindicat huic Confessioni, Православная бог. энц., t. VI, Petropoli, 1905, col. 443; t. V, 1904, col. 27. Quae assertio, si vera est, non satis assequor quonam pacto eam detruncare ac decurtare ausus sit Philaretus, metropolita mosquensis.

126) Νέα Σιών, 1907, t. V, pp. 104—108.

127) Διάφορα ἑλληνικὰ γράμματα ἐκ τοῦ ἐν Πετρουπόλει μουσείου Nicolas Likhatchev, Petropoli, 1907, p. κζ'.

128) In allen Hauptsachen muß diese Urkunde als Ausdruck der griechisch-orientalischen Ueberlieferung betrachtet werden, und sie nimmt in der Zahl dieser Zeugnisse eine wichtige Stelle ein. — P. 83. Maximam auctoritatem (eine symbolische Autorität ersten Ranges) ei agnoscit *R. Hofmann,* Realencyclopädie für protestantische Theologie, t. VIII, Lipsiae, 1900, p. 704, et etiam *Winer* Comparative Darstellung, p. 10. Minorem ei tribuit *Schéele*, apud Zöckler, Handbuch der theologischen Wissenschaften, t. II, p. 716; ac *Müller* ea non utendum nisi cautissime insinuat: Dabei wird gegenüber dem Protestantismus der gemeinsam katholische Besitz so stark betont, und zuweilen in solcher Anlehnung an römische Gedanken dargestellt, daß die Confessio Dosithei als Zeugnis griechischer Lehre nur mit größter Vorsicht gebraucht werden darf. — Pp. 209—210.

129) L' Église grecque déteste toutes les hérésies anciennes et nouvelles, particulièrement celles qui ont attaqué le mystère adorable de l'Eucharistie, soutenues par les calvinistes et les luthériens. — La Croix, État présent des nations et églises grecque, arménienne et maronite en Turquie, Parisiis, 1715, p. 17.

# EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

**Grass,** *Karl Konrad,* Mag. theol., **Die russischen Sekten. I. Die Gottesleute oder Chlüsten.** 8⁰, 716 pg. Dorpat 1908.

*G.* multo labore et industria eruditum hunc librum de sectis Russicis scripsit. Non sine multo negotio in bibliothecis Russicis, Petropoli, Moscoviae, in Nižnyj Novgorod, Kazanii fontes huius rei investigavit, excerptamque ibi materiam copiosam quam maxime brevitatis causa compressam, atque critice dispositam hoc I. tomo edidit. Chlysti, de qua secta potissimum *G.* agit, magnam similitudinem cum Gnosticis exhibent. Christus Dominus ipsorum sententia purus homo fuit, et demum adventu Spiritus sancti Christus factus est. Nihilominus mysterium SS. Trinitatis agnoscunt, sicque secundam personam Trinitatis Christum esse docent. Quae quamvis aperte inter se pugnent, tamen ad haeresin pertinent ac fide tenentur. Ceterum gnosticos ultimos et chlystos historice inter se communicasse, demonstrari nequit. Secta haec inter ruricolas per totam Russiam dispersa est. *G.* historicum conspectum huius sectae multos „Christos" eiusque doctrinam (ecstasin vel libertatem, ascesin vel praecepta) dein organisationem (taciturnitatem, mendacia) systematice describit. Ad finem complures minores sectas, quorum in Russia magnus est numerus ob oculos ponit. Plurima apud occidentales theologos et historicos de sectis Russicis adhuc incognita clare proponuntur. — *O. Židek.*

ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΟΣ ΦΑΡΟΣ, Alexandriae, Via Gessi Pacha 10.

Hic novus periodicus a Graecis orthodoxis patriarchatus alexandrini ab anno 1908 vulgari coepit. Fasciculi menstrui quotannis duo volumina in 8⁰ efformant, utrumque cum sexcentis circiter paginis. De omnibus rebus ecclesiasticis novisque ad diversas Ecclesias christianas pertinentibus agit. Iam a primis fasciculis perspicuum evasit spiritum, quo ducuntur quidam scriptores Ecclesiasticae Phari, non esse spiritum pacis et unionis desiderii. Etenim calumniae quaedam contra Congregationes catholicas in Oriente ad institutionem iuventutis addictas, ab ipsis recoctae sunt, quas a peioribus nominis christiani inimicis mutuarunt.

In duobus anni 1908 voluminibus notatu digna inveniuntur sequentia:

*Gregorius Papamichael,* Περὶ τοῦ δευτέρου γάμου τῶν κληρικῶν (De secundis cleri nuptiis; t. I. p. 485—492). Breviter contrahit auctor ea quae de hac quaestione proximis annis in Ecclesiis orthodoxis, praesertim slavicis, scripta sunt, et concludit nullam Ecclesiam particularem sine sororum consensu debere proferre decretum, quia de re gravissima ad ius canonicum pertinente agitur.

*Idem,* Καθολίκων pia desideria (De catholicorum piis desideriis) (t. II., 86—98; 351—368). Stylo acerbo Papamichael desideria et proposita Catholicorum relate ad unionem Ecclesiarum recenset et carpit. In primo articulo, cui titulus: Ὁ παπισμὸς καὶ οἱ Ἕλληνες, loquitur praesertim de commento P. Gérard von Caloen O. S. B. circa unionem Ecclesiae Graecae cum catholica; in secundo; Ὁ παπισμὸς καὶ οἱ Ῥῶσοι agit de Propaganda latina in Russia et plura excerpta e periodicis russicis de hac re affert. Conversiones recentes ad catholicismum memorat necnon primum Conventum Velehradensem et Slavorum litteras theologicas (pp. 359—364).

*Chrysostomus A. Papadopulus,* Ὁ ἅγιος Ἰωάννης Χρυσόστομος, (t. I., p. 109—123; 440—455; t. II., p. 220—236, 417—423). Vitam sancti Ioannis Chrysostomi fusiore stylo enarrat. In hac prima parte sanctum Ioannem ut adulescentem, monachum, presbyterum Antiochenum considerat.

tionem de compositione psalterii. (Initio David 365 psalmos composuisse dicendus est, ut tamen eorum valorem probaret, eosdem in capsula plumbea inclusos in mare deiecit; filius eius Salomon occasione piscationis capsulam hanc invenit, in qua solum 102 psalmi aderant.) Deinde sequitur fabula de Sibylla (p. 272—279). XIX. Narrationes de Salomon. Salomon et regina austri (Saba), Salomonis iudicia, de rege Adariano, de Salomon et filia regis, de daemonibus a Salomon in dolio defossis et quomodo Salomon prudentia sua ab infernis liberatus sit (p. 280—296). XX. A Salomon usque ad Christum. Principio popularis, fabulosa narratio de Elia, deinde brevis relatio de proph. Isaia (ex libro Epiphanii — de vita prophetarum) tum narratio de morte Jeremiae eiusque de Christo in Aegypto prophetia; tres narrationes de martyrio trium iuvenum et prophetae Danielis Babylone atque in fine quaedam fragmenta de Danielis prophetia (p. 296—323). In fine libri habemus ex Palaea depromptam narrationem de Alexandri, Macedonum rege, itinere in Indiam cum brevi descriptione morum Brahmanorum.

Liber II. *Apocryphi textus evangeliorum.*

In prooemio *F.* disputat de apocryphis evangelicis generatim, de iis via ac ratione tractatis a viris doctis, de momento eorum ad litteraturam europaeam cum universam tum slavicam (p. I—LXX).

I. Prophetiae de Iesu. Prophetia de Christo in templo Apollinis; narratio Aphroditiani de miraculis in Persia factis: Herodes et magi; oratio de stella et de miraculis in Persia factis (popularis tractatio Pseudo-Aphroditiani); relatio de sibyllinis prophetiis de Beatiss. Virgine Maria et Christi incarnatione (adnexo textu polonico XVI saec.) (p. 1—35). II. Parentes Christi Sermo de nativitate Beatis. Virg. Mariae (ex „protoevangelio Jacobi“), septem prima capita eiusdem evangelii aliquantum mutata; oratio in nativitatem B. V. M. — tractatio eiusdem apocryphi; vita D. N. Iesu Chr. eiusque div. Matris — libera compositio plurium fabularum et aliae similes narrationes; historia conceptionis et nativitatis Deiparae antiquum slavico-serbico-ruthenicum poëma XVIII. saec. compositum in Hungaria (Bačka); varii alii textus de nativitate, praesentatione in templo, genealogia Mariae et Josephi aliique (p. 36—110). III. Nativitas Iesu. Tres populares galiciano- et hungarico-ruthenicae narrationes plurimum fabulosae de nativitate Domini ex saec. XVIII.; de oblatione Iesu in templo Hierosolym., de Simeone (ipsum fuisse unum 70 interpretum sacrae scripturae narratur); duae partim poëticae relationes de puerorum caede; de morte Zachariae (p. 112—151). IV. Infantia Iesu. Sancta Familia in horto Nathanaëlis — narratio nixa fundamento evangelico (Joh. I. 44—52), secundum quam Iesus Nathanaëlem primum in eiusdem horto, fugiens in Aegyptum, cognovit; complures textus exhibentes miracula Iesu tempore eius fugae in Aegyptum (152—173). V. Iesu baptismus et tentatio. Duae populares hung.-ruthenicae narrationes de baptismo Iesu, ubi etiam de lapsu Adami, de contractu cum daemone, de eius (daemonis) in Jordan occultatione et Iesu de eo victoria fit

mentio; duae relationes cuiusdam sermonis de disputatione Domini cum daemone (p. 174—203). VI. Iesus magister et miraculorum patrator. Prosopographia Iesu cum adnexo textu polonico et ruthenico ex XVII. saec. Epistula regis Abgari ad Iesum eiusque (Iesu) responsum: translatio imaginis Iesu Edessa Constantinopolim; duo fragmenta de Iesu transfiguratione, de conspiratione Iudaeorum contra Iesum ac de praedictione passionis et mortis Iesu (p. 204—218). VII. Passio et mors Christi. Colloquium Christi cum sua Matre ante passionem (similia colloquio complura etiam nunc inter populum ruthenicum servantur) de diaboli conatu discipulos Christi ab ipso ante passionem abducendi; passio D. N. Iesu Chr. — popularis hung.-ruth. historia passionis ex XVIII. saec.; Visio Paphnutii de numero vulnerum Iesu; Christus et Veronica; quattuor breves textus de centurione Longino, de sanguine Christi, de clavis, quibus transfixus est; duo inter se differentes textus pseudo-evangelii Nicodemi (I. pars eiusdem evang.) quae vocantur „Acta Pilati" ac sermo de passione et sepultura Christi atque de Moysis resurrectione (219—292). VII. Descensus ad inferos, resurrectio et ascensio Christi. Carini et Lisini narratio de Iesu ad inferos descensu; sermo de Chr. resurrectione Carini et Longini, filiorum iurisperiti Simeonis; duo textus ex II. parte pseudo-evang. Nicodemi ex ruthen. manuscriptis XVII. saec. (p. 293—334). IX. Amici et inimici Christi. Epistula Pilati ad Claudium imperatorem Pilatus et Maria, Mater Christi — brevis relatio de stella lucente in capite Mariae et de Pilati conversione ad Christum; Poena Iudaeorum — Iudaei caeci nascuntur et ut liberis suis visum comparent, sanguine puerorum christianorum indigent —; de duobus latronibus: S. Hieronymi narratio de Iuda proditore et popularis ruthen. versio eiusdem narrationis pluries mutata: Adventus Lazari sororum, Mariae Magdalenae et Longini Romam; tunica Christi et sanatio Tiberii; passio Longini et Photinae, mulieris Samaritanae eiusque filii Iosephi (p. 335—367). X. Mors Beatiss. Virg. Mariae. Narratio de septem doloribus et septem gaudiis Mariae; Epiphanii monachi — vita Mariae: quattuor populares narrationes de assumptione M. secundum sermonem S. Io. Theol. et partim secundum sermonem Io. Thessalonicensis.

Ut complementum huius libri accedunt quidam textus apocryphi. Potiores hi: Hermae Trismegisti et Pythagorae — prophetiae de Iesu ex vita Artemii; prophetia Apollinis de Iesu; miracula Beatiss. V. Mariae apud Sibyllas. Accurato denique indice nominum et rerum terminatur hic liber.

## Liber III. *Apocrypha Actuum Apostolorum.*

Prooemium: *F.* disserit de horum apocryphorum fontibus, de antiquissimis de iisdem mentionibus et indicii, de variis Apostolorum catalogis etc. tradens etiam varias adnotationes ad singulas narrationes (p. I. — LXVIII.).

I. Catalogi Apostolorum. Hippolyti testimonium de 12 Apostolis (ubi singuli praedicaverint et mortui sint) duo inter se differentes

textus, alter continet etiam eiusdem Hipp. „de 70 Apostolis" (p. 1—11); conventio 12 Apostolorum — duo catalogi, ubi etiam Marcus et Lucas ad duodecim numerantur (p. 5, 9—10); Pseudo-Epiphanii catalogus apost. fabulis de S. Petro et Paulo multum auctus (p. 272—275) [1]) Pseudo-Dorothei catalogus discipulorum (p. 275—279); duo fragmenta de mundi inter Apostolos divisione et de ortu doxologiae (p. 7—8). II. Relationes de Apostolo Petro. De Petri cum Simone mago contentione [2]); Petrus et Simon magus — popularis narratio; duo sermones in laudem S. Petri ex actibus apocryphis compositi (p. 13—26). III. Relationes de Paulo Apostolo. Martyrium S. Stephani — partes S. Pauli in hoc martyrio hic omnino aliae narrantur, atque in Act. Ap.; martyrium S. Theclae — amplior narratio de eius vita et martyrio, quam sequuntur duae populares historiolae; S. Pauli Romam adventus — fragmentum ex „Actibus Petri et Pauli", ubi narratur, quomodo Dioscorus quidam pro Paulo Puteolis prope Romam mortem subierit (p. 28—48). IV. Relationes de Ioanne Apostolo. Vita S. Ioannis — textus contractus ex Pseudo-Prochoro [3]); eiusdem Pseudo-Prochori de compositione evangelii et apocalypseos atque de morte S. Ioannis; narrationes desumptae ex opere „Laudes S. Ioannis"; de iuvene, qui postea latro factus est [4]), de destructione templi Artemidis et de morte S. Io.; alii textus minores (p. 49 90). V Relationes de Thoma Apostolo. Acta S. Thomae, desumpta ex textu graeco (prima 25 capita), ubi narrantur opera apostolica huius Apostoli in Indiis et quomodo regi huius regionis palatium aedificaverit [5]); passio S. Thomae; vita gloriosi apostoli Thomae scripta ab Abdia, primo Babylonis episcopo, licet praeter inscriptionem nihil in hac vita sit Abdiae; aliqua fragmenta (p. 91—125). VI. Relationes de Apostolo Andrea. Narratio de actibus Apostolorum Andreae et Matthaei, quam multa perpessi sint in terra anthropophagorum, quomodo a Christo liberati sint et homines illos ad Deum converterint; praedictio baptismi populi Russici a S. Andrea; passio et mors s. Andreae (p. 126—152). VII. Relationes de Apostolo Matthaeo. Martyrium S. Matthaei — historia martyrii omnino apocrypha; vita s. Matthaei scripta ab Abdia, Babyl. ep. — antiqua translatio ex textu polonico; duo alia fragmenta (p. 156—169). VIII. Relationes de Apostolo Philippo. Vita s. Philippi, quae legitur apud Metaphrastam, — haec parum habet elementi apocryphi, nititur potius relationibus S. Scrip-

---

[1]) Hos textus postea inventos tradit auctor in fine libri.

[2]) Apocrypha haec narratio invenitur saepe in manuscriptis vetero-slavicis, quae etiam in lingua germanica (aliquantulum mutata) edita est a Lipsio (R. A. Lipsius, Die Apocryphen der Apostelgeschichte und Apostellegende. II. B. S. 208) qui etiam ostendere conatur hunc apocryphum esse derivatum a graeco textu: πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

[3]) Haec vita deprompta est ex textu lat. (cf. Migne, Bibliotheca Patrum 1575, t. II.) Cf. etiam Архимандрит Амфилохій, Сочиненія Прохора.

[4]) De hoc iuvene etiam alius textus adest.

[5]) Idem textus apocryphus invenitur etiam apud Const. Tischendorf, Acta apostolorum apocrypha, Lipsiae 1851, p. 190; cf. Max Bonnet, Supplementum codicis apocryphi, I. Acta Thomae, Lipsiae 1883, p. 95.

turae [6]; miraculum archangeli Michaël Chonis factum; fragmentum de negotiis Philippi et Ioannis Hierapoli; passio s. Philippi (duo textus) (p. 170—184). IX. Relationes de s. Iacobo, fratre Domini. Vita s. Iacobi — popularis narratio secundum Hegesippum [7]; — s. Iacobus dicitur hic fuisse filius s. Iosephi et ex numero duodecim; finalis relatio de morte eius desumpta est ex Ios. Flavio; alia descriptio eius vitae (p. 185—191). X. Relationes de aliis apostolis. Breves adnotationes de s. Bartholomaeo, Iacobo, Alphaei filio, Iuda, Domini fratre, Simone Zel., Nathanaël (p. 192—199). XI. Narrationes de Marco et Luca evangelistis. Vita s. ap. et evang. Marci scripta ab Hieronymo et Metaphraste. Historia haec est compilatio duarum traditionum ecclesiasticarum de vita s. M.: de eius Romae commoratione et scriptione evangelii et de negotiis eius in Aegypto: vita s. ap. et evang. Lucae — videtur esse translata e textu graeco [8]: accedunt etiam tria fragmenta (p. 200—212). XII. Relationes de apostolorum discipulis. Plures longiores et breviores textus de discipulis. Maiorem attentionem merentur: martyrium S. Ananiae Eleutheropoli, vita s. Dionysii Areopagitae eiusque discipulorum Hierothei, Eleutherii et aliorum; passio s. Clementis papae. Liber totus terminatur accurato indice. —

## Liber IV *Apocrypha eschatologica.*

In praefatione explicat *F.*, quid sint apocr. esch., in quas partes dividantur, qui excellentiores scriptores de iis disputaverint, quibus maxime in regionibus sint divulgata, (in Russia). In fine multas tradit adnotationes ad singulos potiores textus apocryphos (p. I—XLVII).

I. Catechismi apocryphi. Hic multi traduntur textus in forma catechismi (interrogationes et responsiones), qui de variis rebus et theologicis et naturalibus ac maxime de his agunt. Potiores hi Interrogationes s. Gregorii Theol. et responsiones s. Basilii, de modo videndi Deum et qui primus Deum conspexerit, — disceptatio stricte theologica sine ullo fere elemento apocrypho. Sequuntur varii textus in eadem forma dialogica iam omnino apocryphi praesertim in explicatione naturae mundi et visibilis et invisibilis (p. 1—48). II. Apocalypses de variis diebus festis. (Апокаліпси про празники і обряди.) Hoc loco traduntur complures epistulae, quae quasi a Deo ad populum christianum missae, a plebe rudi libentissime legebantur (et etiam nunc in nonnullis regionibus leguntur) ideoque maxime erant divulgatae. Argumentum, in quo versatur, est praecipue sanctificatio dierum festorum et variorum ieiuniorum observatio. Maioris momenti hae sunt: epistula de dominica; sermo de omni dominica — epistula divina Hierosolymam filiis hominum missa. Haec erat maxime divulgata, quare varii eiusdem textus traduntur: epistula Pii VII. papae ex anno 1632 tota apocrypha; s. Ap. Pauli sermo de s. liturgia etc. (p. 49—103). III. Apocalypses de vita futura. De Abrahae sermone cum

[6] Cf. A. Lippomanus, Vitae Sanctorum, Romae 1552—60, t. VI.
[7] Cf. Eusebii, Hist. Eccl. VI, 23.
[8] Cf. R. A. Lipsius, Apokryphe Apostelgeschichten, II. 2, p. 336.

arch. Michaël, — S. Michaël narrat Abrahae de variis animarum sortibus post mortem; visio Isaiae prophetae — relatio de gloria caelesti [9]); sermo ex epistula s. Pauli et de creaturis humanis — textus apocryphus notus in slavicis indicibus sub nom. „Павлово видѣніе“ (Visio Pauli) in graecis „*Παύλου ὅρασις*“ estque catholica traditio haereticae cuiusdam apocalypseos, de qua agunt Origenes, Sozomenus aliique scriptores III—IV saec.; sermo ss. Deiparae valde salutaris de pace totius mundi (Слово пресвятия Богородици велми душеполезное о покои всего мира). In hoc apocrypho describuntur diversissima genera suppliciorum, quae vidit ss. Deipara, cum duce arch. Michaël loca tormentorum visitaret. In hac materia plurima apocrypha inter populum ruthen. versantur, quae universim sub nomine „Хожденіе Богородици по мукамъ“ (ambulatio ss. Deiparae in locis torm.) nota sunt. Hunc magnum textum sequuntur multi minores depingentes poenas singulorum hominum condicionum, ut regum damnatorum, episcoporum, monachorum, sacerdotum, agricolarum, opificum, militum etc. De eadem re plures aliae positae sunt narrationes ut: s. Cyrilli, archie is. Alexandrini sermo de discessione animi a corpore ac de secundo Christi adventu. De hoc sermone dubitandum est, ut ait *F.*, utrum revera sit s. Cyrilli, necne, licet forma rhetorica similis sit eius sermonibus; narratio s. Patris nostri Macarii de sorte animarum post mortem — in forma dialogi s. Macarii cum angelo, qui ipsi apparuit. Idem argumentum continet etiam alter textus: sermo salutaris s. Macario ab angelo revelatus de incognitis mysteriis divinis. Accedit etiam descriptio purgatorii a s. Patricio, quae ubique notissima est atque apud varios scriptores multum agitata (p. 104—248). IV. Apocalypses de consummatione mundi. Isaiae prophetia de ultimis diebus. Haec proph. forma similis est canonicis prophetiis Isaiae, sed argumento omnino discrepat. Orta esse videtur saec. XIV., ut videtur, post primas gentis Tatarorum incursiones; ultima visio prophetae Danielis — quae continet nonnulla etiam de rebus politicis [10]); sermo s. Io. Theol. de ascensione D. N. Iesu Christi — enarrata visio S. Io. de ultimis diebus in forma „apocalypseos“, tota apocrypha; sermo s. P. Methodii, de initio et fine mundi; sermo s. Methodii, episc. Hieros., de regno s. Michaël et antichristi ac de ultimis diebus. Uterque textus est eiusdem originis, argumentum autem habet diversum. Sequuntur complures textus de antichristo, inter quos eminent praesertim: s. Hippolyti papae et martyris sermo de consummatione mundi, de antichristo ac de secundo Christi adventu (p. 334—355) — textus ipsius Hippolyti magnopere mutatus et interpolatus; Paladii monachi de secundo Christi adventu ultimoque iudicio ac de futuris suppliciis et beatitudine animarum (p. 371—387),

---

[9]) Haec apocalypsis videtur orta esse saec. II. De ea enim loquuntur s. Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Origenes. Anno 1900 inventum est fragmentum textus graeci huius apoc. Qua de re cf. Dr. Edgar Hennecke, Neutestamentliche Apocryphen. Tübingen und Leipzig 1904. S. 202, 205.

[10]) De hoc cf. В. Истринъ, Откровеніе Меѳодія Патарского и апокрифическія видѣнія Даніила въ византійской и славянорусской литературахъ. Москва 1897. стр. 255.

qui sermo pertinet ad antiquissima monumenta ruthenicae litteraturae, notus enim erat iam saec. XII. Quis Palladius auctor sit huius sermonis, ignoratur [11]). Huic libro accedit etiam amplum supplementum, continens nonnullos textus postea a *F.* inventos cum indice rerum nominumque. — *M. M.*

## RUSSICA.

*I. Troickij*, **„Обозрѣніе источниковъ начальной исторіи египетскаго монашества.“** (Obozrěnie istočnikov načal'noj istorii egipetskago monašestva.) **Fontes historiae primae monachorum aegyptiorum pertractantur**. Sergiev Posad. An. 1907, pp. 400+III, in 8⁰: pret. 2 rub. 50 kop.

Inter varias res, quas nostrorum temporum homines litterati non sine successu de Oriente christiano investigare coeperunt, certe non ultimum occupant locum eae, quas de incunabulis monachismi diversi scriptores vulgarunt. Etiam Troickij vestigia eorum premens id sibi proposuit, ut primos fontes monachismi origine copticos diligenter perscrutaretur. *T.* eos fontes pro verae vitae monasticae speciminibus ac documentis habendos esse censet, ex quibus S. Basilius Magnus et S. Benedictus regulas suas hauserint (5—8). Eo consilio *T.* opus suum in tot capita dividit, quot documenta coptica eorumque diversae formae usque ad hoc tempus cognita sunt. Principio de „vita Pachomii“. „*Βίος τοῦ ἁγίου Παχουμίου*“ quaerit, quis eius auctor sit, quo tempore opus hoc conscriptum sit, ubi etc . (8—30). In capite secundo idem de „*Ἐκ τοῦ βίου τοῦ ἁγίου Παχουμίου*“ quaeritur (30—41) et in capite tertio de aliis duabus formis graecis „vitae Pachomii“ altera, quae Simeoni Metaphrastae adscribitur, altera ex versione tantum Dionysii Exigui nobis nota, disseritur (41—51). Cap. IV *Ἐπιστολὴ Ἀμμῶνος ἐπισκόπου περὶ πολιτείας καὶ βίου μερικοῦ Παχουμίου καὶ Θεοδώρου*“ — de tempore, quo, de auctore, a quo conscripta sit, de peculiari epistulae habitu et sitne vere Ammonis quaeritur (51—58). In cap. V⁰ de ipsis Pachomii regulis monasticis agitur, de earum origine historica et ficta et diversis earum formis (58—85) Inde scriptor in capite proximo ad quaestionem utra „vita Pachomii“ graece, an coptice conscripta antiquior sit tractandam aggreditur (86—99). Sequitur accuratissima codicum coptorum indagatio (cap. VII, 99—159). Postea de Vita S. Pauli, primi eremitae“ ab Hieronymo conscripta quaeritur variaeque eiusdem documenti formae inter se comparantur (c. VIII, 159—188). Caput nonum inscribitur „Лавсаикъ“ (Lausiaca), quo nomine corpus quoddam vitarum bonorum virorum mulierumque pietatis christianae fovendae causa conscriptarum significatur. Libri huius omnes formae a *T.* examini subiciuntur et momentum eius definitur (189—260). Dein tractatur „*Ἡ κατ' Αἴγυπτον τῶν μοναχῶν ἱστορία*“ (Historia monachorum). quaeritur de scriptore eius, tempore compositionis, instituto et iis quae potissimum animadvertenda sunt (260—310. cap.

[11]) Cf. В. Сахаровъ, Эсхатологическія сочиненія и сказанія въ древнерусской письменности. Тула 1879, стр. 165, 189.

X). In capite XI tractantur adagia patrum „*Ἀποφθέγματα τῶν ἁγίων γερόντων*“, (310—354), in ultimo capite (XII) vita S. Antonii: „*Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου*“ (354—397). Appendix (398—400) regulas S. Pachomii, quae in bibliotheca moscoviensi inveniuntur exhibet. — Opus eleganter conscriptum doctrina excellens illis, qui historiam religiosorum ordinum noverunt utile. Dr. *Leonini.*

*N. P. Giljarov-Platonov*, **Вопросы вѣры и церкви** (Voprosy věry i cerkvi). **Quaestiones fidei et ecclesiae.** Сборникъ статей 1868—1887 гг. Т. I. Изданіе К. П. Побѣдоносцева. Подъ редакціей кн. Н. В. Шаховского. Москва. 1905. Т. II. 1906.

N. Giljarov Platonov simul cum Ḫomjakov, Georgio Samarin, Vl. Solov'ev unus e peritissimis quaestionum religiosarum et ecclesiasticarum laicis fuit. Octo annos in Academia eccles. Moscoviensi hermeneuticam et historiam haeresum ac schismatum tradebat. Dein etsi a. 1855. cathedra se abdicaverat, quaestiones religiosas tractare nequaquam destitit. Lucubrationes suas, maxime de russicae ʻecclesiae historia ac de haeresi in ephemeridibus Russkaja Beséda, Den', Rus') publicabat, quae separatim editae sunt duobus voluminibus: Сборникъ Сочиненій Гилярова Платонова Т. I. и II. Москва 1899—1900. In „Современныя Извѣстія“, quae ipse 20 annos edebat, multae disputationes de rebus religiosis inveniuntur; — hasce N. Šaḫovskoj separatim duobus voluminibus sub titulo: „Вопросы вѣры и церкви“ (De quaestionibus religionis et ecclesiae) edendas curavit.

Giljarov-Platonov christianismi formam orthodoxae fidei pro re a Russorum gente inseparabili habet. Etenim eius sententia christiana religio — si Russos consideramus — a natione recepta est, quae nondum conformata fuit nec ullam institutionem perfectam habuit: quin etiam Russi, cum tempore propagatae apud ipsos fidei christianae in minore cultus humanitatisque gradu constitissent uberem notionum spiritualium copiam non possidebant quam novis sententiis religione christiana diffusis opponerent qui rerum status si ante oculos ponitur fides orthodoxa in Russia non tam veteri statui religioso successisse, quam deficientem supplesse dicenda est. Ne multa, religio orthodoxa universae vitae Russorum conformationi atque progressui incrementum atque adiumentum praebuit. Verum tempore procedente, cum Russorum imperium magis in dies cresceret intus et extra, ecclesia imperio obnoxia facta atque ad condicionem partis temperationis imperii redacta est.

Adversus eos, qui ab ecclesia orthodoxa separati sunt atque ʻraskolnikiʼ vocantur tolerantia commendatur eosque non vi atque vexatione sed persuadendo atque educando ad ecclesiam orthodoxam convertendos esse docet (p. I, 15 sq. et 120 sq.). Praeclare quoque illustratur schisma, quod ex separatione orthodoxorum Bulgarorum a Constantinopolitano patriarchatu exortum est (cf. praecipue I, 72 sq. 221 sq. 412 sq. 420 sq. 425 sq. 429 et alias). Quomodo Russi ad Anglicanos et Veterocatholicos se habeant exponitur ac perpenditur. — Etsi autem ecclesiam orthodoxam maximi aestimat atque laudibus ex-

tollat, hoc tamen nequaquam ei impedimento est, quominus ecclesiae russicae temperationem, maxime vero cleri vitam atque doctrinam nigris coloribus depingat, reprehendatque, ut hac ratione ad ecclesiae renovationem via sternatur.

Omissis iis, quae *G.* inconsiderate de ecclesiae definitione, de populi ad ecclesiam relatione statuit — unum notandum videtur: eius odium ecclesiae catholicae, quod interdum tantum evadit, ut intellegi non possit, quomodo contra eam ab historico veritatis amanti dici possint quae dicit (cf. I, 10 sq. 12, 20 sq. 65 sq. *76*, 92, 126 sq. et passim): „Не вся ли она (ecclesia catholica) есть обманъ и для другихъ и для себя самой“ (p. 21). „Католицизмъ, старый ли, новый ли, остается чѣмъ есть, — атеизмомъ въ принципѣ“: catholicismus et vetus (ecclesia romana) et novus (veterocatholici) si fundamenta eius consideras, non est nisi atheismus, I p. 36 sq.).

Nihilo minus opus hoc ad quaestiones religiosas illustrandas in Russia multum contulisse dicendum est. *M. Haluščyńskyj.*

## CROATICA.

*O. Radoslav Glavaš*, **Život Isusa Krsta** (Vita Iesu Christi). Mostar 1908. P. VIII+520. Const. 4 Cor.

Haec vita conscripta est, ut Croatae vitam Christi „historice et modo doctrinae convenienti compositam“ haberent (Dr. Jos. Stadler, archiep. Vrhbosniensis vitam omnino populariter scriptam a. 1895—7 ediderat). Quae ad utilitatem huius libri pertinent, omittimus; cum ad doctrinae laudem aspirare posse non existimamus. Argumenta, cur Grimm sequatur, qui Christum a. 748 natum esse putat, cur de vocatis quattuor apostolis in Genesareth prius agat quam de eiectis spiritibus immundis et de sanata socru Simonis Petri (p. 139), cur de Christo in Peraea commorato ab aliis dissentiat (p. 311 s.) non affert. Magos dicit paulo post pastores Christum adoraturos venisse (p. 48); templum Salomonis simile navi fuisse (81). Multae res ne explicantur quidem (Mt. 5, 34—37; 39—42; 6, 21—23; 15, 11; 19, 24 etc.).

Dr. *K. Dočkal.*

*O. Stjepan Nauč. Ivančić,* „**Povjesne crte o samostanskom III. redu sv. O. Franje po Dalmaciji, Kvarneru i Istri i poraba glagolice u istoj redodržavi.** Sa prilozima.“ (Adumbrationes historiae Regularium III. Ordinis S. Francisci in Dalmatia, insulis adiacentibus et Histria ac de usu linguae palaeoslavicae in eadem provincia. Cum additamentis). Zadar 1910. Pp. V+255+229. Pret. 3 Cor.

Ad cognoscendam historiam ecclesiasticam Croaticam hoc opus viri diligentissimi Patris *J.* haud parum prodest. Duobus libris constat. In priore historia Regularium III. Ordinis s. Francisci provinciae Croaticae ab initio usque ad hoc tempus exponitur atque usus liturgicus linguae palaeoslavicae in eadem provincia describitur.

Ordo ,de quo agitur, non est Ordo „Fratrum Minorum Conventualium“ neque „Observantium“, qui in regionibus Croaticis plurimas

sedes habent, sed est Ordo III. qui dicitur „De Paenitentia“ a s Francisco institutus in quem homines votis non obligandi reciperentur. *J* vetustissima vestigia Ordinis persequens ostendit, quomodo saeculares III. Ordinis in nostris regionibus paulatim regulares facti sint. Fontes de rebus Ordinis usque ad an. 1439 valde parci, ab hocce anno copiosi sunt. Sedes prima Ordinis Jaderae erat ad s. Ioannis Baptistae, ubi superior Ordinis residebat. *J.* fuse enarrat tentamina Ordinis, se potestate Franciscanorum I. Ordinis, quorum administrationi subditi erant, liberandi. Inde a Xisto IV. et V. Ordo suum habet superiorem provincialem, qui cum superioribus provinciarum Italicarum aliarumque, superiori Generali Romae residenti subiectus est. Saeculo XV exeunte provincia Croatica 11 monasteria comprehendebat, qui numerus postea minutus est Venetorum potissimum et Gallorum culpa. Hodie 10 tantum monasteria florent. De his agit *J.* in libro I. pag. 1—113.

Maxima attentione opus *J.* dignum est in usu liturgico linguae palaeoslavicae in provincia Croatica Regularium III. Ordinis tractando. Inter plurimos ordines, qui regiones Croaticas incolunt, Regulares III. Ordinis s. Francisci soli sunt, qui lingua palaeoslavica „ab immemorabili“ in liturgia utantur. Lingua haec cum Ordine III. tantopere conexa est, ut Regulares III. Ordinis in historia propter hunc usum „Fratres Illyrici“, „De littera sclava“, „De lingua sclavonica“ appellarentur. Sciente et approbante Sede Apostolica Regulares III. Ordinis solum hac lingua in Missa, Breviario, Rituali, utuntur, quae etiam in aliis precationibus et meditationibus privatis, epistularum consuetudine etc. hucusque est usitata. (Pp. 113—163).

De historia sui Ordenis *J.* bene meritus est eo, quod in opere hoc vitas descripsit praestantissimorum III. Ordinis Croatici virorum (163—201) ac monasteria et Ecclesias sui Ordinis sive adhuc manent sive iam diruta sunt (201—250).

In libro secundo multa collegit *J.* documenta ad historiam III. Ordinis et liturgiam palaeoslavicam pertinentia (1—229).

Uterque liber docti Patris summa laude dignus est. Diligentia magna ex quavis pagina elucet. Pars libri I. de usu linguae palaeoslavicae iam anno 1887 edita est. In supplemento libri II. complura exstant documenta de lingua palaeoslavica, quae hucusque nusquam publicata sunt quaeque ea, quae collegere P. E. Fermedžin et Dr. L. Jelić complent (epist. V—XXIII in suppl. B.).

Si diligentia scriptoris laborque ac tempus consumptum consideratur et operis amplitudo (486 pag.) perpendatur, opus vere pretio vilissimo 3 Cor.) aestimatum est. Dr. *K. Dočkal.*

**Katolički list.** Dirigente Dre Iosepho Pazman. Annus 1908. Zagrabiae.

Dr. *Juraj Cenkić:* „Silvestrova bulla“ (De bulla Silvestris Papae II.). N. 1—6. Secundum Ioannem Karácsonyi *C.* celeberrimam bullam Silvestris II., falsam esse vario modo probat, iura vero aliis de fontibus derivat.

Dr. *Janko Kalaj* „Sv. Ivan Zlatousti kao eksegeta i njegov odnošaj prema školi u Antiohiji (De s. Ioanne Chrysostomo exegeta ac de eius ad scholam Antiochenam relatione) N. 7.

Dr. *Josip Pazman:* „Sveti Ivan Zlatoust u svojem životu i radu (De s. Ioannis Chrysostomi vita et operibus). N. 7—10.

Dr. *Andrija Rački:* „Dijeceza senjska prema dijecezi modruškoj ili krbavskoj“ (De relatione dioecesis Segniensis ad dioecesim Modrussensem seu Corbaviensem). N. 9–14. In hac commentatione historico-iuridica exponit *R.* originem dioecesis Segniensis et Corbaviensis seu Modrussiensis (p. 99), describit ambitum utriusque dioecesis quem tempore procedente habuerunt (p. 110 sq.) et modum electionis episcoporum (135) et exponit quomodo et cur coaluerint (145). Ostendit utramque dioecesim suam propriam habuisse originem, proprios fines, propriam historiam, propria capitula; quare unionem harum dioecesium esse unionem quae dicitur aeque principalis seu unionem per aequalitatem iurium. Propositum scriptori est probare, duos vicarios capitulares, qui post mortem episcopi Antonii Maurović a capitulis dioecesium creati sunt, recte ac iuste creatos esse, non tamen opportune.

Dr. *Andrija Rački:* „Crkveno pitanje grada Rijeke“ (De ecclesiastica civitatis Fluminensis quaestione). N. 15—18. Civitas Fluminensis (Rijeka, Fiume) miram re vera habet historiam civilem et ecclesiasticam. Tempore pocedente variis dioecesibus adsignata nunc Segniensi episcopo subdita est. Cum episcopo Maurović mortuo politicis ex causis ut nova dioecesis „Fluminensis“ Hungaris subicienda constituatur nonnulli nituntur, *R.* rem hanc historice et iuridice examinat.

O. *Urban Talija:* „Mit i povjest, kritika i hiperkritika u evangjelskoj povjesti“ (Mythus et historia, scientia critica et hypercritica historiae evangelicae adplicata). N. 20—30, 34—45.

Doctrinae plena historicae evangeliorum veritatis pervestigatio, quam Dr. T. anno 1907 incohavit (cf. Slav. Lit. Theol. 1908, p. 243) hocce anno porro tractatur et absolvitur. In parte 3. et 4. doctrina comitis Tolstoj de historia evangelica declaratur et examinatur. Argumentum quo esse ordinem supernaturalem et posse fieri miracula contra Tolstoj probatur (p. 235), nobis non videtur firmum. Nam re esse ordinem supernaturalem ex sola notione mentis humanae, argumento videlicet ontologico effici non potest. In p. 5. et 6. doctrina professorum Harnack et Labanca proponitur et refutatur. Parti 6. duae pulchrae digressiones adnexae sunt (p. 257 ssq.): num rationalismus qui dicitur postulatis mentis humanae satisfacere et num religio temporis futuri (doctrina moralis christiana privata dogmatibus) rationalismo superstructa diu manere possit. P. 7. demonstrat, historiam evangelicam non posse coaluisse ex fabulis (mythis) tempore posteriore ortis. Quo consilio loco eximio I. Flavii utitur, cuius auctoritatem fusissime probat. Evangelia nihil habent quod fabularum sit proprium. Negat posse fabulas aetate ortas esse, qua critica ars maxime florebat qua libri veri ab apocryphis diligentissime distinguebantur (p. 8); eo minus, quod ne doctissimi quidem iique infensissimi religionis christianae hostes, ut Celsus Porphyrius, Philostratus, Hierocles, Julianus Apostata id christianis ullo modo exprobaverunt (p. 9). Haec pars magno ingenii acumine magnaque demonstrationis vi conscripta est. — In p. 10. concedit *T.*, s. Scripturam, metaphoris, allegoriis, fabulis, parabolis etc. refertam, ansam mythicae interpretationis praebere, sed iis solis, qui linguam orientalem eiusque naturam ignorant. — Parti huic auctor quattuor digressiones de erroribus doctrinae qui vocantur ac de allegationibus tacitis adiunxit. — In p. 11. interpretationem allegoricam ad intellegendos locos minus claros commendat, ad quod nonnulla exempla affert, velut narrationem biblicam de triplici tentatione diabolica (pg. 534) et dictum Christi de quinque viris in sermone cum muliere Samaritana habito (pg. 542); quas ut puras allegorias tractat reiecto sensu litterali et historico. Quae sententia plane singularis et nimis audax videtur!

Commentatio haec, etsi non omnibus numeris est absoluta, magna eruditione eminet scriptoremque in disciplinis valde versatum testatur.

Dr. *Janko Kalaj:* „Božanstvo Hristovo u modernizmu“ (Errores modernismi de divina Christi natura). N 20—22.

*Janko Barlè:* „Biskup zagrebački grof Mirko Esterházy“ (Vita comitis Emerici Esterházy, episcopi Zagrabiensis). N. 35—39. Ex fontibus proferuntur, quae huc pertinent; qua ratione pars historiae ecclesiae Zagrabiensis optime innotescit. Dr. *K. Dočkal.*

# PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

## De processione Spiritus Sancti quaenam fuerit antiquissimae Ecclesiae atque imprimis S. Athanasii[1]) episcopi Alexandrini doctrina.

1. Si quis quaesierit, quo impellente Ecclesia orientalis ab occidentali Ecclesia atque a centro catholicae unitatis divulsa sit, sine dubio Photius tamquam verus separationis auctor nominandus est. Neque Orientales ipsi id diffitentur[2]). Rationem autem propriam, cur Photius, cum sacrilega manu Romanae atque toti occidentali Ecclesiae bellum inferret, tot ex suis sequaces habuerit, recte aversionem illam animorum statuunt, quae orientalium mentes longe lateque pervaserat, quaque fiebat, ut Occidentales tamquam genus hominum barbarum summo contemptui haberent, quibus, si dominari non possent, quomodocumque subesse certe recusarent. Quo infenso animo ducti, non satis animadverterunt, cum Photium Romano Pontifici bellum inferentem sequerentur, se etiam illud subiectionis genus recusare, quod ab ipsis Deus postulabat, Ecclesiae in Petro fundatae auctor.

Neque ipsi Photio, sive cum primum post eiectum e sua sede Ignatium, sive post eius mortem cum secunda vice in eius locum succedere vellet, doctrina de processione Spiritus Sancti etiam a Filio, quam Latinos omnes tenere optime sciebat, impedimento esse visa est, quominus communionem Romani Pontificis expeteret. Et in conciliis Lugdunensi atque Florentino, cum de unione cum Ecclesia occidentali ineunda tractaretur, Orientales ultro agnoverunt, utriusque Ecclesiae de processione Spiritus Sancti sententiam, licet forte verbis

---

[1]) Haec sunt, cum siglis a nobis adhibendis, Athanasii opera saepius citanda :
Anno 320, Oratio de Incarnatione, Migne, PG 25, 95 - 198 (I.).
A. 350—354, Epistula de decretis Nicaenae Synodi, M., PG 25, 415—476 (DN.).
A. 350—354, Epistula de sententia Dionysii, M., PG 25, 478—522 (SD.).
A. 356, Epistula ad episcopos Aegypti et Libyae, M., PG 25, 537—594 (Aeg.).
A. 356—362, Orationes quattuor contra Arianos, M., PG 26, 11—116 (A I), 115 - 322 (A II), 321—468 (A III), 467—526 (A IV).
A. 356—362, Epistulae quattuor ad Serapionem, M., PG 26, 529—608 (S I), 607 - 624 (S II), 623—638 (S III), 637—676 (S IV).
A. 359, De synodis Ariminensi et Seleuciensi, M., PG 26, 681—794 (Syn.).
A. 365, De Trinitate et Spiritu Sancto, M., PG 26, 1191—1213 (Trin.).
A. 369, Epistula ad Africae episcopos, M., PG 26, 1030—1048 (Afr.).
A. 369, De Incarnatione Dei Verbi contra Arianos, M., PG 26, 983—1029 (I. c. A.).
N indicat libri numerum, C columnam in editione Migne, tomus non solet adiungi, quia ex hac tabella videri potest.

[2]) Vide J. Dräseke, Ratramnus und Photius (Byzant. Zeitschrift 28, 1909, 396—421).

aliquantulum diversis proponi solitam, re tamen unam atque eandem, rationem sufficientem non esse, cur separati esse vellent.

Attamen negari nequit, doctrinam hanc de processione Spiritus Sancti in toto hoc tristissimo discidio fovendo et nutriendo partes magnas habuisse. Proposueram equidem, totam hanc controversiam in suo complexu considerare, propterea quod hac via totum ex partibus et partes ex toto mirum in modum illustratum iri confidebam. Cum vero alia studia a me suscepta hoc consilium exsecutioni dare non sinant, unam saltem partem totius tractationis, meo quidem iudicio non parum utilem, hic evolvere mihi liceat.

Quare, paucis de doctrina Sacrae Scripturae de processione Spiritus Sancti praemissis, eandem doctrinam prouti a primis sanctis patribus usque ad S. Athanasium inclusive proponitur, hic evolvendam suscipimus.

2. Ac primum quidem quod inter viros etiam apprime catholicos incidere possit aliqua de veritatibus revelatis controversia, id et historia omnium temporum docet, et puritati et unitati fidei non officit, et ex ipsa natura humanae mentis provenit, cui veritas revelata per fidem inseritur atque inhaeret. Vix enim aliqua veritas sive naturalis sive revelata in mente suscipitur, cum mens humana ad alia quae cum illa veritate conexa sunt inquirenda impellitur. Ad quaestiones, quas sibi ipsa ponit, aliquando sine ullo negotio rosponsum dare potest, aliquando dubia haeret et tantum post longam inquisitionem certum ac definitum sibi responsum dare potest. Sic cum antiqui ex Scriptura scirent, Christum filium Dei esse, nihil tam obvium poterat esse, quam quaestio, utrum Christus filius Dei naturalis an adoptivus tantum esset; ad quam facile sibi responderunt: esse filium naturalem, divinitatem Christi sic muniendo contra Arium. Eodem modo divinitatem Spiritus Sancti contra Macedonium sine ulla dubitatione statuerunt. Cum vero patres in primo concilio Nicaeno congregati, ut astuta Arii subterfugia destruerent, brevem aliquam formulam quaererent, qua Filii divinitas ineluctabiliter assereretur, atque in hoc negotio plurimum insudarent, cum talem formulam in ipsa Scriptura non invenirent, tamen non desperabant, usque dum apud S. Dionysium Alexandrinum formulam aliquam invenirent, quam deinde magno animorum consensu tamquam genuinam fidei catholicae expressionem complexi sunt, Filium Patri »consubstantialem« definiendo. Atque ità controversia illa per concilium Nicaenum composita est et omnes illi qui deinceps consubstantialitatem Filii cum Patre quocumque modo oppugnare aggressi sunt, non iam ut fratres dubitantes sed ut haeretici veritati repugnantes habiti sunt. Omnino similem in modum quaestio de processione Spiritus Sancti, si forte ob speciales ecclesiae orientalis condiciones in Oriente tamquam aliquo modo adhuc dubia considerari poterat, ex quo in concilio Florentino et Oriens et Occidens in eandem doctrinam consensit, eandemque certe per aliquod saltem tempus universa credidit Ecclesia, a nemine qui inerrantiam ecclesiae in credendo pro certo et indubitato habet, potest in posterum in dubium vocari.

Id quod adeo verum est, ut firmum maneat, etiamsi quis excipere vellet Graecos, aut saltem multos eorum, dum professioni fidei Florentiae subscriberent, non sincere egisse. Certum est enim eos processionem Spiritus Sancti etiam ex Filio tamquam ex uno cum Patre spirationis principio Florentiae externe saltem sollemniter professos esse. Certum est, Florentino concilio sic adunato nihil earum rerum defuisse, quae etiam secundum Graecorum doctrinam ad concilium oecumenicum constituendum atque ad fidem totius Ecclesiae repraesentandam requiruntur et sufficiunt. Certum est etiam totam Ecclesiam sic congregatam et repraesentatam errare non posse. Iam vero cum interna videre nemo possit, nisi quis cum Luthero Ecclesiam invisibilem fingere velit, nobiscum conveniat oportet, inerrantiam a Christo Ecclesiae suae promissam, etiam, immo imprimis de fidei professione externa et sollemni valere, qualis praecise circa processionem Spiritus Sancti etiam a Filio a tota Ecclesia ibidem moraliter seu virtualiter repraesentata, Florentiae edita est[3]).

3. Iam vero haec unitas fidei utriusque ecclesiae in Spiritus Sancti etiam de Filio tamquam uno cum Patre spirationis principio processione credenda tantum abest, ut in concilio Florentino vel potius Lugdunensi primum statuta sit, ut potius tamquam reditus orientalis ecclesiae ad traditionem antiquam a Photio violenter interruptam considerari debeat. Nova certe et inaudita ipsius Photii tempore visa est omnibus eius negatio processionis Spiritus Sancti a Filio; nemo usque ad illud tempus, sive

---

[3]) Immerito loquuntur theologi orthodoxi de assensu episcopis Graecis invitis extorto (počti vsě [exceptis qui restiterunt maxime Dionysio Sard., Antonio Heracl., Marco Ephes.] dali vynuždennoe soglasie); cf A. Katanskij in Ḫrist. Čtenie 1868, I. 590—9; A. M. Ivancov-Platonov, O rimskom katolicizmě i ego otnošenijah k pravoslaviju, č. I. M. 1869 p. 102—115; Nikifor Kalogeras, Mark Evgenik i kardinal Vissarion pred sudom istorii... Strannik 1894 I. — Sane „propriam turpitudinem alleganti fides non habetur“; cf. etiam Socr. 1, 5. 10. — Ad rem nostram dicit Aeg. Sexstetter O. S. B., Gründlicher Beweis, dass die Vereinigung... Prag 1803, p. 283: „Weil es also nicht erweislich ist, dass Michael Cerularius rechtmässig gehandelt, da er die Kirchenspaltung angerichtet hat; ja vielmehr erwiesen ist, dass er es unrechtmässig, und wider das Gebot des Heilands... getan, so kann gewisslich nicht gesagt werden, dass die lateinische Kirche darum aufgehört hat eine wahre Kirche Christi Jesu zu sein, oder dass sie des von ihm seiner Kirche versprochenen Beistands ist verlustig worden, kraft dessen sie nicht wider das Wort Gottes oder wider die guten Sitten lehren, oder entscheiden kann. Daraus denn folget, dass alles, was sie immer hernach in ihren allgemeinen Kirchenräthen in Betreff des Glaubens oder der Sitten entschieden, nicht falsch oder irrig, sondern nach dem Worte Gottes entschieden worden; folglich die Griechen und Russen, wenn sie nicht wider die auch von ihnen selbst anerkannten Grundsätze handeln wollen, sich nicht entschlagen können, alles das anzunehmen was immer gedachtermassen, namentlich in dem zu Florenz gehaltenen Kirchenrathe, wo man ihre Gründe angehöret und beantwortet hatte, entschieden worden, gesetzt auch, dass die Griechen damals nicht aufrichtig, sondern nur dem Scheine nach, dem gefällten Urtheile beigetreten wären“.

in Oriente sive in Occidente, processionem Spiritus Sancti a Patre, quam in Scripturis legimus, ita concipiendam putavit, ut omnem relationem originis Spiritus Sancti relate ad Filium excluderet; hoc sane Photius primus dixit, erat vera innovatio in fide. Neque id tantum pro Occidentalibus, qui processionem Spiritus Sancti etiam ex Filio in symbolo profitebantur, verum etiam pro Orientalibus, qui cum magnis suis doctoribus licet aliis plerumque verbis rem tamen eandem continuo docebant.

Neque id ullo modo mirum videri potest, cum de re agatur, quae non in sola traditione continetur, sed ipsa etiam Scriptura sacra manifeste traditur, quamque unus ex primis et maximis Ecclesiae orientalis patribus, Sanctus Athanasius, non tantum quoad rem ipsam, verum etiam quoad formulam qua Occidentales utebantur secundum Scripturam clarissime et instantissime proposuerat. Ut enim recte Georgius Trapezuntius ait: »Verumtamen ab utroque esse Spiritum Sanctum doctores ecclesiae depraedicant, non de suo sed de sacris Scripturis id haurientes, implicite dictum explicarunt et fusiore sermone extenderunt« [4].

## I. De doctrina sacrae Scripturae circa processionem Spiritus Sancti.

4. Ut Scripturae doctrinam breviter sed quantum satis est exhibeamus, imprimis vehementer notandum est, in tota Scriptura nullum omnino textum reperiri, qui vel processionem Spiritus Sancti ex Filio neget, vel ex solo Patre esse statuat, vel tamquam proprietatem Patris personalem exhibeat. Aliunde vero non pauca testimonia inveniuntur, quae aliquam quamcumque tandem Spiritus Sancti relationem ad Filium exprimant, quae deinde, paulo accuratius considerata, veram et realem Spiritus Sancti ad Filium relationem, eamque originis exhibere deprehenduntur.

5. Luculentissimus est textus qui apud Ioannem (16, 13—15) legitur: »Cum venerit ille, Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a seipso, sed quaecunque audiet loquetur et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi; quia de meo accipiet et annuntiabit vobis« [5].

---

[4]) Leo Allatius, Graeciae orthodoxae I. 540.

[5]) Filaret (Prav. dogm. bog.[3] Spb. 1882 I, 89) haec contra affert: 1. Verba illa „de meo accipiet" non significant: a mea persona procedit. Aliter enim de processione a Patre loquitur et praeterea adhibet tempus futurum aeque atque in verbis clarificabit, annuntiabit; nec tamen antea exstitisse negari potest. Verus sensus huiusce loci — spectata significatione verbi λαμβάνειν (1 Cor. 11, 23; Ap. 3, 3; 1 Thess. 2, 13) est — eius sententia hic: »On proslavit Menja, poeliku iz Moih̆ sokrovišč priimet nastavlenija... iz Moih̆ sokrovišč priimet nastavlenija i vozvěstit o nih̆ vam. Nec vox illa „omnia" absolute accipienda est, cum sane nec Patris proprietates habeat Filius et appareat Christum loqui de opere salutis hominum; „ravno i soveršenno podobnoe město (Ioan. 5, 9) po svjazi rěči pokazyvaet, čto děla, kotoryja Syn tvorit podobno Otcu, ne zaključajut v sebě věčnago ish̆oždenija Duh̆a sv. Haec ille.

Insistendum non est in eo, quod pro »audiet« occurrat etiam »audit« vel »audierit« et quod pro »accipiet«, secundo loco posito, codices magni momenti habeant »accipit«; certa enim est aliunde lectio »accipiet« in primo loco, quod cum evidenter in eadem linea ponendum sit cum »audiet, accipiet«, secundo loco positis, difficultas ex tempore futuro, si quae esset, non tollitur, aliunde vero specialis vis quam quis in praesentis tempore expressam videre possit, ad textum illustrandum non est necessaria.

*a)* Subiectum logicum totius textus, quod tamen semel tantum exprimitur, est »ille, Spiritus veritatis«. »Ille, ἐκεῖνος«, simul cum ceteris praedicatis logicis quae huic subiecto tribuuntur, »accipere« scilicet, »venire«, »loqui«, »docere«, »annuntiare«, »audire«, clarissime ostendunt, de vera persona haec omnia praedicari. Hanc autem Personam esse personam divinam, ex eius connumeratione cum Patre et Filio cognoscitur.

*b)* Quodsi nos iam ad praedicata convertamus, quae huic personae tribuuntur, haec duplicis generis sunt; »venire«, »ad apostolos loqui«, eos »docere« et eis »annuntiare futura« sunt operationes divinae ad extra procedentes, quae secundum doctrinam theologorum notissimam Spiritui Sancto speciali modo attribuuntur, etsi eodem modo Patris et Filii operationes sunt. Alia autem quaedam praedicata eiusmodi sunt, ut processionem in ipsa natura divina manifestent. Id quod imprimis de Spiritu Sancto sic enuntiatur, est aliqua quaecumque tandem eius de Filio dependentia: »Non enim loquetur a semetipso«; quae dependentia in eo consistit, quod de aliquo alio, qui ipse Filius est, »accipit«, notitiam scilicet apostolis manifestandam et cognitionem rer um futurarum: »quaecumque audiet loquetur« et »quae ventura sunt annuntiabit vobis«.

*c)* Hic iam necessario oritur quaestio, quomodo potest Spiritus Sanctus, persona divina, ideoque veritas per essentiam, accipere aliquid, cognitionem rerum manifestandarum habere, ab alio? Profecto a persona divinitati externa accipere nihil potest, neque hoc a Scri-

---

Similiter E. Uspenskij negat Christum loqui de proprietate Spiritus s., sed de oeconomia nostrae salutis (Oblič. bogosl. Ufa 1891 p. 36). Item alia Philareti argumenta repetit atque hunc sensum verbis Christi subicit: Spasitel' utverždal, čto Duḫ Svjatyj, kak Ego preemnik na zemlě v dělě domostroitel'stva spasenija, budet vozvěščat' ne novoe kakoe-libo učenie, a to-že samoe, kakoe propovědyval i Spasitel'. — N. Malinovskij (Očerk pravosl. dogm. bogosl. Kamenec-Pod. 1904 I. 179) fere eadem affert ac Filaret. — Similiter P. Smirnov locum explicat (Izloženie ḫrist. prav. věry[15] 1906 p. 36): Slova sii označajut tol'ko to, čto novyj Nastavnik — Duḫ istiny ne budet propovědyvat' kakogo-libo novago učenija, otličnago ot učenija Hristova, a raskroet, utverdit i usvoit věrujuščim to učenie, kotoroe Gospod' vozvěstil. Alii, ut [A. N. Muretov], Slovo kathol. pravoslavija rimskomu katoličestvu M. 1853 p. 26 57 simpliciter eos, qui rem pridem pertractarunt, allegant (Theophanem Prokopovič, Macarium). Cf. Plac. de Meester, Études sur la théol orthod. II, 3; Anon.-Astaškov, Isḫoždenie sv. Duḫa i vselenskoe pervosvjaščenstvo. Freib. 1886, p. 45—49; Carstvo Božie v mirě, kn. VII. Krakov 1904, 28—31; O cerkvi. 1888 p. 147—171.

ptura asseritur; verum neque a persona divina quidquam alio modo accipere potest, quam per transfusionem naturae, quem in modum etiam Filius naturam divinam et cum ipsa omnia a Patre habet. Et revera Scriptura ipsa hanc auditionem unius personae divinae ab alia nihil aliud esse, quam transfusionem naturae unius in aliam seu originem unius ab alia diserte testatur; nam secundum Io. 8, 28 iudaei non cognoscunt, Iesum Patrem suum dicere Deum, eo quod dicat: Qui me misit verax est et: Ego quae audivi a Patre meo, haec loquor in mundo; neque aliud quam originem suam a Patre Iesus exprimere vult, quotienscumque in hunc modum loquitur: »A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor« (Io 8, 28); »Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumqne enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit; Pater enim diligit Filium et omnia demonstrat ei quae ipse facit« (Io 5, 19). Iamvero, si communicatio cognitionis ex Patre in Filium, transfusionem naturae divinae ex Patre in Filium significat, etiam auditio Spiritus Sancti a Filio cum acceptione naturae ideoque processione Spiritus Sancti a Filio est identica.

*d)* Argumentum novum idemque valde efficax obtinetur, si ad verba apud Ioannem immediate praecedentia eorumdemque cum iis, quae iam consideravimus, nexum logicum attendamus. »Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit etc.« Secundum haec, ipse Christus habet adhuc multa manifestanda ipsis, quae tamen, quod mireris, non manifestabit ipse, sed potius Spiritus Sanctus. Nihilominus nec veritas inde ullum detrimentum patietur, nec quidquam eorum, quae Filius manifestare debet, manifestatione carebit. Rationem huius securitatis reddit primo, quia Spiritus Sanctus est Spiritus veritatis, et ideo docet omnem veritatem, non omnem possibilem, quasi nos omniscientes reddere velit, sed omnem eam quam Filius pro inscrutabili Dei iudicio manifestare debet: »Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar  Quae ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor« (Io. 12, 49, 50). Et in fine vitae suae mortalis, postquam apostolis multa iam revelaverat, sic ait: »Adhuc multa habeo vobis dicere«. Primum hic a Christo quaeri posset: Si tu dicis, quia tu habes adhuc multa dicere, quomodo tunc certus es, Spiritum Sanctum praecise haec nobis et non alia revelaturum esse? Num forsitan Spiritus Sanctus a Patre idem mandatum habet quod tu accepisti? Respondet nobis Christus, aliquo saltem modo id ita esse, scilicet aliquam communicationem consiliorum locum habere. Spiritus Sanctus non alia dicet quam ea quae Filius ab ipso nobis revelari vult, quia non pro suo iudicio, non a seipso loquetur Spiritus Sanctus, sed tantum quae audiet ab alio, ipso scilicet Christo, tantum quae ipse Christus ei tamquam adhuc manifestanda communicabit, haec audiet et quaecumque sic audiet loquetur.

*e)* Et Spiritus Sanctus non tantum »a« Filio accipit ita ut Filius sit persona quae dat, verum etiam, — atque hac locutione res danda,

eaque ut talis quae Filii dantis iam vere sit propria exprimitur, — de eo, quod iam Filii est, quodque vi huius ipsius originis, sicut in Filio est, ita, origine posterius etiam in Spiritu Sancto est. Quae omnia originem Spiritus Sancti a Filio nimis clare manifestant. Ulterius, quia Spiritus Sanctus ea quae annuntiabit, a Filio habet, quia a Filio et de eo quod iam est Filii, »de meo«, accipiet, ideo haec manifestatio a Spiritu Sancto facienda non cedet tantum in gloriam Spiritus Sancti annuntiantis, verum etiam in gloriam Filii manifestanda ipsi communicantis, sicut Filius ipse, Patris mandata exsequendo, Patrem glorificat. »Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis«.

*f)* Quod Christus, ut nobis ulterius explicet, dicit nihil mirum esse, quod Spiritus Sanctus ab ipso accipiat, cum ipse Christus non minus quam Pater habeat, sed potius tantundem, idque non solum specifice, verum etiam numerice, ita ut ipse non solum similia sed omnino eadem habeat ac Patèr: »Omnia quae habet Pater mea sùnt«, scilicet, propter generationem Filii a Patre, qua Pater Filio omnia prorsus communicavit atque communicat.

Verum aperta manet adhuc quaestio, quomodo, ex mente Christi Domini, aequalis possessio bonorum divinorum ratio sit, ex qua intellegatur, cur Spiritus Sanctus a Filio accipere possit, i. e. quo sensu accipiendum sit: Omnia quae Pater habet mea sunt, ut sequatur: Ergo potest Spiritus Sanctus de meo accipere. Num id quod Christus directe exprimere intendit tantum hoc est: Patrem et Filium ipsa bona Spiritui Sancto tradenda communia habere, communiter possidere, an vero potius, Patrem et Filium in ipsa etiam bonorum illorum traditione convenire, unum esse? In priore hypothesi sensus esset: Cum ego, Filius, eandem scientiam habeam ac Pater, ideoque haec scientia non minus mea sit quam eius, eo ipso quod Spiritus Sanctus bonum Patris accipit, accipit bonum meum, »de meo accipiet«; sicut cum duo domini commune alicuius possessionis dominium habent, eo ipso, quod tertia aliqua persona de bono primae accipit, accipit etiam de bono secundae. In posteriore vero hypothesi sensus hic esset: Cum ego, Filius, et Pater, sola relatione paternitatis et filiationis excepta, omnia habeamus communia, et inter haec communia non solum bona ipsa, ut scientia futurorum, verum etiam illa praeeminentia, quae in horum bonorum transfusione seu communicatione consistat, necessario comprehendatur, sequitur, Spiritum Sanctum, eo ipso quod a Patre accipit ideoque Pater ipsi communicat, ipso facto etiam a me accipere et me illi communicare.

Differentia inter utrumque modum in eo consistit, quod in primo casu accipit quidem Spiritus Sanctus de bono Filii, quod ipsius »meum« est, sed non in quantum praecise ipsius meum est; sicut persona tertia, quae de bonis communibus duarum aliquarum personarum accipit, solum tunc de »meo« utriusque accipit, si utraque persona de bonis communibus vere dat. In secundo vero casu non solum bona tradenda vere propria sunt Filio, sed etiam ipsa traditio horum bonorum est eodem modo Filii propria, sicut et Patris, et

Spiritus Sanctus, qui ea accipit, accipit non tantum de bonis quae sunt Filii, verum etiam de bonis quatenus sunt Filii, cum ipse ea simul cum Patre vere tradat. Iam vero omnino secundo illo sensu nexus ille logicus intellegendus est, quia solum ita acceptio de bonis Filii est acceptio de bonis eius ut talibus et solum ita acceptio in gloriam Filii cedit: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, cum secus solum in gloriam Patris cederet. Id quod etiam hac consideratione confirmatur. Paulo ante dixerat, Spiritum Sanctum a Patre procedere, quo certe illa praeeminentia exprimitur, quae in eo consistit, quod Spiritus Sanctus aliquem a se procedentem habeat; ergo etiam hic, ubi Filius omnia sibi cum Patre communia esse asserit, secundum sensum maxime obvium haec eadem praerogativa a numero earum rerum, quae ipsi cum Patre communia sunt, non est excipienda.

6. Haec quae iam per solam verborum Christi analysim obtinentur, confirmant ea, quae ex communicatione scientiae in Filio existentis, Spiritui Sancto facta, deduximus. Omnia autem simul confirmantur iis Scripturae locis, in quibus Spiritus Sanctus, sicut Spiritus Patris est (Mt. 10, 20), ita Spiritus Filii (Gal. 4, 6)[6]), Spiritus Christi (Rom. 8, 9) et Spiritus Iesu Christi (Phil. 1, 19) vocatur.

*a)* Ad huius argumenti vim intellegendam, prae oculis habendum est, quod »Spiritum Sanctum esse« proprietatem seu notam personalem tertiae personae ss. Trinitatis exhibet, sicut »Patrem esse« proprium primae. »Filium esse« proprium secundae personae Trinitatis est, id quod ex illis Scripturae locis patet, in quibus, sicut in formula baptismi, tres personae ss. Trinitatis simul enumerantur et ipsis illis nominibus designantur et distinguuntur. Non enim nude personarum in Deo Trinitas revelata est, sed etiam uniuscuiusque harum personarum proprietas, nomine proprio expressa.

*b)* Quod si ita est, quid igitur significat verbum »spirare«, a quo substantivum »Spiritus« deductum est? Est idem atque »exhalare«, »respirare«; et »Spiritus« est idem ac »halitus«, qui per respirationem vel exhalationem ex intimis visceribus emittitur. Id quod etiam clarius ex graeco »πνεῦμα« patet, quod quasi productum respirationis significat, eodem modo quo »πρόβλημα“ productum alicuius emissionis, τοῦ προβάλλειν, et ποίημα productum τοῦ ποιεῖν significat. Iam vero sicut πρόβλημα et ποίημα necessariam relationem ad emittentem vel facientem includunt, ita τὸ πνεῦμα necessario personam spirantem connotat, cuius illud πνεῦμα est, et sicut nomen personae appositum voci πρόβλημα vel voci ποίημα non personam qualemcumque, sed, per se, determinate illam dicit, quae iam indeterminate in voce ipsa continetur, emittentem scilicet vel facientem, sic omnino, si voci

---

[6]) N. Glubokovskij ad hunc locum adnotat (Blagověstie ḫristianskoj svobody v poslanii sv. Apostola Pavla k Galatam. Spb. 1902, p. 103—4): „Nazvanie Duḫa synovnim rysuet Ego liš' so storony božestvennago suščestva i ne zatrogivaet ličnyḫ osobennostej. Apostol'skoe svidětel'stvo naprasno privlekaetsja dlja obosnovanija katoličeskoj idei Filioque...; ibo ona kasaetsja opredělenij po ipostasi, o čem sv. Pavel zděs' umalčivaet, predpolagaja eto upominaniem o posol'stvě, kotoroe nemyslimo bez individual'noj samobytnosti posylaemago“.

πνεῦμα nomen aliquod personae appositum videmus, haec vox illam personam significat, a qua illud πνεῦμα tamquam illius personae quasi productum procedit.

*c)* Ergo etiam si Spiritum Sanctum πνεῦμα Filii nominari videmus, sensus unicus obvius est, Filium illud πνεῦμα spirare, eo magis, quod halitus, cum ex natura sua fugacem tantum existentiam habeat, et, nisi continuo productus vel ex ore procedens, ne perdurare quidem possit, possideri ab aliquo intellegi nequit, nisi in quantum ab eodem continuo procedat. Quare, etiamsi concedendum esset, quod tamen concedi nequit, genitivum voci Halitus seu Spiritus appositum, genitivum possessivum esse, tamen necessario et natura prius, semper simul tamquam genitivus originis concipiendus esset. Nulla autem alia relatio praeter relationem originis cum vel sine relatione possessionis, tamquam significatum obvium et non propriis argumentis, deviationem a loquendi modo obvio indigitantibus, probandum, admitti ullo modo potest. Iam vero in nullo unquam loco ubi Spiritus Sanctus Spiritus Filii dicitur, detorsio huius genitivi ad nescio quod reconditum significandum probari ullo modo potest: ergo si Spiritus Sanctus Spiritus sive Patris sive Filii dicitur, secundum sanam exegesim id non alio sensu intellegi potest, quam de Spiritu sive a Patre sive a Filio spirato ideoque ab eodem procedente.

*d)* Nominatim dici nequit, Spiritum Sanctum Spiritum Filii dici, vel quia eiusdem cum Filio essentiae est, vel quia a Filio hominibus datur. Spiritus Filii, dictum ad significandum: »Spiritus eiusdem essentiae ac Filius«, esset modus loquendi valde audax, tum in theologicis tum in profanis sine exemplo, qui, ut in aliquo tamen admitti posset, argumentis omne dubium excludentibus probari deberet; cumque omnes tres personae ss. Trinitatis consubstantiales sint, eodem iure deberet dici posse: Pater Spiritus Sancti, i. e. Pater eiusdem essentiae ac Spiritus Sanctus, Filius Spiritus Sancti, i. e. Filius eiusdem essentiae ac Spiritus Sanctus, immo etiam locutio Pater Filii deberet aliquando nihil aliud significare, quam: Pater, eiusdem essentiae ac Filius. Iam vero haec omnia a doctrina revelata omnino abhorrent, secundum quam una persona divina alterius personae divinae dicitur, non ratione communis essentiae, sed ratione characteris personalis; Filius Patris est, et Pater Filii est, sed praecise ratione paternitatis et filiationis; Filius Patris significat: Filius a Patre generatione procedens, Pater Filii: Pater Filium generatione producens. Ergo, Spiritus Filii: Spiritus a Filio spiratus seu, quod idem est, a Filio spiratione procedens.

Neque magis dici potest, »Spiritus Filii« significare unice: Spiritus a Filio hominibus datus. Verum hic iam ad tertiam testimoniorum seriem devolvimur, quibus aeque invicte probatur. Spiritum Sanctum etiam a Filio vere et realiter procedere.

7. Sunt autem illi textus, quibus Filius Spiritum Sanctum mittere vel dare dicitur, sicut in aliis textibus idem de Patre relate ad Spiritum Sanctum dicitur. De Patre dicitur: »Et ego rogabo Patrem

et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis; apud vos manebit et in vobis erit« (Io. 14, 16), »Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia« (Io. 14, 26). De Filio dicitur: »Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me« (Io. 15, 26)[7], »Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos« (Io. 16, 7), »Et ego mitto promissum Patris mei in vos« (Luc. 24, 49), »Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum« (Io. 20, 22)[8].

Iam vero haec missio Spiritus Sancti a Filio non potest explicari nisi ita, ut internam processionem Spiritus Sancti a Filio includat. Sicut Spiritus Sanctus, ita etiam Filius in Scriptura mitti perhibetur, nunquam vero Pater, et Filius, siquidem de natura eius divina agitur, unice a Patre missus exhibetur, nunquam vero a Spiritu S., dum Spiritus Sanctus, ut textus modo allati probant, tum a Patre tum a Filio mitti dicitur. Sine dubio, cum de missione alicuius personae divinae ad creaturas sermo est, necessario de effectu aliquo creato, per talem missionem producto, cogitandum est, ideoque etiam de operatione aliqua divina ad extra, per quam talis effectus producatur. Sic cum Deus Filium suum misit in mundum, naturam humanam creatam eidem Filio hypostatice coniunxit; cum Pater et Filius Spiritum Sanctum animis fidelium immittunt, ut in ipsis tamquam in domo propria ha-

---

7) Philaretus Prav. dogm. bog.[3] Spb. 1882 I. p. 88 s. argumentatur ex adhibito tempore futuro hoc modo: Samoe različie vremen — Ego že poslju vam, ishodit — pokazyvaet, čto zděs' opisyvaetsja sovsěm ne odno i tože sostojanie Duha. Ishodit — eta forma glagola očen' točno vyražaet sostojanie věčnoe, neizměnjaemoe; podobno govorit o Sebě Syn Božij: prežde daže Avraam ne byst', Az esm' (Ioan. 8, 58). No esli govorit Syn Božij o Duhě svjatom: poslju vam; to, kak pokazyvaet forma glagola, govorit o vremennom poslanii (cf. Io. 14, 16). Praeterea e diversitate vocabulorum argumentatur: slovom „ishodit" vyražaetsja ne tože, čto slovom „poslju"; quae si non differrent, mira oreretur tautologia (Az poslju vam ot Otca, iže ot Otca posylaetsja). Accedit, quod etsi generatio Filii soli Patri sit tribuenda, apud Is. 61, 1; 48, 16. Luc. 14, 18 Filius a Spiritu s. mittitur. Cf. idem ap. Malinovskij, Očerk prav. dogm. bog. 1904 I. 179 et Truskovskij, Rukovodstvo k oblič. bcgosl. 1889, 17. Denique si vere procederet Spiritus s. a Filio, debuisset Christus dicere: „qui a nobis procedit", vel: „a Patre et a Me procedit". Etomu těm bolěe nadležalo byt', čto Spasitel', utěšaja učenikov oběščaniem nisposlat' sv. Duha, tut že pripisyvaet eto nisposlanie kak Sebě, tak i Otcu (Io. 15, 26. 14, 26) i čto On v drugom slučaě vyražaetsja tak: Az i Otec — edino esma. I tak po točnym slovam Spasitelja Duh sv. ishodit ot Otca, no posylaetsja ot Otca i Syna.

8) Philaretus dicit Prav. dogm. bog.[3] Spb. 1882 I. p. 90 inepte allegari Io. 20, 22, cum eadem ratione sequeretur, etiam ab apostolis procedere Spiritum s. (Act. 8, 18): Stranno postupajut, kogda v uvěrenie o věčnom proishoždenii Duha svjatago ot Syna obraščajutsja k slovam Io. 20, 22. Ibo poslě sego možno dokazyvat', čto Duh sv. proishodit i ot apostolov, tak kak i apostoly izvodili Duha svjatago (Dějan. 8, 18).

bitent, profecto donum aliquod creatum in ipsis producitur, ex quo homines illi cum Spiritu Sancto speciali modo uniti intellegantur.

Verum missio alicuius personae divinae non sola hac creati effectus productione absolvitur. Si enim ita esset, non intellegitur, cur non etiam Pater a Filio vel a Spiritu Sancto aliquando mitti dicatur. Eo ipso, quod mitti de solis personis procedentibus dicitur, indicium validissimum habetur, missionem ad extra cum processione ad intra ita cohaerere, ut missio ad extra processionem ad intra implicet et supponat, ideoque cum Spiritus Sanctus etiam a Filio mitti dicatur, eo ipso eum a Filio procedere connotetur. Id quod ex natura missionis adhuc clarius elucet. Hanc autem missionis naturam accuratius inspiciendam esse patet, quia, cum Deus nobis aliqua revelat, non nuda verba nobis proponit, sed id ipsum nobis significare intendit, quod verba humanae nostrae linguae ex universali hominum talis linguae conventione significare noscuntur, iis solis demptis, quae sive imperfectionem in Deo ponerent, sive ex aliis veritatibus pariter revelatis noscuntur esse exclusa. Iam vero cum aliquis ab aliquo mitti dicitur, ad aliquid moveri intellegitur, ita, ut principium talis motus sit in movente, a quo missus ad aliquem terminum movetur, ita ut ille movens verus illius motus auctor sit. Quae si transferamus ad divina, motus, i. e. operatio divina, qua persona divina missa ad aliquem effectum creatum producendum dirigitur, exhibetur nobis tamquam originata in hac persona a persona mittente; cum vero operatio divina nihil aliud sit, quam natura divina, prouti in persona missa est, patet, naturam divinam, prout in persona missa est, exhiberi ut originatam a persona mittente. Ergo, cum Spiritus Sanctus non solum a Patre verum etiam a Filio mitti disertis verbis dicatur, natura divina prouti in Spiritu Sancto est, iterum exhibetur tamquam originata in ipso a Filio, quo ipso Spiritus Sanctus a Filio procedit.

8. In omnibus autem hisce textibus, qui Spiritum Sanctum a Filio realiter procedere ostendunt, simul indicatur, Spiritum Sanctum non quasi separatim a Patre et separatim a Filio procedere, sed potius a Patre Filioque tamquam ab uno principio: eodem prorsus modo, quo etiam opera ad extra, etsi ab omnibus tribus ss. Trinitatis personis prodeant, tamen ab ipsis tamquam ab uno principio procedunt, quia natura et operatio eorum numerice una est. Hoc verbis Christi continetur: Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Sicut enim Filius naturam unam eandemque cum Patre communem habet, etsi sit in Patre sine principio, in Filio vero a Patre, ita etiam activam spirationem unam eandemque cum Patre communem habet, etsi sit in Patre sine principio, in Filio vero, sicut ipsa divina natura, tamquam per generationem accepta a Patre. Idem etiam ex eo patet, quod, ubi Filius Spiritum Sanctum se mittere velle ostendit, dicit se eum missurum esse a Patre, i. e. virtute spirativa et actuali spiratione accepta a Patre; et, cum Patrem dicit missurum esse Spiritum Sanctum, dicit Patrem eum missurum in nomine »meo«, ubi inseparabilis Patris et Filii in Spiritu Sancto mittendo ideoque etiam in eodem spirando societas et unio clarissime exprimitur.

9. Iam vero ut hanc textuum explicationem unice veram et catholicam, in quantum quidem essentiam dogmatis de processione Spiritus Sancti etiam a Filio respicit, esse ostendamus, praeter argumenta sane irrefragabilia, quae ex natura rei petivimus, antiquissimae saltem ecclesiae traditionem audiamus, quam in hac re non forte dubiam seu valde indeterminatam esse videbimus, ut multi opinari videntur, sed potius clarissimam atque firmissimam, id quod imprimis in magno illo utriusque ecclesiae lumine S. Athanasio Alexandrino videbimus, cuius etiam solius verba, pro eorum claritate et gravitate, et pro viri illius magna sanctitate et in utraque ecclesia auctoritate, ad omne dubium longe amovendum satis sunt. Doctrina horum patrum, imprimis S. Athanasii, non quasi initium aliquod in evolutione huius dogmatis signat, sed ipsam veritatem ab ecclesia Romana antiquitus defensam et in ipso oriente a Photio tantum primum negatam, luce meridiana iam resplendentem exhibet, ita ut posteriora tempora iam dogma plene evolutum et explicite propositum ab ipsis acceperint et ad alios transmiserint.

Quod ut melius sentiatur, attendendum est, doctrinam de processione Spiritus Sancti iam ab illis patribus non implicite tantum tradi, verum etiam explicite, non uno tantum dicendi modo sed pluribus accidentaliter diversis ut in re notissima usuvenire solet, non semel vel iterum tantum, sed locis omnino plurimis, non ut explicationem privatam et nullius momenti, sed ut unice veram et prorsus necessariam expositionem ipsius doctrinae in scripturis revelatae, haecque omnia ita in luce Ecclesiae publica, ut eorum fides necessario totius tunc Ecclesiae fides habenda sit.

Maxime attendendum est, quomodo illi patres hac in re continuo ad sacram Scripturam se referant, et formulas suas tamquam genuinam Scripturae expositionem proponant. Hinc enim ante omnia apparebit, explicationem Scripturae quam superius dedimus, ut inde processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque tamquam ab uno principio eliceremus, patrum horum calculo omnino probari, cum ipsi hanc eandem in illis locis contineri doctrinam explicitis verbis tradant. Qua observatione si tamquam clave utamur, apparebit ulterius, tot alios modos loquendi, quibus illi et posteriores patres relationem Spiritus Sancti ad Filium exprimere solent, ab ipsis tamquam processioni ex Filio omnino aequivalentes considerari. Tandem quaedam principia dogmatica horum patrum deprehendere licebit, quae vel ipsi consequenter ad processionem Spiritus Sancti a Filio circa ss. Trinitatem statuunt, vel aliunde ex Scriptura deducunt, ut inde processionem Spiritus Sancti etiam ex Filio demum evincant. Quae omnia eorum persuasionem de processione Spiritus Sancti etiam ex Filio firmissimam et certissimam esse ostendunt ideoque invictum traditionis argumentum pro hoc dogmate constituunt.

## II. **Doctrina S. Dionysii Alexandrini.**

10. Dionysius Alexandrinus († 264—265), cum apud Dionysium, Romanae Ecclesiae episcopum (259–268), sub finem vitae suae accu-

satus esset, quod Christum Deum esse negaret, ut se purgaret ab obiecto crimine, praeter epistulam ad Romanum Pontificem quattuor libros »Refutationis et Apologiae« (Ἔλεγχος καὶ Ἀπολογίαι) scripsit, in quibus rectam suam fidem indubiam fecit (S. D. c. 479—522). In libro secundo processiones internas ss. Trinitatis ita describit: »Singula nomina a me prolata, a se invicem nec separari nec dividi possunt; Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem, iam illum in Patre significaram; Filium adiunxi, ac etiamsi Patrem prius non nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat; Spiritum Sanctum addidi, sed simul et unde et per quem processerit adiunxi, ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν καὶ διὰ τίνος ἧκεν ἐφήρμοσα. Illi vero ignorant, neque Patrem qua Pater est, a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo coniunctionis; neque Filium a Patre separari, namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat, τὴν κοινωνίαν. In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente neque a ferente separari potest, ἐν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος μήτε τοῦ φέροντος δυνάμενον στέρεσθαι.. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et divisa omnino existimem?« »Sic quidem nos indivisibilem unitatem in trinitatem dilatamus, et trinitatem iterum quae imminui nequit, in unitatem contrahimus, συγκεφαλαιούμεθα« (S. D. n. 17 c. 503). Quae ultima verba respondent verbis consimilibus, quae Dionysius Romanus scripserat: »Aequum fuerit adversus illos disputare, qui augustissimam Ecclesiae praedicationem, monarchiam, in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque divinitates dividunt, discindunt, destruuntque... Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum et Spiritum Sanctum in Deo manere, ἐμφιλοχορεῖν, et habitare ac denique divinam Trinitatem in unum quasi quendam verticem, Deum universorum omnipotentem dico, reduci et colligi: ἤδη καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα τὸν θεὸν τῶν ὅλων, τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαι καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiae praedicatio integra servabitur« (S. D. n. 26 c. 26 ss.).

Iam vero imprimis notandus est finis, quem hic sibi Dionysius Alexandrinus proponit, ut scilicet omnino ad mentem Dionysii Romani trium in Deo personarum unitatem explicet, ex quo patet, eum de vita Dei interna non vero de operationibus eius ad extra agere. Hanc vero unitatem nequaquam in nuda trium personarum consubstantialitate reponit, cuius ceteroquin egregius defensor, immo, ut videtur, ipsius vocis »consubstantialis« inventor fuit, dum ait: »Et hanc vocem (ὁμοούσιος) in Scripturis non repperi, attamen earundem Scripturarum mentem colligens, agnovi, ipsum cum Filius et Verbum sit, non posse a Patris substantia esse alienum« (S. D. n. 20 c. 510). Ad unitatem illam inter tres personas divinas existentem explicandam, potius ad artissimam illam coniunctionem provocat, quae inter has personas ex singularum charactere personali resultat: Pater nec nominari nec cogitari potest, quin implicite Filius nominetur et cogitetur, quia impossibile est, esse ali-

quem patrem, quin habeat filium, esse filium, quin habeat patrem. Plane **eodem** autem modo res de **Spiritu Sancto** se habet; etiam ipse nec nominari nec cogitari potest, quin implicite nominetur et cogitetur — quis? —: tum ille ex quo tum ille per quem venit. Sicut enim nec Pater a Filio nec Filius a Patre separari potest, ita neque Spiritus Sanctus separari potest neque a mittente neque a ferente, in manibus enim illorum est. Evidenter igitur hic Dionysius Alexandrinus Spiritum Sanctum non sola ratione consubstantialitatis, sed etiam et maxime et imprimis **ratione characteris hypostatici**, eodem modo ac quoad Patrem et Filium, refert, non ad unam tantum sed ad **duas** personas ss. Trinitatis, Patrem et Filium, ut distinctio inter πόθεν et διὰ τίνος, inter mittentem et ferentem, quo Spiritus Sanctus ut Donum exhibetur, quod mittente Patre a Filio defertur, sicut et pluralis ille: in manibus **illorum** est, manifestat.

11. Insignis est etiam illa doctrina eiusdem S. Dionysii Alexandrini, qua in divinis diversarum personarum naturalem **unitatem** et simul earundem ab invicem **distinctionem** et inter se **consubstantialitatem ex unius ab altero origine** reperit. Quam doctrinam ipse, dum relate ad Patrem et Filium latius prosequitur, variis **similitudinibus** illustrat, **quas postmodum alii patres, et imprimis S. Athanasius, etiam ad processionem Spiritus S. declarandam aptissimas esse iudicarunt.** »Si quis autem ex sycophantis, eo quod Deum omnium dixi factorem et creatorem, existimat, me etiam Christi creatorem dixisse, advertat, me prius Patrem eum appellasse, in quo vocabulo Filius adscriptus est. Postquam enim dixi Patrem factorem esse, subdidi: Neque Pater eorum est, quorum factor est, si proprie Pater intellegatur is qui genuit,... neque factor Pater est, si solus opifex factor dicitur« (S. D. n. 20 c. 510). Hic igitur docet, Patri ut Patri omnino essentialem esse utpote personalitatis eius distinctivum, relationem ad Filium, qui generatione ab ipso procedat.

Hanc eandem relationem Patris et Filii sic ulterius illustrat: »Cum sit Splendor lucis aeternae, et ipse omnino aeternus est...; Deus aeterna lux est, quae nunquam coepit, nunquam desinet; aeternus ergo splendor ipsi praelucet ac coexistit, qui absque initio est et ab aeterno genitus ante eum emicat.. Si genitor est, est et Filius; quod si Filius non est, qua ratione, et cuius potest esse genitor? Atqui ambo sunt et semper sunt... Cum igitur Deus sit lux, Christus est splendor; cum autem ipse (Deus) Spiritus, πνεῦμα, quoque sit, nam: »Spiritus, inquit, est Deus«, congruenter Christus vapor dictus est ἀτμίς; »est enim, inquit, vapor virtutis Dei« (Sap. 7, 25). Solus autem Filius, qui patri semper coexistit, et illo qui est plenus est, ipse quoque est ex Patre« (S. D. n. 15 c. 502 s.).

Et in epistula ad Dionysium Romanum: »Memini porro, me plurimas ex rebus inter se cognatis similitudines conglobasse. Etenim plantam sive ex semine, sive ex radice succrescentem, aliam esse dixi ab eo, unde pullulavit, etsi eiusdem omnino sit naturae; fluviumque a fonte fluentem, aliam formam ac nomen accipere, neque enim aut

fontem fluvium aut fluvium fontem dici; sed utrumque existere, ac fontem quasi patrem esse, fluvium vero aquam ex fonte manantem« (S. D. n. 18 c. 506 s.). Et in tertio libro Refutationis: »Vita ex vita genita est, quemadmodum flumen a fonte emanavit, et a luce inexstincta splendida lux accensa est« (S. D. n. 18 c. 507). Sunt igitur omnes hae similitudines »ex rebus inter se cognatis« deductae, sed talibus, in quibus semper unius ex altero origo consubstantialitatis eorum ratio sit; ut enim superius dixit, »nomen illud (Patris) est origo coniunctionis προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα i. e. origo, quam nomen Patris exhibet, fundamentum et ratio est necessariae coniunctionis, quae inter Patrem et Filium existit. Quae eadem origo, nomine Patris vel Filii significata, ulterius etiam propria ratio est, ex qua, praeter relationem necessariam unius ad alterum, etiam utriusque consubstantialitas necessario consequitur: »Agnovi, ipsum, cum Filius et verbum sit, non posse a patria substantia esse alienum« (S. D. n. 20 c. 510).

12. Quae in illis similitudinibus explicavit, haec in libro 1 ex conceptu Verbi ita complet ac perficit: »Dictum est superius, Deum esse fontem omnium bonorum, Filius vero dictus est fluvius ab ipso emanans: »verbum« quippe est mentis emanatio, et, ut humano more loquamur, ex corde per os emittitur. Mens vero, quae per linguam prosilit, alia, ἕτερος, est a verbo quod in corde existit; istud enim, postquam illam emiserit, manet et est tale quale erat antea; illa vero emissa evolat et circumquaque fertur. Et sic est unumquodque in altero, etsi se habent ut alius et alius; et sunt unum, licet ipsi duo sint. Sic namque Pater et Filius unum sunt et in seinvicem esse illos comprobatum est« (S. D. n. 23 c. 514 Text. graec.). In libro quarto iterum de mente et de verbo ait: »Utrumque alterum ab altero, ἑκάτερος ἕτερος θατέρου, proprium et ab altero distinctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, istud in lingua et ore commoretur et moveatur; non tamen alterum ab altero distat, nec seinvicem privantur, neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente; sed mens verbum facit et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet in qua factum est; mensque est quasi verbum immanens, ἐγκείμενος, verbum autem quasi mens prosiliens; mens in verbum transit, verbum mentem in circumstantes auditores insinuat, et sic mens per verbum in auditorum animis collocatur et una cum verbo intrat. Ac mens quidem est pater verbi in seipsa existens; verbum autem quasi filius mentis, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit et ab ipsa germinavit. Eodem modo Pater ille maximus et Mens illa universalis, ante omnia Filium habet, Verbum, Interpretem et Angelum suum« (S, D. n. 23 c. 514) quibus verbis iterum sanctus hic pater, ad salvandam monarchiam, μοναρχίαν, i. e. unicitatem supremi principii, et simul personarum ab invicem distinctionem, totus in eo est, ut non tam consubstantialitatem, verum, hac supposita, personarum per mutuas relationes originis inter se coniunctionem demonstret. Ex quo apparet, secundum eius mentem, Trinitatis

unitatem non in sola consubstantialitate sitam esse, verum etiam, idque necessario, in personarum mutua per relationes originis coniunctione.

### III. **Doctrina Theognosti.**

13. Dionysii doctrinam eius secundus vel etiam primus in schola Alexandrina regenda successor, Theognostus in libro secundo Hypotyposion ita in unum colligit: »Non extrinsecus adinventa est Filii substantia neque ex nihilo educta sed ex Patris substantia nata est, ut lucis splendor et aquae vapor; neque enim splendor aut vapor ipsa aqua vel ipse sol est, neque rursus est aliquid allienum, οὔτε ἀλλότριον, sed est aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen, ut nullam divisionem ipsa Patris substantia sit perpessa. Ut enim sol idem manens, radiis ab ipso profluentibus non minuitur, ita neque Patris substantia mutationem ullam patitur, cum Filium sui ipsius imaginem habeat« (D. N. n. 25 c. 459).

Scilicet, Filius certe naturam seu substantiam aliquam habet, per quam intrinsecus in esse sibi proprio constituitur. Undenam est haec substantia? Non est ex nihilo facta, i. e. creata, sed per viam generationis ab ipsa Patris substantia provenit. Propterea non est quidem Filius Pater, at neque est naturae seu essentiae diversae a Patre, ἀλλότριον, sed potius connaturalis, consubstantialis, cur? — quia est aliquid emanans, per generationem utique, ex essentia Patris. Ergo habetur iterum illatio: Consubstantialis est, quia est ex essentia Patris, quia naturaliter a Patre oritur. Consubstantialitas, ac consequenter vera Filii divinitas, etiam secundum hunc auctorem, ante omnia ex naturali eius a Patre origine cognoscitur et probatur.

### IV. **Doctrina S. Athanasii.**

14. Sed iam veniendum ad magnum Athanasium († 373), qui vivens et mortuus tum orientem tum occidentem virtutum et doctrinae fama quam maxime illustravit. Iam adduximus locos ex Dionysio Alexandrino et Theognosto, »admirando illo et studioso viro«, quos ipse Athanasius in Epistula de Nicaenis decretis et in Epistula de sententia Dionysii, circa annos 350—354 scripta affert et approbat, quin tamen eos ad Spiritum Sanctum applicet, id quod eum postea facientem videbimus. Neque in orationibus contra Arianos prima, secunda et quarta de Spiritu Sancto multum est sollicitus, dum in oratione tertia ad illam doctrinam iam magis reflectit, et demum in epistula prima ad Serapionem, circa eosdem annos 356—362 conscripta, explicite in eandem inquirit. Neque tamen quae priore illo tempore et etiam posteriore de Filio Dei contra Arianos scripsit, pro doctrina magni Doctoris de Spiritu Sancto neglegi possunt, cum ipse postea totam doctrinam de Spiritu Sancto ex doctrina quam circa Filium Dei proposuerat explicet, et ea quae de Filio Dei dixerat, modo aliquo nostra attentione dignissimo, ad Spiritum Sanctum transferat.

Ipse enim, statim a prima de Spiritu Sancto controversiae origine, tamquam principium fundamentale hanc doctrinam statuit: »Spi-

ritum Sanctum eandem cum Filio habere unitatem, quam Filius cum Patre« habeat (n. 2 c. 334), et »idcirco iure et merito ante a me de Filio actum scriptumque est, ut ex cognitione Filii valeamus et Spiritus Sancti rectam assequi notitiam. Qualem enim scimus esse Filii proprietatem ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperimus« (S. III n. 1 c. 626). Quod principium iam pridem in prima oratione contra Arianos innuerat, cum scriberet: »Quomodo recte de Spiritu Sancto ille opinabitur, qui de Filio, a quo ipse datur, impie non veretur loqui?« (n. 8 c. 27), quod idem principium sub finem vitae in libro De Trinitate et Spiritu Sancto, circa annum 365 scripto, professus est: »His qui Filium Dei creaturam profitentur, nequaquam de Spiritu Sancto dabimus responsum« (n. 1 c. 1191). Atque hic statim vehementer notetur, S. Athanasium non ideo negare responsum ei qui de Spiritu Sancto interrogans, de Filio non recte sentit, quod aliquis de una persona divina procedente non recte sentiens non faciat magnam spem de altera recte sentiendi, neque ideo, quod Spiritus Sanctus aeque ac Filius de Patre procedat, quo posito, qui non admittit veram ac naturalem Filii a Patre processionem, neque dispositus sit ad eandem realem processionem Spiritus Sancti a Patre admittendam. Si enim in oculis S. Athanasii haec esset non respondendi ratio, in prioribus illis locis diceret: Qualem (i. e. naturalem) enim scimus esse proprietatem Filii ad Patrem, eandem ad eundem Patrem Spiritum Sanctum habere comperimus. Cuius loco dicit: »Qualem enim scimus esse proprietatem Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperimus«, quam differentiam unusquisque videt esse pro nostra quaestione gravissimam et prorsus decisivam, quia ipsam processionem Spiritus Sancti ex Filio clarissime enuntiat nec ullo modo sine violentia verbis illata explicari potest ab eo qui Spiritum Sanctum ex Filio procedere negat.

Cum igitur in systemate S. Athanasii doctrina eius de origine Filii a Patre necessarium fundamentum sit doctrinae eiusdem de processione Spiritus Sancti, ut haec altera plene illustretur, primum doctrinam eius totam de origine Filii a Patre exponere necesse est.

### A) *Doctrina S. Athanasii de relatione inter Patrem et Filium.*

15. Ut satis notum est, opera S. Athanasii dogmatica tota sunt in doctrina concilii Nicaeni contra Arium definita defendenda et explicanda. Arii haeresis in eo erat, quod Filium Dei externum et omnino diversum a Patris substantia, creatum, factum, opus Dei diceret, quod Patrem, Filium et Spiritum Sanctum substantias alienas et ab invicem separatas totam Trinitatem sui dissimilem, naturis et essentiis extraneis et diversis compositam affirmaret.

Contra quam haeresim Athanasio Nicaenisque patribus ante omnia personarum in Deo realis ab invicem distinctio contra Sabellium, tum Dei unicitas erat statuenda et explicanda. Nam ut Athanasius, cum Filium virtutem »eius«, i. e. Patris nominasset, ait »τὸ αὐτοῦ οὐκ ἔστιν

αὐτός«, (A. I n. 11 c. 36) i. e. si Filius dicitur esse virtus Patris, eo non intellegitur esse etiam ipse Pater; et alio loco: »Sed duo sunt, cum Pater sit quidem Pater sed non simul Filius, et cum Filius sit Filius quidem, sed non idem Pater« (A. III n. 4 c. 327). De unicitate vero Dei, quae simul intacta relinquenda et recte explicanda est, sic pergit scribere eodem loco: »Una vero natura est et ideo neque Filius alius Deus est. Nam etiamsi Filius tamquam fetus aliud est, tamen tamquam Deus idem est, et unum sunt ipse et Pater coniunctione naturae atque identitate unius Deitatis«.

Ad utramque hanc veritatem salvandam, imprimis necessarium est, ostendere, Filium simpliciter naturae divinae esse, idque omnino eodem sensu atque ipse Pater naturae divinae esse dicitur. Non enim sufficit, ut Filius dicatur solummodo similis; »simile non de substantiis, sed de figuris et qualitatibus dicitur, »de substantiis enim non similitudo sed identitas intellegi debet«, i. e. identitas illa logica, qua unus homo alteri quoad substantiam dicitur identicus, dum homo et brutum similia quidem esse possint, non autem sic identica. (Syn. n. 53 c. 787).

16. Via qua sanctus ostendit, hanc identitatem seu perfectam omnino similitudinem cum Patre Filio convenire, in eo est, quod primum omnium innumeris locis ad dictum Domini provocat: Omnia quaecumque habet Pater mea sunt, id quod continuo de attributis divinis, de operationibus divinis, demum de ipsa natura intellegit. Sic scribit e. g. ad episcopos Aegypti et Libyae: »Ut verbum et sapientia Patris, omnia quae sunt Patris habet, nempe aeternitatem, immutabilitatem, perfectissimamque cum illo secundum omnia similitudinem, ita ut nihil prius aut posterius in illo sit, sed una cum Patre existat, eademque sit ipse divinitatis forma et vi efficiendi pariter praeditus nec denique creari possit; nam cum Patris secundum naturam sit similis, non creatus sed creator est ut ipse dixit: »Pater meus usque modo operatur et ego operor« (Aeg. n. 17 c. 578). Deinde idem ex naturali filii ad patrem relatione deducit, vi cuius fiat, ut omnis filius sit patri suo perfecte similis, perfecta patris sui imago: »Cur vero ea quae Patris sunt, Filio attribuuntur, nisi quia Filius ex eo genitus est?« (Ar. III n. 5 c. 330). »Omne esse Filii est id quod Patris essentiae proprium est, sicut ex luce splendor et ex fonte fluvius.« (Ar. III n. 3 c. 327).

17. Hanc vero Filii cum Patre identitatem, non tantum perfectam similitudinem, neque mere logicam identitatem, sed potius realem et physicam esse, Athanasius non negat, at plerumque tantum tacite supponit, ita tamen ut id etiam non semel explicite asserat. De indissolubili personarum divinarum inter se nexu loquens, ait: »Siquidem una est Patris gratia quae per Filium in Spiritu Sancto completur; una pariter divinitas et unus Deus est, qui est super omnia et per omnia et in omnibus« (S. I n. 14 c. 566), et in oratione tertia contra Arianos: »Una autem natura est, non enim dissimile genitum generanti; imago enim eius est et omnia Patris Filii sunt; et ideo etiam Filius non est alius Deus, et Pater et Filius unum sunt, tum

proprietate et communitate naturae tum identitate eiusdem Deitatis... Quia ergo unum sunt, unaque est divinitas, idcirco eadem de Filio quae de Patre dicuntur, Patris excepto nomine« (A. III n. 4 c. 327, 330).

18. Quare S. Athanasius Filium tamquam plenissimo sensu Deum exhibet, cum scribit: »Siquidem semper fuit et est, sicut Filius ita et Dominus et summus omnium imperator, in omnibus Patri similis, omniaque habens quae Patris sunt, sicut ipse dixit« (A. II n. 18 c. 183). »A dextris sedens sinistrum non reddit Patrem; sed quod dextrum et honorabile est in Patre, hoc etiam Filius habet, quia ipse ait: Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Quocirca Filius a dextris Patris sedens, videt ipse similiter Patrem a dextris sedentem« (A. I n. 61 c 139). »Ipse Filius talis est, qualis Pater«, nec Trinitas, ut Ariani volunt, »sui ipsius dissimilis, externis et diversis naturis atque essentiis coalescens« (A. I n. 17 c. 47).

19. Verum haec omnia nondum satis sunt, necessario enim oritur ulterior quaestio, quomodo fieri possit ut personae quae, realiter ab invicem distinctae, realiter unam atque identicam naturam et essentiam habeant. Tria affert S. Athanasius ut huic quaestioni satisfaciat.

*a)* Quod omnino in Deo duae personae sunt, quae non solum perfecte similem sed etiam numerice identicam substantiam habeant, ex eo est, quod Filius ex Patre realem originem habet, non ad modum creationis et creaturae, sed ad modum generationis et geniti, cum Filius non translato sed vero et proprio sensu Filius Dei sit. — Videlicet Ariani, dum non abnuebant admittere, Christum ex Deo esse, id ideo faciebant, quia haec formula apertam relinquebat quaestionem, utrum Christus a Dei voluntate per modum creaturae esset, an vero ex Dei substantia per modum generationis. Quare ut eorum errori omnes vias praecluderent, patres Nicaeni definiverunt: »Filium ex essentia Dei esse«, ut eo significarent, »omnia alia esse creaturas, verbum vero solum ex Patre credi« (D. 11 n. 19 c. 450). Hunc esse unice legitimum illius »ex Deo« sensum; nam clarum est, quod cum Deum dicimus et Patrem nominamus, non aliquid circa Deum, sed ipsam eius essentiam significamus«, et ideo patres Nicaeni »ex Dei essentia«, »quia Deus, ut dixi, nihil aliud quam essentiam eius qui est significat« (D. 11 n. c. 455). Atque haec est causa, cur S. Athanasius perpetuo inculcet, Christum vere et simpliciter Filium Dei esse et Dei genimen seu fetum; ipse »vere Filius Dei est« (I. n. 48 c. 183), est »Dei Filius verus« (I. n. 32 c. 151), est »Filius verus et natura genuinus Patris« (A. I n. 9 c. 27), est »ex Patre et proprium ipsius genimen«, »verum Patris et proprium ipsius genimen« (D. 11 n. 12 c. 443), »quis audiendo nomen Filii non statim intellegat, quod Patris naturae proprium est«.

Atque hac sola ratione intellegitur, quomodo Filius cum Patre unum esse possit, nam »nihil unum est cum Patre, nisi quod ex ipso est« (A. IV, n. 17, c. 491), »id quod ex alio nascitur, ei quod se genuit est consubstantiale«; quare »solum investigandum est, utrum

hoc vere ex illo sit« (Syn. n. 51, c. 783). Haec condicio naturalis originis, sicut ad unitatem Filii cum Patre salvandam est necessaria, sic eadem semel posita, sequitur necessario, Filium »diversum esse quoad substantiam a creatis, proprium Patris verbum« (S. II, n. 5, c. 615). Cuius rei ultima ratio non est alia, quam ipsa essentialis et necessaria ratio »filii« seu »geniminis«; tum filius tum genimen non ex voluntate, sed ex natura producentis oritur. »Homo domum quidem condit, sed filium gignit« (D. N. n. 13, c. 446). »Domum quisque deliberans aedificat, sed filium ex natura gignit«, »fetus subiectus voluntati non est, sed naturae est proprietas« (A. I, n. 29, c. 71); »creata et facta relate ad facientem ab extra sunt, filius vero non ab extra sed ex Patre generante existit« (D. N. n. 13, c. 446); haec enim est ipsa definitio filii, nam: »Ex alicuius natura natum et non ab extra ipsi acquisitum hoc natura agnoscit esse filium, atque haec est propria huius nominis significatio« (D. N. n. 10, c. 442). Id quod sic deducitur ex conceptu »filii« vel »geniminis«, idem ex correlativo conceptu »patris« sequitur; nam cum nomine patris nomen filii inseparabiliter conexum est: »Qui patrem dicit, simul in ipso filium significat«, »patris nomen proprium ex eius substantia verbum manifestat« (D. N. n. 30, c. 474), »qui Deum patrem nuncupat, eum ex filio significat«, »qui Deum patris nomine insignit, illum ex Verbo significat« (A. I, n. 33, c. 82).

Neque vero illa conexio nominum tantum est, sed etiam atque ante omnia, rerum quae per nomina significantur. Nam: »Cur filius, si non ex ipso est?« (A. I, n. 19, c. 54). Solum sic explicatur, quod »Filii cognitio, Patris est cognitio« (A. I, n. 35, c. 86), »qualis est enim genitor, talem et genitum esse necesse est; et qualis est Verbi Pater, tale quoque eius verbum debet esse« (A. II, n. 35, c. 222).

Haec omnia, secundum s. Athanasium, formula illa comprehenduntur, quam patres Nicaeni Ario opposuerunt, cum illud »ex Deo« explicarent per »ex Dei essentia«; cui formulae ex mente Athanasii aequivalent hae aliae: »ex Patre generante« (N. D. n. 13, c. 446), »proprium ex eius essentia genimen« (N. D. n. 31, c. 474), »Filius substantiae Patris est natura« (A. IV, n. 2, c. 470), »essentia eius ex Deo« (D. N. n. 13, c. 447), »Filii substantia ex Patris substantia nata est« (D. N. n. 25, c. 459), »Filius secundum essentiam« (D. N. n. 23, c. 455).

Haec Filii ex Patre propria et realis processio, secundum s. Athanasium est vera et propria ratio, perfectissimae illius unitatis inter Patrem et Filium existentis, ex qua fit, ut Filius omnia habeat quae Pater, ut Filius omnia sit quae est Pater, ut Filius et Pater unum sint, »namque Filius omnia ipse est, quae Patris sunt« (Ar. III, n. 67, c. 466), »ipse Filius talis est qualis Pater, cuius naturae proprius quoque est fetus« (A. I, n. 19, c. 50), »qualis est genitor, talem et genitum esse necesse est, et qualis est Verbi Pater, tale eius Verbum debet esse« (Ar. II, n. 35, c. 222), »Filii enim proprium est, ea quae Patris sunt habere, ac talem esse ut in ipso Pater conspiciatur« (Ar. II, n. 24, c. 198), »cur vero ea quae Patris sunt, Filio attribuuntur, nisi quia Filius ex illo genitus est? Cur item quae Filii sunt eadem propria sunt Patris, nisi quia Filius eius naturae proprius factus est?« (Ar. III,

n. 5, c. 330); »Filius verus et natura genuinus est Patris, eiusque substantiae est proprius, proprius substantiae Patris fetus. Quocirca Deus est verus veroque Patri consubstantialis existens« (Ar. I, n. 9, c. 27).

Haec realis Filii ex Patre processio est etiam ratio, cur Filius perfecta Patris imago sit, ex quo iterum perfecta cum Patre unitas consequitur. »Figura est enim substantiae Patris, lux ex luce et vera naturae Patris imago« (Ar. n. 9, c. 30). Cur id?: »quia Filius ex Patre est, omnia quae Patris sunt Filii sunt, ut in imagine et charactere« (Syn. n. 50, c. 782); »qui ipsum videt, videt et Patrem, ob naturae scilicet proprietatem, summamque Filii in omnibus cum Patre similitudinem« (Ar. II, n. 22, c. 191). »Cum igitur Filius imago quoque sit Patris, intellegere necesse est, divinitatem et proprietatem Patris hoc ipsum esse quod est Filius, et in Filio illa ex Patre proprietas et divinitas ostendit Filium in Patre« (A. III, n. 5, c. 331).

*b)* Porro sicut Athanasius in generatione Filii a Patre propriam rationem videt, cur in Deo plures Personae, Pater et Filius omnino esse possint, quae scilicet, non obstante personali earum pluralitate, unam tamen etiam numerice divinam naturam habeant, ita in eo, quod generatio illa non humana sed divina sit, rationem ponit, cur non plures in Deo Filii esse possint sed unus tantum, qui solus a Patre ab aeterno generatur. »Solus verus unigenitus Patris est Filius« (I. n. 20, c. 130), »solus vere est ex Deo« (D. N. n. 19, c. 450), »solus ex Patre« (ibid.); »nam si omnino existimant, a Deo gigni Verbum, melius et religiosius est, Deum dicere unius Verbi Genitorem, quod et eius divinitatis plenitudo est, et in quo thesauri omnis cognitionis sunt absconditi« (Aeg. n. 16, c. 574). »Unde non multa sunt verba, sed solum unum unius Patris verbum, unaque unius Dei imago est« (A. II, n. 27, c. 203). »Verbum verum ac unicum ipse est« (A. I, n. 9, c. 27).

Et cur unus tantum Filius, unum tantum verbum? »Patris quidem unigenitus est Filius, quia solus ex ipso est« (A. II, n. 64, c. 283); et cur solus ex ipso est? »Num ergo Filii generatio humano more est intellegenda? Nequaquam; . aliter procreantur homines, aliter Filius ex Patre nascitur. Genimina enim hominum partes quodammodo sunt gignentium, quippe cum nec ipsa corporum natura simplex sit, sed fluxa atque ex partibus composita. Nam homines, gignendo, emittunt aliquid ex se, quaedamque rursus ex cibis, quos accipiunt, in eos defluunt; quae quidem causa est, cur multorum liberorum pro tempore parentes fiant. Deus autem indivisibilis est, et proin absque divisione nihilque patiendo, Filii est Pater; nihil enim ex re incorporea effluere, nihilve in eam, uti hominibus accidit, potest influere. Quocirca, cum Deus sit natura simplex, unius quoque ac solius Filii est Pater« (D. N. n. 10 s., c. 442 s.). Idem deinde ex natura verbi explicat: »Ipse est Verbum Patris, quem proinde ut Patrem nec quid pati, nec dividi posse intellegendum est; quippe cum ipsi etiam homines proprium verbum citra divisionem ac nihil patiendo producant, multo igitur magis Deus suum Verbum gignit absque ulla divisione nihilque omnino patiendo« (D. N. n. 11, c. 443) et ideo praecise unicum. »Etenim non multa sunt verba, ne singula imperfecta et egena

sint, sed unum est Verbum, tum ut ipsum solum sit perfectum, tum quia Deus unus cum sit, una quoque eius imago, quae ipsa Filius est; debet esse« (D. N. n. 17, c. 451).

Notatu dignum est, quod Athanasius, etsi secundam personam divinitatis diversissimis nominibus significare soleat, tamen cum praedilectione quadam eam vocare, non Filium, sed Verbum, non Filium Patris sed Verbum Patris, cum tamen correlativa sint non »Verbum« et »Pater«, sed aut Verbum et mens, aut Filius et Pater. Iam vero ratio huius rei non videtur esse mere aesthetica vel euphonetica, sed quia ex S. Athanasii mente per vocem »Verbum« simul naturae divinae simplicitas ac proinde Filii unicitas adsignificatur. Ceterum sive unicitatem eius ex ratione Filii, sive ex ratione Verbi, sive denique ex ratione Sapientiae, Imaginis, Manus vel Virtutis repetit, semper eam ex generatione Filii a Patre repetit, »nam unum est Dei genimen, et haec omnia generationis ex Patre sunt notificatoria« (D. N. n. 17, c. 451), »neque Filius pars est Patris, quapropter non est fetus ad generandum Filium« (S. IV, n. 6, c. 646), sicut nec ipse Pater alterius filii pater est.

*c)* Quodsi nunc accuratius quaeras, non cur in Deo praeter Patrem etiam Filius, isque unicus existat, sed cur hae duae personae etiam numerice eandem naturam divinam habeant, huic quaestioni S. Athanasius ex eodem principio respondet: quia Filii a Patre origo generatio quidem, at generatio divina, omnino spiritualis, quae simul per modum verbi sit, est. Cum enim Deus essentialiter simplex sit, generatio in divinis fieri nequit per separationem alicuius partis ex substantia generantis, quae pars a generante seiungatur et in novum individuum eiusdem naturae paulatim excrescat. Filius a Patre accipiens, non potest aliter quam totum id quod est ipse Pater, ab eo accipere, ita ut iam ipse idem illud et totum sit, quod est Pater. »Una est voluntas, quae ex Patre in Filio existit«, et quidem non moraliter, sed physice una: »Filius eadem voluntate qua eum vult Pater, Patrem ipse amat, vult et honorat« (A. III, n. 66, c. 465), »Filii divinitas, Patris est divinitas« (A. III, n. 35, c. 390), »una est divinitatis forma, quae eadem quoque est in Verbo« (A. III, n. 15, c. 354), »Divinitas et proprietas Patris est ipsum esse Filii« (A. III, n. 5, c. 331), »Omne esse Filii Patris essentiae proprium est« (A. III, n. 3, c. 327), »cum enim forma et divinitas Patris sit ipsum esse Filii«, ideo Christus dixit: Ego in Patre et Pater in me, »ut eandem amborum divinitatem unamque naturam esse doceret« (ibid.), »nam etsi ut genimen Filius est aliud, idem est ut Deus; et unum sunt ipse et Pater, tum proprietate et coniunctione naturae, tum identitate unius deitatis« (A. III, n. 4, c. 329 s.). Vi igitur generationis in Deo sunt Pater et Filius, vi generationis divinae est unus tantum Filius, eandem numerice cum Patre naturam habens.

20. Adhuc aliam quaestionem S. Athanasius sibi saepius proponit et solvit: Quomodo scilicet, quae quaestio est sane omnium gravissima, haec personarum in Deo pluralitas possibilis sit, quin inde unitas Dei destruatur. Unum enim Deum esse, non obstante

personarum pluralitate, cum iam saepius dicentem audivimus; audiamus iam et explicantem. Duo sanctus perpetuo indicat, per quae unitas Dei salvetur, quorum neutrum sine altero sufficiat; primum est naturae divinae numerica unitas, alterum est personarum divinarum inter se coniunctio. »Qui Deum unum audit, Patrem et Filium duos credat esse, sed unum divinitate et quatenus ex Patre natum Verbum, ab ipso Patre nec separari nec dividi nec seiungi potest« (A. IV. n. 10 c. 479). »Et Filii divinitas Patris est, unde et inseparabilis est, et sic unus Deus et non est alius praeter ipsum« (A. III. n. 4 c. 330). »Divinitas et proprietas Patris est ipsum esse Filii« (A. II. n. 5 c. 331). »Omnia Pater Filio dedit, et rursus idem Pater omnia in Filio habet; Filio item habente, eadem quoque Pater habet, siquidem Filii divinitas Patris est divinitas« (A. III. n. 35 c. 390).

21. In his specialem considerationem meretur illa ab Athanasio adeo inculcata personarum divinarum inter se conexio. Iam utrumque Dionysium, Alexandrinum et Romanum, et cum ipsis S. Athanasium in hac doctrina vehementer insistentes vidimus, tamquam omnino necessaria ad salvandam in Deo monarchiam, i. e. rationem unius tantum omnium rerum principii. Redit ad hanc doctrinam Athanasius maxime in libro tertio contra Arianos: »Una est divinitatis forma, quae eadem quoque est in Verbo. Unus inquam est Deus Pater in seipso existens, cum in omnibus sit; in Filio autem apparens, cum res omnes pervadat; itemque in Spiritu, cum in omnibus per Verbum in Spiritu agat. Sic enim unum per Trinitatem Deum esse confitemur« (N. 15 c. 354). Scilicet sicut persona divina in ratione deitatis per eandem naturam divinam constituitur, per quam et alia in eadem ratione constituitur, sic tum Pater tum Filius unusquisque suum characterem personalem proprium habet, per quem in ratione Patris vel Filii constituitur. Hoc per se patet, cum sine distinctivo aliquo personarum nulla possit esse harum personarum ab invicem distinctio.

Idem inculcat S. Athanasius, simul docens, in quo characteres illi, personarum distinctivi, siti sint: esse scilicet in eo ipso, quod uniuscuiusque nomen indicat, ex quo fit ut nomina Patris et Filii in divinis multo profundiorem significationem habeant, quam in humanis, cum hic non significent aliquid personalitati uniuscuiusque superadditum vel ab ea divisibile, sed potius id, quod personam ut talem necessario primo constituit et ab alia distinguit: »Unumquodque eorum quae indicantur, habet propriam significationem« (S. IV. n. 3 c. 642); »nec enim Pater Verbum est, aut Verbum Pater est, sed ille Pater, hic Filius est, ille gignit, hic gignitur« (A. IV. n. 21 c. 506). »Pater Pater est et non idem Filius, et Filius Filius est et non idem Pater« (A. III. n. 4 c. 327). »Pater Pater est, nec alicuius fuit Filius, Filius autem Filius est, non frater« (A. I. n. 14 c. 42). »Sicut Patris patrem dicere non possumus, ita nec Filii fratrem. Namque Patris... Deus alius nullus fuit, nec ullus similiter alius est Filius, unigenitus enim est. Proinde et solus et unus Pater solius et

unius Filii est Pater« (S. I. n. 16 c. 567). »Apud homines pater non semper pater est, neque filius semper filius; et filius, cum sit patris filius, pater alterius efficitur« (S. IV. n. 6 c. 646). »Hinc in illis non est proprie pater vel proprie filius, nec stabilis et constans est patris et filii condicio; idem quippe et filius et pater fit, filius inquam genitoris, pater autem eius qui ex ipso gignitur. Verum in divinitate non ita res se habet; nec enim hominum similis est Deus; nec Pater ex Patre est, unde nec gignit patrem gigniturum; nec Filius est ex effluvio Patris, nec ex genito patre genitus est, ideoque nec gignitur ut gignat. Hinc in sola divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie filius est, atque in his solis est constans firmaque patris et filii condicio, ita ut Pater semper sit pater, et Filius semper sit filius« (A. 1. n. 21 c. 55). »In sola divinitate Pater proprie est pater, et Filius proprie est filius; qui pater semper fuit pater et Filius pariter semper fuit filius. Quemadmodum item Pater nunquam futurus est filius, sic Filius nunquam futurus est pater. Et ut Pater nunquam desinit solus esse pater, ita Filius numquam desinit solus esse filius« (S. I. n. 16 c. 570). Nam »quae sunt supra creatas res, aeternam habent perseverantiam; nec aliter sunt quam ut Pater est pater et non avus, et Filius est Dei Filius et non Spiritus Sanctus« (S. IV. n. 4 c. 643).

Quibus profecto pulcherrimis verbis nihil clarius dici potest, quo doceatur Patrem et Filium, quemadmodum per unam numerice divinitatem tamquam Deus constituuntur, ita unumquemque, per speciale quid, ipso nomine Patris et Filii significatum, secundum characterem cuiusque personalem tamquam Patrem et Filium constitui: »Quia ergo unum illi sunt, unaque ipsa est divinitas, idcirco eadem de Filio quae de Patre dicuntur excepto Patris nomine« (A. III. n. 4 c. 330).

22. Iam vero nomina Patris et Filii essentialiter relativa sunt, et quidem correlativa ad invicem, et ideo idem de re dicendum est, quae per talia nomina significatur. Atque hoc ad unitatem Dei salvandam et aliquo modo intellegendam omnino necessarium et essentiale est. Et haec est ratio, cur patres Nicaeni adversus Arium non solum negent »Filium esse alterius essentiae vel substantiae«, verum etiam explicite asserant: »Verbum aeternaliter cum Patre esse« (D. N. n. 27 c. 183). Si Filius dicit, non posse se a seipso facere quidquam, sed, sicut audiat, ita iudicare, »non igitur ista commemorabat, quasi ea aliquando non habuerit, sed quod Filius, qui ea quae habet, semper habet, ipsa a Patre habet« (A. III. n. 35 c. 390). Quare si per impossibile supponamus, Filium vere naturae divinae esse, ideoque semper extitisse, attamen naturam suam non a Patre habere, iam Trinitas destruitur: »Si Christus semper exstitit, deindeque cum iam existeret, cum Patre esset copulatus«, »et est Deus: duo igitur erunt principia, nec ille Patris proprius erit, et merito quidem, utpote qui non ipsius Patris sed suiipsius sit«; quare »unum iidem sunt, quia Filius non extrinsecus, sed ex Deo est genitus« (A. IV. n. 3 c. 471). »Cum enim Verbum unius Dei sit Filius, ad illum cuius est refertur, ita ut duo quidem sint Pater et Filius, unitas vero divinitatis individua sit nulloque modo separabilis« (A. IV. n. 1 c. 467). Et sic, atque sic solum,

salvatur in Deo illa monarchia, de qua iam Dionysius uterque, Romanus et Alexandrinus, tam graviter loquuntur, i. e. veritas illa fundamentalis, de unicitate primi omnium rerum principii, μόνη ἀρχή, seu primae causae, quae cum sit ipsa sola incausata, ἄναρχος, est omnium aliarum rerum per modum causae principium.

Quae unicitas destrueretur quidem, si plures personae divinae ab invicem non originatae existerent, cum tunc unaquaeque pro se sola esset simpliciter principium, existerentque eo ipso etiam duo vel plura principia, δυαρχία, πολυαρχία; non autem destruitur, si una persona ab altera originatur. Tunc enim secunda persona est quidem, sicut prima, in comparatione cum rebus creatis, ἄναρχος et συνάναρχος, »quemadmodum Pater primus est, ita et ipse (Filius) primus est« (D. U. n. 32 c. 187); quia vero solum ideo Filius primus est, »quatenus nimirum imago primi est, et in eo est primum ipseque a Patre genitus est«, (ibid.) et quia »etsi Verbum non in alio principio habet ut sit«, attamen »in Patre, qui principii est expers, ut ipse quoque Filius sine principio existat«, at »in Patre, a quo genitus est et non creatus« (A. II. n. 58 c. 270), ideo fit, ut »indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatemus«, quidem, at »Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in unitatem contrahamus« (S. D. n. 17 c. 503), ut »divinam Trinitatem in unum quasi in quendam verticem, Deum universorum omnipotentem dico, reducamus et colligamus«, »ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiae praedicatio integra servabitur« (S. D., D. N. n. 26 c. 466). »Ac proinde dicendum est, unum esse divinitatis principium, non duo principia, unde proprie et monarchia est; ex ipso autem principio Verbum, Filius natura, existit, non ut aliud principium per seipsum subsistens, καθ' ἑαυτοῦ ὑφεστώς, neque aliunde quam ex ipso uno principio natus, ne dyarchiam et polyarchiam, i. e. duo vel plura principia diversitas inducat, sed unius principii proprius est Filius, propria Sapientia propriumque Verbum ex ipso existens«; »unum est principium, et proinde unus est Deus« (A. IV. n. 1 c. 467).

23. Atque haec perfecta personarum divinarum u n i t a s, ex duplici radice, naturae scilicet numerica unitate et characterum personalium ad invicem conexione proveniens, illud est, quod S. Athanasius perpetuis illis c o m p a r a t i o n i b u s Patris et Filii cum sole et eius splendore, cum fonte et fluvio, cum planta et fructu, aliisque exprimere vult; haec eadem unitas est vera et ultima r a t i o i n s e p a r a b i l i t a t i s Filii a Patre, ideoque eius contra Arianos totiens assertae a e t e r n a e e x i s t e n t i a e. »Unum esse Dei Verbum, ipsumque solum proprium et genuinum ex·eiusdem natura ortum Filium esse atque individuam divinitatis cum Patre suo unitatem habere« (A. II. n. 41 c. 234) credendum est. »Filius ex Patre tamquam ex fonte vita« (A. III. n. 1 c. 323). »Nam Dei Filius, ut ex ipsa Scriptura discimus, ipse est Dei Verbum et Sapientia et Imago, et Manus, et Virtus; unum est enim Dei genimen, et haec (diversa nomina) generationem ex Patre significant« (D. N. n. 17 c. 451), »et huius Sapientiae fontem esse Deum ex Baruch didicimus« (D. N. n. 15 c. 450), ut ait Dionysius Alexandrinus: »Vita ex Vita nata est, et sicut fluvius a fonte effluxit et a luce inexstin-

guibili splendens lux exorta est« (S. D. n. 18 c. 507), qui idem consubstantialitatem clare indicat, dicendo: »Verbum esse sicut fluvium ex fonte et radice, et filium ex parente et lumen ex lumine et vitam ex vita« (S. D. n. 19 c. 507).

Patres Nicaeni, cum Arianos omnia in suum sensum detorquere viderent, »intellecta eorum fraude, ex Scripturis has collegere voces, splendorem, fontem, fluvium, et figuram substantiae; illud item: In lumine tuo videbimus lumen, et illud: Ego et Pater unum sumus. Demum lucidius et compendiose scripserunt: Consubstantialem Patri esse Filium, nam supradicta omnia hanc habent significationem« (Afr. n. 6 c. 1039). »In Patris vocabulo Filius adscriptus est« (S. D. n. 20 c 510), ut quod non ad creatum quid referatur, sed ad id quod est ex ipso genitum; et similiter in Filii vocabulo Pater, »si enim eum Filium nominas, id quod illius (i. e. Patris) natura est ostendisti; si Verbum in animo habeas, cogitas iterum quod ex illo est et ab illo inseparabile; et Sapientiam dicens, nihilominus non ab extra aliquid, sed ex ipso et in ipso existens iterum cogitas; et si virtutem vel manum nominas, proprium iterum substantiae dicis, et imaginem dicens, Filium significas; quid enim simile possit esse Deo, quam quod ex ipso generatum est? (D. N. n. 17 c. 451). »Unum ipse et Pater, semperque Verbum in Patre et Pater in Verbo, eo modo, quo splendor se habet ad lucem« (D. N. n. 20 c. 451). »Quia aeternus est Pater, aeternus est Filius, illique coexistit, quemadmodum splendor luci« (S. D. n. 16 c. 503).

Quare si Pater existit, Filius existit, et si Filius existit, Pater existit: »Necesse quippe est, iam denuo colligere, cum Verbum existat, et Verbi Patrem esse oportere, Sapientia cum sit, eius Parentem esse, et Splendor cum sit, esse quoque Lucem atque ita Patrem et Filium unum esse« (S. D. n. 26 c. 519). Et vice versa: »Si fons, si lux, si Pater est Deus, nefas certe dictu, vel fontem esse aridum, vel lucem sine splendore, vel Deum sine Verbo vel ratione esse« (S. II. n. 2 c. 610). »Dictum est superius, Deum esse fontem omnium bonorum, Filius vero dictus est fluvius ab ipso emanans; Verbum quique est mentis emanatio, et, ut humano more loquamur, ex corde per os emittitur. Mens vero, quae per linguam prosilit, diversa est a verbo quod in corde existit; istud enim, postquam illud emiserit, remanet et est quale ante erat; illud vero, emissum, evolat, et circumquaque fertur, et sic est utrumque in altero, tametsi diversum est ab altero, et unum sunt, licet duo sint. Sic namque Pater et Filius unum sunt, et in se invicem illos esse comprobatum est. In secundo autem libro haec habet: Ut enim mens nostra eructat a seipsa verbum, estque utrumque alterum ab altero, proprium atque ab altero distinctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, istud in lingua et ore commoretur et moveatur, non tamen alterum ab altero distat, nec se invicem privantur, neque mens sine verbo est neque verbum sine mente; sed mens verbum facit, et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet, in qua factum est, mensque est quasi verbum immanens, verbum autem quasi mens prosiliens; mens in verbum transit, et verbum mentem in circumstantes auditores insinuat et sic mens

per verbum in auditorum animis collocatur et una cum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi pater verbi, in seipsa existens, verbum autem quasi mentis filius, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit et ab ipsa germinavit. Eodem quoque modo Pater ille maximus et mens illa universalis ante omnia Filium habet, Verbum, Interpretem et Angelum suum« (S. D. n. 23 c. 514).

Et quia nec Pater potest esse sine Filio nec Filius sine Patre, impossibile est, Filium aliquando non fuisse, sed necessario semper fuit, ipsi Patri coaeternus. »Quomodo omnia quae Patris sunt, Filii quoque essent, nisi Filius immutabilitatem haberet?« (A. I. n. 52, c. 119). »Cum enim semper sit Pater, semper quoque esse oportet, quod eius naturae est proprium, quod idem et Verbum et Sapientia eius est« (A. I. n. 29 c. 71). »Filius Dei fetus est, qui, utpote proprius Dei semper existentis Filius, ab aeternitate et ipse existit« (A. I. n. 14 c. 42). Hoc idem per allatas iam similitudines exprimitur. Ut enim Origenes iam dixit: »Quando Deus non habuit splendorem propriae gloriae?« (D. N. n. 27 c. 466). »Quis enim non novit, splendorem a luce non esse separabilem, sed cum illa tamquam ipsius propriam natura simul existere?« (Aeg. n. 13 c. 224). »Quando enim aliquis lucem vidit absque splendoris fulgore, ut de Filio auderet dicere: Fuit aliquando cum non esset?« (A. I. n. 12 c. 38). »Quis unquam lucem absque splendore vidit? Vel quis characterem substantiae audebit alienum eius dicere?« (A. II. n. 32 c. 215). Quod Dei proprium est, illud tamquam ἀλλοτριούσιον concipi nequit, et Deus nequit esse sine ipso: »Si existente luce, imago eius existit splendor, si item substantia existente, eiusdem existit integra figura, χαρακτήρ, si denique existente Patre existit veritas, videant qui divinitatis imaginem tempore metiuntur, in quantam incidant impietatem« (A I. n. 20 c. 54). »Quis etiam tantum cogitare potest non esse aliquando splendorem, ut etiam dicere audeat, non esse semper Filium, vel non fuisse Filium priusquam nasceretur? Vel quis possit separare a sole splendorem, vel fontem cogitare vita vacuum ut etiam, insaniens, dicat: ex non exstantibus esse Filium, qui dicit: Ego sum vita; vel extraneum, ἀλλότριος, esse a Patris substantia, cum ipse dicat: Qui videt me, videt et Patrem meum« (D. N. n. 12 c. 446). »Si Sapientiae et Vitae fons dicitur Deus, consentaneum valde fuerit, Vitam et Sapientiam non quid alienum esse ab essentia fontis, sed propria Atqui haec omnia est ipse Filius Annon igitur impius habendus ille est, qui ait: Fuit aliquando cum non esset? Namque idem est, ac si diceretur: Fuit aliquando cum fons esset aridus, sine vita et sapientia. Atqui si huiusmodi esset, fons certe non esset; nam quod non ex seipso gignit, fons utique non est« (A. I. n. 19 c. 50). Fons »non ex seipso gignens sapientiam, sed eam extrinsecus acquirens«, »non fons esset, sed lacus aliquis, ab extrinsecus aquam accipiens, illegitime fons vocatus« (D. N. n. 15 c. 450).

24. Atque haec omnia patres Nicaeni, ut supra ex ore S. Athanasii audivimus, aptissime vocabulo illo expressum existimabant: Filius est consubstantialis Patri, ὁμοούσιος τῷ Πατρί. In usu

huius vocabuli S. Dionysium Alexandrinum secuti sunt, qui scribit: »Etsi hanc vocem in Scripturis non inveni, attamen earundem Scripturarum mentem colligens, agnovi, ipsum, cum Filius et Verbum sit, non posse esse a Patris substantia alienum« (S. D. n. 20 c. 510). Quare usi sunt quidem patres Nicaeni »verbis novis«, ut Ariani ipsis obiciebant, »at non impiis, sed potius ad illorum impietatem evertendam aptissime positis« (A. I. n. 30 c. 74). »Quid igitur illi eos, qui recte ac pie sentiunt, vocibus non scriptis uti accusant, cum ipsi voces non scriptas ad confirmandam impietatem fingere non sint veriti? Sane nemini prorsus licet esse impio, etiam si variis verbis speciosisque sophismatibus impietatem suam quis tentet obtegere: at nemo non fateatur rem sanctam et iustam esse, pietatem colere, licet novis ac peregrinis vocibus quis utatur, dummodo is qui loquitur pie sentiat et per illas voces id, quod ipse cogitaverit, ipse velit significare«. Quae omnia etiam responsa ab ipso S. Athanasio iis data esse, qui postea additum in symbolo ‚Filioque' criminati sunt, per transennam notasse satis sit.

### B) *Doctrina S. Athanasii de relatione inter Filium et Spiritum Sanctum.*

25. Iam usus inspiciendus est, quem S. Athanasius de doctrina hucusque tradita, in ordine ad processionem Spiritus Sancti faciat, ut inde appareat, etsi plene efficacia sint argumenta singularia, quibus ostenditur eum doctrinam de processione Spiritus Sancti etiam ex Filio praedicare, tamen argumentum argumentorum esse totum corpus doctrinae sancti Athanasii et principia eius theologica maxime fundamentalia.

26. Relate ad Spiritum Sanctum doctrina fundamentalis S. Athanasii est, Spiritum Sanctum eandem habere relationem ad Filium, quam habeat ipse Filius ad Patrem. Inde ex eo tempore, quo primum haeresis Macedonii, divinitatem Spiritus Sancti negantis, latius serpere coepit, S. Athanasius nullum scripsit librum, in quo hoc principium non hac vel illa forma inculcet. Praeluserat huic doctrinae iam in oratione prima contra Arianos: »Quomodo enim vera de Patre quis proferet, qui Filium, a quo Patris cognitio omnis impertitur, audet negare? Vel quomodo recte de Spiritu Sancto ille opinabitur, qui de Filio, a quo ipse datur, impie non veretur loqui?« (n. 9 c. 27). Cum vero amicus eius Serapion, Thmuidis in Aegypto episcopus, ei scripsisset, esse iam aliquos, qui divinitatem quidem Filii confiteri non abnuerent, Spiritum Sanctum vero mere administratorium Spiritum, unum ex multis, creatum, dicerent, haec Athanasius statim rescripsit: »Ut illi Filium negantes, negant et Patrem› ita et isti, indigne de Spiritu Sancto loquentes, indigne quoque de Filio loquantur necesse est«. »Si enim propter Verbi cum Patre unitatem, nolunt Filium esse e rebus factis, quare Spiritum Sanctum qui eandem cum Filio habet unitatem, quam Filius cum Patre, rem creatam audent dicere? Cur ignorant, quod, quemadmodum Filium a Patre non dividendo, Dei unitatem servant, ita di-

videndo Spiritum a Verbo, non amplius unam in Trinitate servant deitatem, quam nempe diffindunt et cui alienam atque diversam naturam admiscent, quam denique inter res creatas collocant«. »Itaque si male de Spiritu Sancto sentiunt, bene de Filio sentire non possunt. Nam si recte de Verbo sentirent, recte quoque de Spiritu Sancto, qui a Patre procedit, qui, cum sit Filii, ab illo discipulis omnibusque in eum credentibus datur. Quin etiam qui in huiusmodi errore versantur, neque in Patrem sanam fidem habere possunt. Nam qui Spiritui resistunt, . . iidem et Filium negant, Filium autem negantes, neque Patrem profecto habuerint« (S. I. n. 1, 2 c. 530—534) »Cum igitur eundem ordinem et naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, qua quaeso ratione is qui Spiritum Sanctum rem creatam dicit, non idem necessario de Filio sentiet? Nam si Filii Spiritus res est creata, consequens est, ut et Verbum Patris rem creatam esse dicamus‹ (S. I. n. 20 c. 579). Atque in tertia ad eundem Serapionem epistula, seu rectius, in epistulae secundae parte secunda, postquam in prima parte epistulae doctrinam de Christo in compendium redegit, sic ait: »Admirabere forsitan, quare, cum iussus sim epistulam de Sancto Spiritu in compendium redigere, . me videas, his supersedentem, contra eos scribere, qui de Filio Dei impie sentiunt, dicuntque esse creaturam. At perspectum est mihi, te nequaquam reprehensurum, ubi causam didiceris, immo potius rem probatam fore pietati tuae, cum viderit, quam consentanea ratione ductus sim. Enimvero, quia, ut ait ipse Dominus, Paracletus non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, quia item, cum insufflasset, ex seipso dedit illum discipulis, eoque pacto Pater eum effudit super omnem carnem, sicut scriptum est: idcirco iure merito ante a me de Filio Dei actum scriptumque est, ut ex cognitione Filii valeamus et Spiritus Sancti rectam assequi notitiam. Qualem enim scimus esse proprietatem Filii ad Patrem, eandem Filium ad Spiritum Sanctum habere comperimus« (S. III. n. 1 c. 623—626). Et in libro de Trinitate et Spiritu Sancto laconice ait: »His qui Filium Dei creatum esse profitentur, nequaquam de Spiritu Sancto dabimus responsum« (n. 1 c. 1191).

27. Iam vero id quod sic brevi posito principio enuntiat, in hunc modum ipse ulterius explicat atque evolvit. Nihil est tam familiare Athanasio, quam quod Filius sit in Patre (A. III. n. 3 c. 327; n. 6 c. 339). Secundum librum de Incarnatione contra Arianos »Filius non est alter Deus, sed Verbum nominat solius Dei, quod Deus in Patre dicitur, ut et Pater Deus in Filio vocatur« (n. 19 c. 1018). Iam vero »item Spiritus Sanctus, qui Dei dicitur et in ipso est, non alienus est a Filii natura nec a Patris divinitate« (S. IV. n. 3 c. 642). Spiritus Sanctus non est extra Filium« (ibid. n. 4) et clarius: »Sicut Filius in Patre et Pater in Filio, ita in Spiritu Sancto Filius et ipse in Filio« (S. III. n. 3 c. 630) »Quemadmodum Filius in Spiritu tamquam in propria imagine est, ita et Pater in Filio« (S. I. n. 20 c. 578). »Ut Filius qui in Patre est, in quo

etiam Pater est, non est res creata, sed Patris substantiae proprius est, ita et Spiritum Sanctum qui in Filio est et in quo Filius est, inter res creatas collocare aut a Verbo dividere nefas omnino fuerit« (S. I. n. 20 c. 579).

Insignis est locus in epistula prima ad Serapionem, in qua Sanctus parallelam inter Patrem et Filium ex una parte et Filium et Spiritum Sanctum ex altera parte per singula explicat; «Quemadmodum unigenitus est Filius, sic et Spiritus qui a Filio datur et mittitur, unus item est non multi; non ex multis unus, sed solus ipse Spiritus est. Quia enim unus est Filius, qui est et vivens Verbum, unam quoque necesse est esse perfectam et plenam, sanctificantem et illuminantem, viventem eius efficaciam et donum, quod ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo quod ex Patre esse conceditur, effulget et ab eodem mittitur et datur. Filium quidem a Patre mitti verissimum est, sic etiam Filius Spiritum mittit; Filius similiter Patrem honorat, Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dixit: Ille me clarificabit; Filius praeterea dicit: Quae audivi a Patre, haec loquor in mundo, Spiritus autem ex Filio quoque accipit: De meo, inquit accipiet et annuntiabit vobis. Rursus Filius in nomine Patris venit, ita etiam Spiritus sanctus, inquit Filius, quem mittet Pater in nomine meo« (S. I. n. 20 c. 579). »Cum igitur eundem ordinem et naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, qua quaeso ratione is, qui Spiritum Sanctum rem creatam dicit, non idem necessario de Filio sentiat? Nam si Filii Spiritus res creata, consequens est, ut et Verbum Patris rem creatam esse dicamus Nam ut Filius qui in Patre est, in quo etiam Pater est, non est res creata, sed Patris substantiae proprius est, ita et Spiritum Sanctum qui in Filio est, et in quo Filius est, inter res creatas collocare aut a Verbo dividere atque ita Trinitatem imperfectam reddere, nefas omnino est« (S. I. n. 21).

28. Supra iam vidimus, nomina diversa, quae diversis ss. Trinitatis personis tribuuntur, nullo modo mera et vacua esse nomina, sed potius exhibere realem relationem inter illas personas existentem. Sic postquam exposuerat, Filium esse Dei Verbum, et Sapientiam et Imaginem et Manum et Virtutem, addit: »Unum enim est Dei genimen, et illa eius ex Patre generationis notificatoria sunt« (D. N. n. 17 c. 451). Quare nemo mirabitur, si Athanasium has similitudines ita dilatantem videat, ut isdem iam etiam Spiritus Sancti Ad Filium et ad Patrem relatio exhibeatur et illustretur. »Quemadmodum Pater solus est sapiens, sic eius Filius est Sapientia« (S. I. n. 19 c. 574). »Ut Filius est Sapientia et Veritas, sic etiam scriptum est: Spiritum esse Spiritum Sapientiae et Veritatis« (S. I. n. 25 c. 590; n. 19 c. 574). Spiritus Sanctus est »sensus Christi«, i. e. cogitatio Sapientiae (Frin n. 20 c. 1216). »Filius est Virtus Dei et Dominus gloriae; similiter Spiritus dicitur Spiritus Virtutis et gloriae« (S. I. n. 25 c. 590). Sicut Filius est virtus Patris, ita Spiritus »est efficacia Verbi« (S. I. n. 20 c. 579). Filius est »Manus Patris« (D. N. n. 17 c. 451), Spiritus Sanctus est »Digitus Dei« (Frin n. 20 c. 1216). Pater est lux, »ubi autem lux est, ibi et Splendor quo-

que est; ubi item Splendor est, ibi similiter eius Efficacia et splendida est gratia. Gratia enim et donum quod in Trinitate datur, datur a Patre per Filium in Spiritu Sancto. Nam quemadmodum a Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio, nisi in Spiritu Sancto. Huius siquidem participes effecti, Patris characterem, Filii gratiam et ipsius Spiritus Sancti communicationem habemus« (S. I. n. 30 c. 599). Pater est Deus, Filius est vultus eius, Spiritus Sanctus est »Lumen vultus Dei« (Frin n. 20 c. 1216). Apud Patrem est Filius tamquam fons, Spiritus Sanctus est aqua ex hoc fonte manans, »cum Spiritum bibimus, una Christum bibimus« (S. I. n. 19 c. 574). »Est Filius fons existens Spiritus«, »Fontem Spiritus et Filium Dei dicimus .., aqua viva Spiritus Sanctus est Ergo manifeste Scripturis sanctis profitentibus, aquam vivam Spiritum Sanctum esse cognovimus« (Frin n. 19 c. 1213).

29. Immo et **eadem** nomina, quibus Filii relationem ad Patrem expressit, ad relationem Spiritus Sancti ad Filium exprimendam adhibet. Filius »Imago Patris est« (I. n. 13 c. 119); »Spiritus est Verbi Dei **Imago**« (S. I. n. 26 c. 591). »Addam Spiritum Imaginem Filii et dici et esse. Qualis fuerit imago, talem fuisse necesse est eum, cuius imago est. Unde sicut iure merito atque convenienter Verbum res creata esse negatur, quia est imago Patris, ita qui Spiritum inter res creatas collocare non dubitaverit, non potest quin Filium cum iisdem annumeret« (S. I. n. 24 c. 587). Filius Dei est Sapientia Patris, »et huius Sapientiae **fontem** Deum esse ex Baruch didicimus« (D. N. n. 15 c. 450). »Ipse ex Patre existit tamquam ex fonte vita« (A. III. n. 1 c. 323); iam vero, sicut paulo ante vidimus, etiam Filius ex parte sua est fons Spiritus Sancti: »Fontem Spiritus instruimur esse Filium« (Frin n. 19 c. 1213). »Sic et David canit in psalmo XXXV dicens ad Dominum: Quia apud te est fons vitae. Igitur praeter Dominum ostendit alium fontem vitae, qui apud ipsum sit; non enim dixit: quoniam tu es fons vitae, sed: quia apud te est fons vitae; est vero apud Deum, et est Filius fons existens Spiritus« (Frin n. 10 c. 1213). Et in eodem textu Filio et Spiritui Sancto eandem proprietatem tribuit, at Spiritui cum dependentia a Filio: »Filium Dei **lumen** Dei esse sciens« psalmista dicit »in lumine tuo videbimus lumen; i. e. in Filio tuo videbimus Spiritum Sanctum« (Frin n. 18 c. 1211).

30. Propter haec omnia S. Athanasius, sicut **Filium** »**Patris** esse«, »Patris **proprium** esse« totiens inculcat, ita etiam **Spiritum Sanctum** »**Filii** esse«, »**Filii proprium** esse«, et »**proprium Filii Spiritum** esse« aperte dicit. Et Filius quidem non est »ipse« Pater, sed »ipsius« (A. I. n. 11 c. 35), est »Verbum Patris« (In. 7 c. 110), »Filius verus natura et genuinus Patris« (A. 1 n. 7 c. 111); Spiritus Sanctus vero est »Spiritus Christi« (S. I. n. 9 c. 551). »Spiritus Filii« (S. I. n. 1 c. 53), »Spiritus Verbi« (D. N. n. 31 c. 474), est »Filii proprius« (S. I. n. 2 c. 334), »Verbi proprius« (S. I. n. 27 c. 594). Simul autem eum Spiritum Dei et Spiritum Patris nominat: »Dei item est proprius« (S. IV. n. 3 c. 642); Spiritus Sanctus est »substantiae illius qui solus bonus est« (I. n. 16 c. 1011). Maxime vero insignis est locus

in epistula prima ad Serapionem, in quo contra eos, qui quocumque arrepto Scripturae textu, in quo de aliquo spiritu sermo est, inde statim inferunt, Spiritum Sanctum ibi nominari, eumque esse creaturam: »Dicite an in aliquo Scripturae loco Spiritum Sanctum simpliciter ,spiritum' dici reperiatis, sine addita voce vel ,Dei' vel ,Patris' vel ,mei' vel ipsius ,Christi' et ,Filii', vel ,a me' quod est a Deo, vel nisi cum articulo, ita ut non simpliciter πνεῦμα dicatur sed τὸ Πνεῦμα vel τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, vel, Paracletus vel Veritatis, i. e. Filii, dicentis: Ego sum Veritas, ut vos, nuda voce, ,spiritus' audita, Sanctum Spiritum esse suspicaremini«. Exceptionem fieri solum tunc, cum Spiritus Sanctus ante iam nominatus sit, vel cum de iis sermo sit, qui eum iam habeant, sed neque tunc poni sine articulo: »Denique sine articulo vel praedicto additamento nunquam Spiritum Sanctum significari invenietis« (S. I. n. 4 c. 535, 538; n. 5 c. 539; n. 6 c. 542).

31. Hinc iam oritur quaestio, cur Spiritus Sanctus Spiritus Filii, Spiritus proprius Filii, Spiritus Patris et Spiritus Dei nominetur.

*a)* Non enim sunt mera nomina, sed »unumquodque eorum quae indicantur, habet propriam significationem. Etenim Filius substantiae ac naturae Patris propria est proles, et hoc revera significat; item Spiritus, qui Dei dicitur et in ipso est, non alienus est a Filii natura nec a Patris divinitate: Ideo enim in Trinitate, scilicet in Patre et in Filio et in ipso Spiritu Sancto una est divinitas« (S. IV. n. 3 c. 642). Nam »quae sunt supra creatas res, aeternam habent perseverantiam; nec aliter sunt, quam ut Pater est Pater et non avus, et Filius est Dei Filius et non Spiritus Sanctus, et Spiritus Sanctus est Spiritus Sanctus et non Patris nepos nec Filii frater« (S. IV. n. 4 c. 643). Et ipse etiam ordo inter tres personas divinas immutabilis est, et »cum discipuli audissent: baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, non curiose inquirebant, cur secundo Filius et tertio Spiritus aut cur omnino Trinitas, sed prout audierunt, sic crediderunt... Neque immutandi erant (Pater et Filius), secus quam ordine iuncti fuerant, ut neque Pater« (S. IV. n. 5 c. 643). A parte rei igitur, et non tantum secundum aliquem modum considerandi, tres personae ss. Trinitatis se ita excipiunt, ut primus sit Pater, secundus Filius, tertius Spiritus Sanctus, atque vera ratio, cur hoc sese ordine excipiant, est, quia sicut Filius est Patris Filius, proinde Patre suo ordine posterior, ita Spiritus Sanctus est Dei Spiritus, Patris et Filii Spiritus, sicut Filius est proprius Patris, ita Spiritus Sanctus proprius Dei, proprius Patris et Filii, ideoque tum Patre tum Filio ordine posterior.

*b)* Iam igitur inquirendum est, quidnam S. Athanasius accurate significare intendat, cum dicit: Spiritum Sanctum esse »Spiritum Filii«, »Spiritum proprium Filii«. Vox proprius, etsi multa eademque valde diversa significare possit, tamen unicam tantum habet fundamentalem et essentialem significationem, et variae illae adsignificationes referuntur ad aliqua, quae cum significatione illa fundamentali aliquo modo conexa sunt vel eam intrinsecus modificant. »Proprium« semper duo dicit, quacumque demum ratione distincta, sive ratione tantum, sive realiter, sive adaequate sive inadaequate, et quidem ita,

ut talia duo relationem statuantur habere ad invicem. Et per se quidem nihil obstat, quominus utrumque dicatur «proprium« alterius. Sic dicit S. Athanasius in oratione secunda contra Arianos: »Pater proprius est Filii, nec aliquid creatum, sed Filius est quoque Patris proprius«. Attamen plerumque inter illa duo quorum unum alterius proprium dicitur, unum quasi nobilius considerari solet, et aliud dicitur huius proprium non autem vice versa; sic probante Athanasio, loquitur Origenes de »Patris propria gloria« et Athanasius ipse immutabilitatem et aeternitatem dicit esse »propria substantiae Patris«, i. e. gloria est propria Patris et immutabilitas est propria substantiae Patris, non autem Pater est »proprius gloriae«, nec »substantia Patris propria immutabilitatis«. »Proprium autem non relationem qualemcumque unius ad alterum exprimit, sed relationem specialem, ita tamen, ut »proprius« ex se solo nondum indicet, qualis illa relatio pertineat.

Saepissime eandem vim ac pronomen possessivum habet, neque aliud indicat, quam talem rem cum tali persona vel cum tali altera re esse de facto coniunctam, ab ipsa de facto possideri; hic est sensus cum de domo propria, de veste propria, de pecunia propria, et similibus rebus loquimur. Verum non raro »proprius« nobiliorem quandam coniunctionem et profundius radicatam relationem unius ad alterum significat; i. e. non raro significat duo quorum unum non tantum de facto, sed necessario, ex ipsa essentia sua metaphysica et physica coniuncta est cum altera, ita ut neque cogitari neque esse possit, nisi consequenter ad alteram et dependenter ad alteram. Hoc sensu dicimus actus omnes voluntatis esse voluntatis »proprios« et actus intellectus esse actus eius »proprios;« actus enim voluntatis neque esse neque cogitari potest nisi dependenter ab aliqua voluntate a qua eliciatur, et idem de actu intellectus dicendum est. Ubi notandum est, eo ipso, quod actus aliquis est proprius alicuius voluntatis, eundem simul proprium esse personae, quae illam voluntatem habeat, et simul proprium esse voluntatis huius personae. Et cum persona omnis multa habeat, quae ipsi propria sunt, ut ratio et natura proprietatis in singulis casibus accuratius determinetur, merito attenditur, utrum id quod ipsius proprium est, sit proprium muneris seu officii eius, proprium intellectus vel voluntatis eius, an proprium substantiae eius.

*c)* Iam vero secundum S. Athanasium non solum Filius est proprius Patris, et Spiritus Sanctus proprius Dei, Patris et Filii, verum etiam dicitur et est tum Filius substantiae Patris proprius, tum Spiritus Sanctus substantiae Filii et Patris proprius. Unigenitus Filius »est proprius essentiae Patris« (A. I. n. 19 c. 50). »Filius cum non sit opus, sed naturae Patris sit proprius, semper idem est. Cum enim semper sit Pater, semper quoque esse oportet, quod eius essentiae est proprium, quod idem et Verbum et Sapientia eius est« (A. I. n. 29 c. 71). Filius est »id quod proprium est substantiae Patris, τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως« (A. III. n. 65 c. 462). Et de Spiritu sancto: »Si Filius, quia est ex Patre, proprius idcirco eiusdem substantiae est, necesse est similiter Spiritum qui ex Deo esse dicitur, proprium quoque Filii esse

secundum substantiam, κατ' οὐσίαν (S. I. n. 25 c. 590). »Spiritus Sanctus proprius nec alienus Filii substantiae et divinitatis, propter quam et sanctae Trinitatis« (S. I. 27 c. 594). »Spiritus sanctus non res creata, sed Verbi substantiae est proprius« (S. IV. n. 4 c. 642).

Et quia tum Filius ipse tum Spiritus Sanctus non accidentia quaedam sunt, sed verae personae divinae, quarum unaquaeque, per naturam seu essentiam divinam, quam in se habet, verus Deus constituitur, ideo non solum sunt proprii substantiae Patris, sed etiam secundum suam substantiam seu substantiam divinam prout in ipsis est, proprii sunt Filius Patris, Spiritus Sanctus Dei, Patris et Filii; hoc patet ex verbis allatis: »Si Filius, quia ex Patre est. proprius idcirco eiusdem substantiae est, necesse est similiter Spiritum Sanctum, qui ex Deo esse dicitur, proprium quoque Filii esse secundum substantiam κατ' οὐσίαν«, cum ex ipso parallelismo verborum appareat, secundum mentem S. Athanasii aequivalere »proprium ex substantia alicuius esse« et »secundum substantiam esse proprium alicuius«.

*d)* Quid nunc requiritur secundum S. Athanasium, ut unum quod eandem ac aliud substantiam habet, huius dicatur proprium? Hoc discimus ex eo, quod S. Athanasius »proprio« opponit; Ariani duo contra Filium dicebant, eum esse »extraneum«, ξένον et »diversum«, ἀλλότριον, secundum omnia a Patris essentia; per »diversum« negabant perfectam Filii in omnibus cum Patre similitudinem ac proinde veram eius divinitatem; dicendo vero »extraneum« significabant eum esse ἔξωθεν τοῦ θεοῦ. Iam vero etsi S. Athanasius singulis Arianorum verbis singula quoque opponebat, tamen vocabulo »proprium« tamquam brevissima formula uti solet, ad omnia neganda, quae Ariani male ponebant, et omnia ponenda, quae Ariani male negabant.

Sic in epistula de decretis Nicaenis ait: »Semper esse Verbum cum Patre nec alterius essentiae vel substantiae, sed essentiae Patris eum proprium esse sicut patres in concilio dixerunt« (D. N. n. 24 c. 466). Imprimis autem »proprium« adhibet, ad significandum id, quod ratio inseparabilitatis unius personae ab altera est: »Quando igitur sine eo quod proprium eius erat Deus? Aut quomodo quis de proprio quasi externo et alius essentia existentis cogitare queat« (A. I. n. 20 c. 54). »Cum semper sit Pater, semper quoque esse oportet, quod eius naturae proprium est«. Hoc autem fundamentum inseparabilitatis nullo modo est personarum divinarum consubstantialitas; secundum Athanasium enim fluvius iam vere est »proprius« fontis et ab eo inseparabilis, item splendor vere est »proprius« lucis et ab eo inseparabilis, etsi horum consubstantialitas valde imperfecta sit, dum e contra, etiam supponendo in Filio, et consequenter in Spiritu Sancto hanc consubstantialitatem, i. e. naturam vere divinam, posset adhuc esse »extraneus«, non »proprius« et posset adhuc esse a Patre separabilis ideoque ei non necessario ab aeterno coexistens. »Splendorem eum vocarunt omnes, ut id quod ex essentia proprium et inseparabile est et cum Patre unitatem significarent;« Arius »Verbum Patri extraneum dicit, hic (Dionysius) docet esse proprium et indivisibile a Patris substantia, sicut verbum a mente et flumen a fonte.

Si quis igitur poterit dividere et alienare verbum a mente, vel fluvium a fonte separare, et quasi muro exstructo dirimere; vel ausit dicere fluvium diversae substantiae a fonte, ac diversam ab eo aquam commonstrare; vel splendorem a luce dirimere et affirmare ex aliena substantia esse splendorem, nec a luce prodire: is cum Ario insaniat« (S. D. n. 24 c. 514). »Si Sapientiae et Vitae fons dicitur Deus, consentaneum valde fuerit, Vitam et Sapientiam non quid alienum ab essentia fontis esse, sed propria Atqui haec omnia est ipse Filius... Annon igitur impius habendus ille est, qui dicit: Fuit aliquando cum non esset Filius? Namque idem est acsi diceretur: Fuit aliquando cum fons esset aridus, sine Vita et Sapientia. Atqui si huiusmodi esset, fons certe non esset« (A. I. 19 c. 50). Quod vero Filius Deus esse posset, quin Patris vere esset proprius, in oratione quarta contra Arianos dicit cum scribit: »Si Christus seipso exstitit deindeque, existens, cum Patre copulatus est, »et est Deus: duo igitur erunt principia, nec ille Patris proprius erit, et merito quidem, utpote qui non ipsius Patris, sed sui ipsius sit« (A. IV. n. 3 c. 471).

Scilicet ut unus secundum substantiam sit alterius proprius, omnino requiritur, ut ex ipso sit: »Videmus semper esse Verbum, ex illoque esse et eius proprium esse naturae, cuius est Verbum videmus item splendorem ex sole esse, illiusque esse proprium« (A. II. n. 33 c. 218). »Unius principii proprius est Filius, propria Sapientia, propriumque Verbum ex ipso existens«, »ex una illa substantia existit natura et vere Filius. Verbum Sapientia, propriaque eius Virtus, nec ab ea separabilis« (A. IX. n. 1 c. 467). Filius utpote Sapientia et Vita non est aliquid a fonte Sapientiae et Vitae, i. e. Patre alienum, sed proprium; quare dicere, Filium aliquando non fuisse, idem est ac dicere: Fuit aliquando cum fons esset aridus, sine Vita et Sapientia. Atqui si huiusmodi esset, fons certe non esset; nam quod non ex seipso gignit, fons utique non est« (A. I. n. 19 c. 50). Qui ita diceret »non iam verum fontem designaret, sed lacum quendam, aquam aliunde habentem, immerito fontis nomine vocatum« (D. N. n. 15 c. 450), videlicet, ut fluvius fontis proprius esse dici possit, non sufficit ut aquam aeque bonam habeat ac fons, sed omnino requiritur, ut eius aqua ex ipso fonte proveniat.

*f)* Atque hanc genuinam vocis »proprius« significationem S. Athanasius etiam apertius declarat, cum non simpliciter Filium esse proprium Patris dicit, vel Spiritum Sanctum Filii, sed potius Filium esse Patris Filium proprium, Patris genimen proprium, Patris Verbum proprium, vel etiam Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii proprium. Nam Filius est Filius secundum essentiam κατ' οὐσίαν, (D. N. n. 22 c. 455), et Spiritus Sanctus est »Verbi substantiae proprius« (S. IV. n. 4 c. 642), i. e. tum Filius tum Verbum tum Genimen tum Spiritus ex ipsa essentia sua ideoque absoluta necessitate sunt aliquid, quod relationem habet ad aliud et quidem relationem originis; ulterius non dicunt meram relationem originis sed dicunt etiam modum quo unumquodque eorum ab alio necessario oritur, ideoque simul indicant, qualis esse debeat is, a quo originem illa ducunt; filius et geni-

men (fetus), sunt naturale productum generationis neque ulla alia via oriri possunt; quod generatur, filius et fetus est et solum id quod generatur, quod autem non generatur, nec filius nec fetus esse potest ideoque filius et fetus necessario et essentialiter per generationem ex patre generante est et eo ipso talis patris constituitur stricto sensu »proprium«. Similiter spiritus naturale productum spirationis est, sine spiratione oriri non potest, quod autem spiratur necessario spiritus est et solum ea quae spiratione oriuntur spiritus sunt; quare etiam spiritus necessario et essentialiter per spirationem ex spirante est et eo ipso talis spirantis seu spiratoris constituitur sensu stricto »proprius«. Absolute quidem loquendo unus quidam alterius proprius esse potest multiplici sensu, et si unus alterius proprius est id non est necessario essentialiter; in divinis vero cum nihil extraneum, nihil adsciticium esse possit, neque una persona quasi per accidens alterius propria esse possit, sed, si quidem propria est, id est necessario et essentialiter ideoque ex ipsa constitutione sua seu ex charactere suo personali, quo solo personae divinae distinguuntur: proprius Filius est Patris, quia tamquam Filius, Verbum, Fetus ab ibso generatur; proprius est Spiritus Sanctus Filii, et Dei, quia a Filio et a Deo spiratur.

*g*) Et sic iam plene intelleguntur, quae scribit S. Athanasius sive de Filio sive de Spiritu Sancto: »Proprius essentiae Patris fetus est« (A. I. n. 9 c. 27). »Patris verus et proprius eius fetus est« (Aeg. n. 16 c. 575). Patris autem fetum esse, est idem ac fetum ex Patre ortum esse, non enim est solum »fetus Patris«, »fetus substantiae Patris« (D. N. n. 3 c. 165), sed etiam »ex Deo et proprius eius fetus« (D. N. n. 12 c. 443), »ex Patris substantia proprius fetus« (D. N. n. 19 c. 450), »ex Patre et solus proprius eius et naturalis fetus« (ibid), »ex Patre proprius fetus sicut ex lumine splendor« (D. N. n. 26 c. 459). Ideo Christus »verus est Dei Filius, utpote ex ipso tamquam ex Patre proprium Verbum existens« (S. n. 32 c. 151). Haec enim est natura patris et filii, ut pater necessario habeat filium ex ipso genitum et filius necessario sit genitus ex aliquo patre: »Patris nomen proprium ex eius essentia fetum adsignificat« (D. N. n. 31 c. 474), de Filio dicit: »Quis audiendo Filii nomen, non statim intellegat quod patris naturae proprium est?« (A. II. n. 34 c. 219). »Cur Filius, si non ex ipso est?« (A. I. n. 19 c. 54), »ex alicuius natura natum et non ab extra acquisitum hoc filium agnoscit natura, et haec huius vocis est vera significatio« (D. N. n. 10 c. 442). »Unumquodque eorum quae indicantur, propriam habet significationem. Etenim filius substantiae ac naturae patris proprius est fetus et hoc revera significat« (S. IV. n. 3 c. 642). »Filius est proprius naturae Patris fetus nec aliunde quam ab ipso est« (A. III. n. 62 c. 454). Unde »cum Verbum unius Dei sit Filius, ad illum cuius est refertur« (A. IV. n. 1 c. 467). Nec Filii nomen tantum nudam relationem originis ad Patrem exhibet, verum etiam hanc relationem pressius determinat, et quidem tamquam per modum generationis: »Filius non ab extra existit, sed ex generante Patre est« (D. N. n. 13 c. 446), et ipse Filius, Verbum, Sapientia, Imago, Manus et Virtus Patris no-

minatur, omnia haec nomina nihil aliud quam »eius ex Patre generationem notificant« (D. N. n. 17 c. 451); ut de Filio et Fetu sic etiam de Verbo dicit Athanasius: »Verbum non creatur sed gignitur« (Aeg. n. 14 c. 571).

32. Ex fundamentali autem S. Athanasii principio, Spiritus Sanctus ad Filium non solum relationem habet, verum eitam eandem relationem, quam Filius habet ad Patrem. Nam certe »eius i. e. Christi est Spiritus« (A. I. n. 47 c. 110, n. 50 c, 118); »σοῦ γάρ ἐστι καὶ τὸ Πνεῦμα, sic ipse Christum alloquitur (A. I. n. 49 c. 114), est »proprius Filii« (S. I. n. 1 c. 531), »proprius Verbi« (S. I. n. 24 c. 594), »proprius Verbi et Patris divinitatis« (S. I. 32 c. 606). Haec relatio Spiritus Sancti ad Filium est vera relatio originis, quatenus Filius Spiritum Sanctum vere producit, et Spiritus Sanctus a Filio vere producitur. Hoc clarissime apparet ex epistula quarta ad Serapionem. Pneumatomachi enim ex eo quod Spiritus Sanctus »in Deo est et ex Deo datur« inferebant, ipsum Dei Filium esse, (n. 2. c. 638), et ex eo, quod »a Filio accipit et a Filio datur« (n. 1 c. 638), quod »Filii est Spiritus atque a Filio omnia accipit Spiritus« (n. 2 c. 638), inferebant, Patrem avum esse et Spiritum Sanctum eius nepotem. Respondet Athanasius, Spiritum in Scriptura nullibi vocari Patris Filium nec Filii fratrem nec Filii filium nec Patris nepotem (n. 2 c. 638); si ulterius vere »Filius Imago Patris et Spiritus Sanctus Imago Filii«, si »Filius venit in nomine Patris et Spiritus in nomine Filii«, et tamen inde nequeat inferri, Patrem esse avum, a pari nec ex eo quod Spiritus Sanctus »a Filio omnia accipit et a Filio datur«, quod »Filii est Spiritus atque a Filio omnia accipit«, legitime inferri posse: Spiritum Sanctum esse Filium.

Iam vero quodnam simplicius responsum fuisset, si S. Athanasius sic se habere rem putasset, quam ut negaret simpliciter Spiritum Sanctum esse ex Filio; hoc enim posito, evidentissimum fuisset, Spiritum Sanctum nepotem Patris dici nullo modo posse. Quare, si nihilominus id non dicit, unica ratio est, quia ipse Pneumatomachos non in hoc errare iudicabat, quod Spiritum Sanctum revera ex Filio esse supponebant, et illud »dare« revera »producere« et illud »accipere« revera produci secundum doctrinam catholicam significare credebant; veritas haec secundum ipsum erat, non error. Quod confirmatur ex similitudine Imaginis, quam aequa ratione Filio relate ad Patrem et Spiritui Sancto relate ad Filium applicat; nam ratio propria, cur Filius Imago Patris sit, ipsi in omnibus similis, ita ut in Filio Pater conspiciatur, est ipsa Filii ex Patre origo: »Filii enim proprium est, omnia quae Patris sunt habere, ac talem esse, ut in ipso Pater conspiciatur« (A. II. n. 24 c. 198), »qualis est genitor, talem et genitum esse necesse est, et qualis est Verbi Pater, tale et eius Verbum debet esse« (A. II. n. 35 c. 222), »quia Filius ex Patre est, omnia quae Patris sunt, ut in imagine et charactere Filii sunt« (Syn. n. 30 c. 782); ergo etiam Spiritus Sanctus ideo imago Filii est, quia ex ipso est. Praeterea Filius »existit in Patre«, cuius rationem affert cum addit: »a quo genitus est« (A. II.

n. 58 c. 270); simili autem modo coniungit: »Spiritus Sanctus in Deo est ., et ex Deo datur« (S. IV. n. 2 c. 638), ergo etiam cum Spiritum Sanctum in Filio esse dicit, »Spiritus in Verbo est« (A. III. n. 25 c. 375), hoc explicandum est per: »et ex Verbo datur«, et hoc ipsum per: »et ex Verbo est«, sicut in epistula quarta ad Serapionem vidimus

33. Idem etiam clarius apparet ex modo quo S. Athanasius ipse processionem Spiritus Sancti ex Patre explicat. Nam primum sollicitus apparet, ut Patri etiam Filium adiungat; Christus promisit Spiritum, »qui a Patre procedit, qui idem ex ipso accipit et datur« (S. I. n. 11 c. 559), »qui a Patre procedit, qui, cum Filii sit proprius, ab illo datur« (S. I. n. 1 c. 334), »et hunc Dei esse et a Patre per Filium dari credimus« (S. IV. n. 6 c. 646). Immo etsi Spiritum Sanctum a Patre procedere confiteatur, tamen etiam, et quidem, saltem logice prius, a Filio eum procedere innuit: »A Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre est effulget« (S. I. n. 1 c. 579). »Qualem scimus proprietatem Filii esse ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperimus. Et quemadmodum Filius dicit: Omnia quaecumque habet Pater mea sunt, ita haec omnia per Filium in Spiritu esse deprehendimus Et quemadmodum Filius dicit: Quae mea sunt, Patris sunt, sic Patris est Spiritus Sanctus, qui dictus est Filii, siquidem ipse Filius ait: Cum venerit Paracletus, quem ego vobis mittam a Patre, Spiritus Veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin et in tota divina Scriptura invenies, Spiritum Sanctum, qui dicitur Filii, eundem dici esse Dei proinde si Filius, propter suam proprietatem ad Patrem et quod sit eius substantiae proprius fetus, non est creatura, sed Patri consubstantialis, sic nec Spiritus Sanctus fuerit creatura; quin etiam qui hoc dicit impius est, ob proprietatem scilicet eius ad Filium, et quia ab ipso datur omnibus et quae habet ille Filii sunt« (S. III. n. 1 c. 626 s.), quibus verbis Sanctus manifeste ostendit, processionem Spiritus Sancti a Filio sibi adeo certam esse, ut ea mediante, ipsam processionem eius a Patre explicet!

34. Hoc idem ostendunt illi textus, quibus Spiritum Sanctum vel per Filium Patri inesse vel per Filium cum Patre coniungi statuit. »Cum Spiritus in nobis est, Verbum, a quo illum accipimus, similiter in nobis est, et in Verbo est quoque Pater. Ubi enim lux est, ibi et splendor quoque est, ubi item splendor est, ibi similiter eius efficacia et splendida est gratia« (S. I. n. 30 c. 599). »Cum Spiritus in aliquo dicitur esse, Verbum in ipso dans Spiritum intellegitur« (S. I. n. 31 c. 603). »Spiritus non est extra Filium Cum participes sumus Spiritus, Filium habemus et Filium habentes, habemus et Spiritum clamantem in cordibus nostris: Abba Pater« (S. IV. n. 4 c. 642) »Quia enim Verbum est in Patre, et Spiritus ex Verbo datur, nos idcirco cupit [Christus] Spiritum accipere, ut cum eum acceperimus, tunc Spiritum Verbi in Patre existentis habentes, etiam nos ipsi per Spiritum unum in Verbo et per Verbum in Patre effecti, esse videamur, δόξωμεν καὶ ἡμεῖς διὰ τὸ Πνεῦμα ἓν γίνεσθαι ἐν τῷ Λόγῳ καὶ δι' αὐτοῦ ἐν τῷ Πατρί.

Quemadmodum filii et dii efficimur propter Verbum, quod in nobis habemus, ita in Filio et in Patre erimus, unumque in iisdem effecti existimabimur, propterea quod in nobis sit Spiritus, qui in Verbo est, quod ipsum Verbum est in Patre« (A. III. n. 25 c. 375).

35. Quae iam omnia ipsum ordinem personarum inter se significant, et non solum earum aliquam relationem ad creaturas; ita adhuc clarius verba quae illa praecedunt: »Non enim Filius particeps est Spiritus, ut per ipsum etiam in Patre fiat, nec ipse Spiritum accipit, sed potius ipse omnibus eum impertit. Nec Spiritus Verbum cum Patre coniungit, sed potius Spiritus a Verbo accipit. Et Filius quidem in Patre est sicut Verbum proprium et splendor eius, nos vero absque Spiritu alieni et procul a Deo sumus« (A. III. n. 24 c. 374). Filius est particeps Patris, non vero Spiritus Sancti est particeps, sed »ipse Spiritus Sanctus a Filio potius accipit« (A. I. n. 15 c. 43).

Hinc novo modo illustrantur illa: »Spiritus Sanctus cum Filio non secus coniunctus est ac Filius cum Patre« (S. I. n. 31 c. 602), »a Filio separari non potest Spiritus, uti nec a Patre Filius« (S. I. n. 33 c. 607), »qualem enim scimus esse Filii proprietatem ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum Sanctum comperimus« (S. III. n. 1 c. 621), et ratio proxima, cur Spiritus Sanctus creatura esse nequeat, non ponitur a sancto nostro doctore in eius habitudine ad Patrem, sed potius in eius habitudine ad Filium, quod scilicet, »eundem ordinem et naturam habet Spiritus Sanctus erga Filium, qualem Filius erga Patrem« (S. I. n. 20 c. 579), quod »Spiritus Sanctus eandem habet cum Filio unitatem, quam Filius cum Patre«, e cuius scilicet essentia Filium esse patres Nicaeni ideo dixerant, »ut alius praeter creaturarum naturam esse crederetur unus ipse vere ex Deo existens« (D. N. n. 19 c. 450). Atque ita propria illa et sui generis personarum divinarum unitas Deique unicitas non ex eo solum exsurgit, quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus habeant eandem realiter essentiam, verum etiam et quam maxime ex personarum divinarum, propter unius ab alia originem, ab invicem indivisibilitate. »Nam sancta et beata Trinitas indivisibilis atque secum unita est, ita ut ubi Patris mentio fiat, eiusdem statim Verbum, atque in Filio Spiritus Sanctus debeat intellegi«. »Quodsi Filius nominatur, similiter in Filio est Pater, nec extra Verbum est Spiritus Sanctus« (S. I. n. 14 c. 566).

36. In relatione dantis et dati, dantis et accipientis, quae secundum Scripturam inter Patrem et Spiritum Sanctum viget, Athanasius docet, includi Spiritus Sancti a Filio originem: »Constat, nec in dubium vocari potest, ea quae dat Pater, per Filium dare«, »omnia quae facit et dat Pater, per ipsum facit et dat«, eo ipso autem, quod Pater per Filium dat, etiam ipse Filius dat, nam »idem ut Filius hominis, ea quae ipse dat, humanitus accipere dicitur« (A. I. n. 45 c. 106). Iam vero inter ea quae dat Filius, est etiam ipse Spiritus Sanctus: »Et vero ipse quidem Dominus ita loquitur: Spiritus de meo accipiet, et: Ego illum mitto, et ad discipulos: Accipite Spiritum Sanctum«, »ut Verbum et Splendor Patris Spiritum aliis impertit« (A. I n. 47 c.

107). »Praeterea si, ut ipse affirmat Dominus, eius est Spiritus ex eoque accipit, ipseque illum mittit, non igitur Verbum, quatenus Verbum et Sapientia est, a Spiritu quem ipse dat ungitur«, sed quatenus homo est (ibid.). »Quemadmodum prius quam homo fieret, tamquam Verbum Spiritum ut sui proprium, ὡς ἴδιον τὸ Πνεῦμα, sanctis subministrabat, ita etiam, homo factus, Spiritu omnes sanctificat, aitque discipulis: Accipite Spiritum Sanctum. Hunc quoque dederat Moysi aliisque septuaginta Denique homo factus aiebat: Mittam vobis Paracletum Spiritum Veritatis, quem utique misit verax Dei Verbum Ipse est qui dat et qui accipit, dat ut Dei Verbum, accipit ut homo« (A. I. n. 48 c. 111). Iam vero ratio cur Spiritum Sanctum det, est, quia Dei Verbum est; uti autem Verbum, »non discendo factum est creator, sed cum sit imago et Sapientia Dei, ea quae sunt Patris efficit« ad extra (A. II. n. 10 c. 207), ita etiam »dat Spiritum, quia Dei Verbum est; siquidem semper fuit et est sicut Filius ita et Dominus et summus omnium imperator, in omnibus Patri similis, omniaque habens quae Patris sunt, ut ipse dixit« (A. II. n. 18 c. 183): largitio igitur Spiritus a S. Athanasio inter ea enumeratur, quae Filius a Patre per generationem a Patre communicata habet.

Hanc autem largitionem Spiritus non esse meram operationem ad extra, sed includere productionem ad intra, ex qua Filius vera origo Spiritus Sancti existat, prae eoque maioritatem originis habeat, ex his patet: Spiritus Sanctus non ideo solum est Spiritus Filii, quia Filius eum dat, sed potius iam antecedenter Spiritus Sanctus Spiritus Filii est, et praecise ideo Spiritum dare potest, quia eius Spiritus est: »Per quem et a quo convenit dari Spiritum, nisi per Filium cuius ipse est Spiritus« (A. I. n. 50 c. 118). Filius praeterea largitur non modo Spiritum hominibus, verum etiam ipse largitur Spiritui et quidem omnia, quaecumque Spiritus habet; nam »ipse dat Spiritui, et quaecumque habet Spiritus, haec a Filio habet« (A. III. n. 24 c. 375); haec, cum communicationem bonorum ex una persona divina in aliam dicant, nullo alio sensu accipi possunt, quam de processione ad intra ideoque de reali Spiritus Sancti a Filio origine.

Id quod confirmat ipse Athanasius, cum provocando ad textus: Pater omnia in manu Filii dedit, Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, Non possum a meipso facere quidquam, sed sicut audio sic iudico, Omnia quaecumque habet Pater mea sunt, haec omnia sic interpretatur: »Non igitur ista commemorabat, quasi ea aliquando non habuerit, sed quod Filius, qui ea quae habet semper habet, ipsa a Patre habet... Porro Pater illa habet a nemine, sed Filius a Patre... Omnia Pater Filio dedit et rursus idem Pater omnia in Filio habet; Filio item habente, eadem quoque Pater habet; siquidem Filii divinitas Patris est divinitas« (A. III. n. 35 c. 390); iam vero Filius omnia quae habet a Patre habet, propter suam ex Patre originem; ergo etiam Spiritus omnia quae habet a Verbo habet, propter suam a Verbo originem. Et cum notasset in textu: De die autem illo nemo

scit, neque angeli, neque Filius, Dominum non ulterius processisse, nec dixisse: Neque Spiritus Sanctus, exinde deducit, Spiritum cognoscere illum diem, Filium vero tantum secundum humanitatem suam eum non cognoscere, omnino vero cognoscere secundum divinitatem; nam »si Spiritus novit, multo magis Verbum, quatenus Verbum est nosse, utpote a quo Spiritus accipit« (A. III. n. 44 c. 411), quod ‚argumentum a fortiori' iterum solum in unica hypothesi valorem habet, si scilicet Spiritus a Verbo originem habet; si enim Spiritus aeque ut Filius tantum a Patre originem haberet, tantum a pari argumentari liceret, i. e. si Spiritus diem noscit, ergo etiam Filius qui eodem modo ex Deo est; quare si S. Athanasius a fortiori argumentatur, evidens signum est, eum Filio relate ad Spiritum Sanctum adiudicare rationem principii originantis.

Et ideo, quae de Filio et Patre dixerat, ad Spiritum Sanctum extendit. Nam sicut antea dixerat: »Filius eadem voluntate, qua eum vult Pater, Patrem ipse amat, vult et honorat, unaque est voluntas quae ex Patre in Filio existit« (A. III. n. 66 c. 465), ita iam dicit: »Una est Patris gratia, quae per Filium in Sancto Spiritu completur, una pariter divinitas et unus Deus est, qui est super omnia et per omnia atque in omnibus; namque ipse etiam Paulus, cuius haec sunt verba: Testificor coram Deo et Iesu Christo, Spiritum a Filio neutiquam dividi, sed ipsum in Christo esse, quemadmodum Filius in Patre est, optime noverst« (S. I. n. 14 c. 566). »Cum participes sumus Spiritus, Verbi gratiam habemus, et in ipso Patris charitatem; porro ut una est Trinitatis gratia, sic inseparabilis est Trinitas« (S. III. n. 6 c. 634).

37. Immo S. Athanasius non obscure maioritatem illam, quam Patri prae Filio vindicat, et quae nihil aliud est, quam ratio principii ad principiatum, etiam Filio prae Spiritu Sancto adscribit. Cum de textu loquitur: Pater meus maior me est, sic ait: Hinc enim et ipse non ait: Pater meus praestantior me est, ne quis eum alium a Patris natura esse suspicaretur, sed maior dixit, non quidem magnitudine quadam aut tempore, sed quia ex ipso Patre gignitur, quin etiam cum dicit: maior est, naturae proprietatem ostendit« (A. I. n. 58 c. 134) Cum Pneumatomachi, si quis Spiritum ex Patre esse diceret, eum Filii fratrem debere dici affirmarent, dicerentque, fraternitati opponi, quod ex Scriptura aequalitas eius cum Filio negetur, et potius inaequalis Filio asseratur, cum »hic post Patrem, ille post Filium nominetur«: Athanasius nullo modo negat, revera illo ordine personarum divinarum inaequalitatem aliquam inter eos statui, utque Pater maior Filio appareat, sic Filium maiorem Spiritu Sancto exhiberi. Simili modo, cum de blasphemia in Filium hominis remissibili et de blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibili locutus esset, pergit: »Non ideo haec locutus est, quasi Spiritus Sanctus se maior esset; nam ante docuerat, omnia quae Pater habet, Filii esse, et ex Filio Spiritum Sanctum esse accepturum, ipsumque Spiritum Sanctum glorificaturum esse Filium. Neque Spiritus Sanctus Filium dat, sed Filius Spiritum praebet disci-

pulis, ac per illos iis qui in se credunt« (S. IV. n. 17 c. 662), ubi iterum clarissime innuit, tunc secundum ipsum vere Spiritum Sanctum maiorem fore Filio, si ipse Filium daret; igitur secundum ipsum is qui dat eo cui dat maior est; dat autem Filius Spiritum Sanctum, ergo secundum ipsum Spiritu Sancto Filius maior est.

Alia tamen est quaestio, utrum S. Athanasius ipse hanc veritatem disertis verbis expresserit necne. In oratione prima contra Arianos, postquam rettulit, Christum »seipsum Spiritu Sancto inferiorem propter humanam naturam suam dicere non renuisse«, pergit: «Et haec quidem Dominus ad Iudaeos tamquam homo loquebatur; at discipulis suam divinitatem maiestatemque ostendens, nec iam minorem se Spiritu, sed aequalem significans, dedit quidem Spiritum et dixit: Accipite Spiritum Sanctum, et: Ego illum mitto, et: quaecumque audiet loquetur« et vocat eum datorem Spiritus (A. I. n. 50 c. 115). Scilicet multi codices bonae notae, loco illius »aequalem significans« habent lectionem »maiorem et aequalem significans«; quae lectio, sicut bonam externam testificationem habet, ita non solum cum tota Athanasii doctrina, sed etiam cum textibus hic ipsum ab eo allatis, ubi Spiritus tamquam ab ipso datus, missus, audiens exhibetur valde concordat.

38. Tandem originem Spiritus Sancti etiam a Filio S. Athanasius etiam speciali illa similitudine exprimit, qua habitudinem Spiritus Sancti ad Filium illustrat, unguenti scilicet et sigilli. Spiritus unctio sive unguentum est et sigillum, in quo, omnia ungit et signat Verbum   Unguentum quidem ungentis suavitatem et odorem retinet, cuius participes facti qui unguntur, dicunt: Christi bonus odor sumus. Sigillum vero Christi effigiem servat, cuius qui signantur participes effecti, ad eam conformantur   Hoc autem modo signati, convenienter divinae naturae consortes reddimur, uti docet Petrus, atque ita universae res creatae Verbi in Spiritu fiunt participes« (S. I. n. 23 c. 586). »Omnes similiter per Spiritum Dei participes dicimur   Cum Christi et Dei participes dicamur, ut constat, unguentum et sigillum, quod in nobis est, non ad rerum factarum sed ad Filii naturam pertinere, qui nos per Spiritum qui in ipso est, Patri coniungit« (S. I. n. 24 c. 586; cf. S. III. n. 3 c. 630).

39. Atque his omnibus implicite iam etiam illud demonstratum est, sicut Filius est ex substantia Patris, ita et Spiritum Sanctum esse ex substantia Filii, ita ut, sicut de Filio dicit Theognostus: »Filii substantia ex Patris substantia nata est« (D. N. n. 25 c. 181), sic etiam de Spiritu dicendum sit: Spiritus substantia ex Filii substantia originem habet. Sicut enim, »cum Filium nominamus, non aliquid circa ipsum nominamus, sed ipsam eius substantiam significamus« (D. N. n. 22 c. 455), ita etiam cum Spiritum ex Filio esse dicimus, eum ex substantia eius esse significare intendimus. Nam »si Filius, quia est ex Patre, proprius idcirco eiusdem substantiae est, necesse est similiter Spiritum, qui ex Deo esse dicitur, proprium quoque Filii esse secundum substantiam« (S. I. n. 25 c. 590). »Spiritus, qui

cum Filio simul nominatur, a natura Filii dividi nequit« (S. I. n. 9 c. 551). Spiritus est »proprius et non alienus a Filii essentia et deitate, propter quam et sanctae Trinitatis est«, constat eum »unum esse vel potius Verbi quod unum est, et Dei qui item unus est, propr'um et consubstantialem esse« (S. I. n. 27 c. 594), omnino sicut de Filio dixerat, qui »est proprius substantiae Patris fetus. Quocirca Deus est verus, veroque Patri consubstantialis existens« (A. I. n. 9 c. 27). »Verbi substantiae est proprius« (S. IV. n. 4 c. 642), est »substantiae illius, qui solus bonus est« (I. c. A. n. 16 c. 1011), »Filius et Spiritus sunt eiusdem substantiae, cuius est Pater« (I. c. A. n. 19 c. 1018). »Propterea insufflavit illum in faciem apostolorum dicens: Accipite Spiritum Sanctum, ut discamus, Spiritum qui discipulis datur, ex plenitudine divinitatis esse« (I. c. A. n. 9 c. 998), »sicut igitur spiritus hominis ab humanitate eius et substantia non est segregatus, sic et Spiritus Dei a divinitate eius et substantia non est alienus« (I. c. A. n. 13 c. 1006). Quare sicut Filius vi generationis suae ex Patre vere et plene consubstantialis ipsi est, ita similiter Spiritus Sanctus eo quod ex Verbo et Patre procedit, Verbo et Patri vere et plene consubstantialis est. »Si Filius propter suam propriam habitudinem ad Patrem, et quod sit eius substantiae proprius fetus, non creatura est, sed Patri consubstantialis, sic nec Spiritus Sanctus fuerit creatura; quin etiam qui hoc dicit, impius est, propter habitudinem eius ad Filium et quia ex ipso datur omnibus et quae habet, Filii sunt« (S. III. n. 1 c. 627).

40. Ex his quae dicta sunt etiam patet, Athanasium, cum Spiritum Sanctum ex Filio originem habere docet, non excludere, quod etiam ex Patre originem habeat, nec asserere, Filium esse primum vel a Patre independens Spiritus Sancti principium. Quin potius, ut ex Filio, sic etiam ex Patre esse Spiritum Sanctum manifeste docet. »In manibus autem eorum« (i. e. Patris et Filii), ait cum S. Dionysio Alexandrino »est Spiritus, qui neque a mittente neque a ferente separari potest« (S. D. n. 17 c. 503). Spiritus Sanctus non est tantum »Verbi substantiae proprius«, sed etiam »Dei item est proprius« (S. IV. n. 4 c. 642), et est »substantiae illius, qui solus bonus est« (I. c. A. n. 16 c. 1011), »Spiritus, qui Dei dicitur et in ipso est, non alienus est a Filii natura nec a Patris divinitate« (S. IV n. 3 c. 642). »Nihil unum cum Patre est, nisi quod ex Patre est« (A. IV. n. 17 c. 491), certe autem Spiritus Sanctus cum Patre unum est, ergo ex Patre est.

Verum, etsi sicut iam supra vidimus, Spiritum Sanctum mediante Filio ad Patrem reducit, mediante Filio cum Patre coniungit, et cum Spiritum omnia a Verbo, quod ipsi omnia dederit, et det, habere dixerit, hanc ipsam collationem Spiritus Verbum a Patre habere dicit: »Dat autem Spiritum quia Dei Verbum est; siquidem semper fuit et est, sicut Filius ita et Deus et summus omnium imperator, in omnibus Patri similis, omniaque habens quae Patris sunt, ut ipse dixit« (A. II. n. 18 c. 183). Spiritus a Patre procedit, sed »a Patre procedere dicitur, quia ex Verbo quod a Patre est, effulget«

(S. I. n. 20 c. 579). Spiritus Sanctus est ex fonte Filio, sed ipse Filius, etsi fons existens, tamen est ex fonte Patre; Spiritus Sanctus est Imago Filii, sed quia Filius ipse Imago est Patris, Spiritus Sanctus mediante Filio Imago est Patris; Pater est lux vel sol, Filius est splendor solis vel lucis, Spiritus Sanctus est huius splendoris splendida gratia; Filius est bracchium Patris, vel manus Patris, Spiritus Sanctus vero est digitus Dei (I. c. A. n. 19 c. 1018).

41. His autem omnibus non excludi ex mente S. Athanasii etiam immediatam Spiritus Sancti a Patre, omnino sicut a Filio processionem, maxime ex modo patet, quo Pneumatomachis, naturalem Spiritus Sancti sive ex Patre sive ex Filio originem negantibus, occurrit. Cum enim illi obicerent, Spiritum Sanctum, si a Patre procedat, Patris secundum filium et Verbi fratrem, si ex Filio, eius filium et Patris nepotem dici oportere, Athanasius non negat, Spiritum Sanctum ex Patre esse, quo negato, iam nullo modo alter filius nec Verbi frater esset; neque negat, a Filio esse, quo negato, iam nec Filii filius nec Patris nepos, nec Pater avus eius ullo modo dici posset. Sed potius implicite utrumque concedit, Spiritum Sanctum scilicet esse ex Patre et esse ex Filio, difficultatem vero aliunde, ex Scriptura, solvit, quae, origine Spiritus Sancti a Patre atque a Filio non obstante, tamen Spiritum Sanctum nunquam sive alterum filium sive Filii fratrem sive Patris nepotem, neque unquam Patrem avum eius nominat. Pater, secundum Scripturam est Pater tantum, non autem aliquid aliud, e. g. avus; Filius est Filius tantum et nihil aliud, non e. g. frater vel pater, Verbum est solus Filius, Unigenitus scilicet, et demum Spiritus Sanctus est Spiritus Sanctus tantum, et non quid aliud e. g. filius aut frater aut nepos, et est solus Spiritus Sanctus. »Sicut Patris patrem dicere non possumus, ita nec Filii fratrem. Namque Patris ut antea dictum est, alius Deus nullus fuit, nec similiter alius est Filius, unigenitus enim est. Proinde et solus et unus Pater, solius et unius Filii est Pater, atque adeo in sola divinitate semper et est et fuit Pater ac Filius«, dum in hominibus idem modo filius modo pater. »In sola divinitate Pater proprie est pater et Filius est proprie filius; qui Pater semper fuit Pater et Filius pariter semper fuit Filius. Quemadmodum item Pater nunquam futurus est filius, sic Filius nunquam futurus est pater. Et ut nunquam desinit Pater solus esse pater, ita Filius nunquam desinit, solus esse filius. Nemo igitur nisi mente captus dixerit vel cogitaverit, fratrem esse Filio et nomen avi Patri convenire. Hinc etiam nunquam in Scripturis sacris Spiritus filius dictus est, nec frater existimatus, uti nec filius Filii nec Pater avus crederetur. Sed Filius Patris est semper filius, et Spiritus, Spiritus Patris dictus est, atque ita una Trinitatis fides est« (S. I. n. 16 c. 567, 570).

42. Immo in hac ipsa immediata habitudine ratio vera continetur, cur Spiritus Sanctus nec nepos sit Patris, nepos enim tantum mediate ex patre est, nullo modo autem immediate; et cur nec Filii frater, frater enim nullo modo ex fratre esse solet, sed tantum ex patre, dum in divinis Spiritus Sanctus etiam ex Filio sit, et cur nec Filii filius, cum filius tantum illius filius sit, ex quo

solo et immediate est, dum Spiritus Sanctus, etsi ex Filio sit, tamen non ex eo solo sit, sed etiam ex Patre idque aeque immediate.

43. Sic etiam intellegitur, cur Spiritus Sanctus, etsi ex Patre Filioque procedat, non ex duobus principiis sit, sed tantum ex uno. Quoad operationem Dei ad extra docet Sanctus, etsi eadem sit tum a Patre tum a Filio, ideo tamen non esse duplex rerum creatarum principium, propterea quod eadem operatio sit in Filio ex Patre et Filius totus quantus ad Patrem referatur. Nam »nec res creatas fas est dividere, ita ut dicatur hoc Patris, illud Filii esse« (D. N. n. 7 c. 435). »Filiûs eadem voluntate, qua eum Pater vult, Patrem ipse amat, vult et honorat, unaque est voluntas, quae ex Patre in Filio existit, ita ut inde Filius in Patre et Pater in Filio conspiciatur« (A. III. n. 66 c. 465). »Namque Filius omnia ipse est, quae Patris sunt, nihilque ante Verbum in Patre est; sed in Verbo etiam voluntas est, et per ipsum ea quae voluntatis sunt opera perficiuntur« (A. III. n. 67 c. 466). »Cum enim Verbum unius Dei sit Filius, ad eum cuius est refertur, ita ut duo quidem sint Pater et Filius, unitas vero divinitatis individua sit, nulloque modo separabilis ac proinde dicendum est, unum esse divinitatis principium, non duo principia, unde proprie monarchia est« (A. IV. n. 1 c. 467).

Iam vero quod hic de operatione ad extra dicit, quae propter naturae divinae unitatem, personarumque unius ex altera originem, unicum principium harum operationum est, idem de processione ad intra valet, ita ut propter unitatem naturae divinae in Patre et Filio, Filiique necessariam ad Patrem habitudinem, fundatam in relatione originis, Pater et Filius sint unum Spiritus Sancti principium. Spiritus Sanctus est »ex Patre in Filio« (S. I. n. 33 c. 607). »Donum«, i. e. Spiritus Sanctus, »ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre est, conceditur, effulget, et ab eodem mittitur et datur« (S. I. n. 20 c. 579). »Cum igitur ea sit in sancta Trinitate coniunctio et unitas, quis iam vel Filium a Patre vel Spiritum Sanctum a Filio aut ab ipso Patre separare audeat?« (S. I. n. 20 c. 575). Spiritus Sanctus »proprius est Verbi et Patris divinitatis« (S. I. n. 32 c. 606).

Et sicut demum in divinis quaecumque sunt, necessaria sunt, nam »quae sunt supra creatas res, aeternam habent perseverantiam«, ita praeter essentiae divinae realem in Patre et Filio identitatem, etiam haec mirabilis eorum in Spiritu Sancto spirando unitas, omnino necessaria est ad unitatem deitatis in Trinitate personarum, monarchiam dico, conservandam, quam S. Athanasius cum S. Dionysio Alexandrino adeo inculcat.

44. Unum inquirendum restat. Etsi enim, sicut Filius ex Patre, ita Spiritus Sanctus ex Filio, immo etiam ex Patre, atque ex ipsa Patris et Filii substantia, Patri mediante Filio perfecte similis procedat, cum sola Filii processio generatio sit, qua demum ratione Spiritus Sancti processio accuratius, ex mente S. Athanasii determinari possit. Spiritum Sanctum non per generationem procedere, ex constanti eius doctrina patet, secundum quam »quidquid ex alicuius substantia tamquam fetus eius proprius procedat, id na-

tura agnoscit filium« (A. III. n. 62 c. 454; A. II. n. 64 c. 283). Ad modum illum, quo Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit magis determinandum, nullum aliud medium habetur, quam nomen eius proprium; cum enim personis divinis essentiale sit, ut unaquaeque necessario et antonomastice sit id, quod per nomen uniuscuiusque proprium exprimitur, relatio Spiritus Sancti ad Patrem et Filium ex nomine eius proprio, quod est »Spiritus Sanctus« definienda est. »Nam unumquodque eorum quae indicantur habet propriam significationem« (S. IV. n. 3 c. 642). »In sola divinitate Pater proprie est Pater, et Filius proprie est Filius«. »Filius Patris est Filius, et Spiritus Patris Spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis divinitas et fides est« (S. I. n. 16 c. 570). »In deitate sola Pater proprie, solusque Pater cum sit, est et fuit et semper erit; et Filius proprie et solus Filius est, in his enim constat illud: Patrem semper Patrem et Filium semper Filium esse ac dici; Spiritum Sanctum semper Spiritum Sanctum esse et hunc Dei esse et a Patre per Filium dari credimus«.

Iam vero cetera nomina quae Filio conveniunt, significant omnia id quod nomen Filii essentialiter significat; sunt enim τῆς ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννήσεως γνωρίσματα (D. N. n. 17 c. 451) i. e. generationem eius a Patre indicant. Sicut autem »Filius substantiae ac naturae Patris propria est proles, et hoc revera significat, item Spiritus qui Dei dicitur et in ipso est, non alienus est a natura Filii nec a Patris divinitate« (S. IV. n 3 c. 647). Scilicet Sancto omnino persuasum est, sicut vocem Filii ita etiam vocem Spiritus aliquid significare, quod, etsi non per modum Verbi aut generationis, tamen vere ex substantia alicuius, i. e. spirantis, procedat. Hoc innuit, cum pro voce »Spiritus« etiam Πνοή ponit, eum a Scriptura nonnunquam insufflationem Dei, ἐμφύσημα, vocari dicit (I. c. A. n. 19 c. 1018), cum Spiritum Dei »a divinitate eius et substantia non esse alienum« ait, »sicut spiritus hominis ab humanitate eius et substantia non est segregatus« (I. c. A. n. 13 c. 1006), cum Christum in faciem apostolorum ideo ait insufflasse et dixisse: Accipite Spiritum Sanctum, »ut discamus, Spiritum qui discipulis datur, ex plenitudine deitatis esse« (I. c. A. n. 9 c. 998), cum denique scribit: »Verumtamen spirationem Filii Dei eum a sanctis Scripturis docti sumus et fontem Spiritus esse Filium Dei didicimus« (I. c. A. n. 10 c. 1212 s.), ubi »spirationem« metonymice tamquam »productum spirationis« seu »terminum spiratione productum« ponit, quo ratio illa originis, quae per nomen fontis exprimitur, per modum spirationis esse significatur. Tandem idem etiam ex omnibus illis locis colligi posse videtur, ubi, sicut nominatis Patre et Filio, statim eorum inseparabilitatem et consubstantialitatem infert, ita etiam, nominato Spiritu, statim eius inseparabilitatem et consubstantialitatem infert. »Quando igitur absque eo, quod eius proprium est, τοῦ ἰδίου χωρίς, erat Deus?« (A. I. n. 20 c. 51), Spiritus autem est »proprius Verbi et Patris divinitatis« (S. I. n. 32 c. 606), »Filius cum Patre coniungendus, Spiritus a Filio non dividendus« (S. I. n. 18 c. 571). »Quis vel Patrem a Filio vel Spiritum ab ipso Patre separare au-

deat?« (S. I. n. 20 c. 575). »A Filio non potest separari Spiritus, uti nec a Patre Filius, sicut ipsa veritas his verbis dicit: Mittam vobis Paracletum, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit« (S. I. n. 33 c. 607). »Si Filii Spiritus res est creata, consequens est, ut et Verbum Patris rem creatam esse dicamus« (S. I. n. 20 c. 579). Spiritus est »Verbi quod unum est, et Dei qui etiam unus est, proprius et consubstantialis« (S. I. n. 27 c. 594), proprius scilicet est, sensu illo eminenti, tamquam naturae divinae productum, quod necessario eodem pleno et eminenti sensu consubstantiale est.

45. Atque haec est doctrina S. Athanasii de processione Spiritus Sancti. Secundum hanc Spiritus Sanctus non a solo Patre procedit, verum etiam a Filio, attamen non tamquam ex diverso principio, sed potius tamquam ex uno eodemque cum Patre principio, Patre spirationem Filio largiente; procedit autem non per modum generationis, sed per modum spirationis. Hanc revera et non aliam esse magni huius doctoris doctrinam, nemo negare potest, qui nobiscum libros eius studiose revolverit. Nominatim eius argumentum fundamentale contra Pneumatomachos: Sicut se habet Filius ad Patrem, ita se habet Spiritus Sanctus ad Filium, omni rationabili sensu caret, si non de paritate ratione processionis harum personarum divinarum intellegendum esset; si enim de sola naturae unitate sermo esset, multo simplicius fuisset argumentum: Si Spiritum Sanctum Deum esse negatis, neque Filium tamquam verum Deum agnoscere potestis; sicut enim Filius se habet ad Patrem, ita etiam ad eundem Patrem Spiritus Sanctus se habet. Sed maluit dicere: Sicut enim Filius se habet ad Patrem, ita Spiritus Sanctus se habet ad Filium. Cur? Quia argumentum fundamentale, quo S. Athanasius consubstantialitatem Filii cum Patre demonstrare solet, ipsa eius naturalis origo a Patre est. Manet igitur in eadem linea argumentandi, divinitatem Spiritus Sancti ex origine eius a Filio vero Deo deducens.

46. Iam vero notum est, quantam curam S. Athanasius impenderit, ut non humanae sapientiae verbis et inventis rationis humanae inniteretur, sed quidquid proferret, id in divinae revelationis fundamento solidaret, ut plerumque eius libri nihil aliud quam catena ex locis Scripturae fabrefacta videatur: »Nihil ipse tradidi, nisi secundum apostolicam fidem, prout ea nobis a patribus tradita est; nihilque externum sum commentus, sed quod didici, iuxta mentem sanctarum Scripturarum his litteris exaravi« (S. I. n. 33 c. 606). »Vera illa doctrina est, uti patres tradidere, verumque doctorum iudicium, cum omnes inter se consentiunt, non autem cum vel secum, vel cum suis patribus litigant. Nam qui non ita sunt affecti, improbi, non veri doctores sunt appellandi. Hinc gentiles, qui inter se non consentiunt, sed dissentiunt, vera privantur doctrina. Sancti autem, et qui veritatis vere sunt praecones, inter se concordant non discordant. Nam licet diversis illi fuerint temporibus, idem tamen omnibus scopus fuit, quippe qui unius Dei essent prophetae et idem summo consensu nuntiant Verbum« (D. N. n. 4 c. 430). Quanta autem sit viri ita sentientis in rebus fidei auctoritas, nemo non videt; quare non sine causa patres qui eum

subsecuti sunt, Athanasii doctrinam summis laudibus celebrarunt, summo consensu receperunt, eoque tamquam primario rectae et intemeratae fidei magistro omnes posteriores doctores usi sunt. Nemo igitur miretur, quod in S. Athanasii doctrina exponenda praecipuum studium posuerim, ut qui solus Doctor ad omnem· quae forte cuiquam restare posset dubitationem de processione Spiritus Sancti a mentibus eximendam sufficiat. Dr. *P. Sinthern.*

## EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

*N. Marini*, **L' Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa Greca ortodossa dissidente (De Conceptione Immaculata Virginis Mariae in Ecclesia graeca orthodoxa separata).** Romae, 1908. in 8⁰, VI—172 pag.

In hoc opere inveniet lector breviter recollecta testimonia doctorum graecorum de immaculato conceptu B. Mariae Virginis, quae sive in amplissimo Commentario Caroli Passaglia, sive in Sylloge monumentorum Antonii Ballerini sparsa inveniuntur. Sicut scriptor ipse fatetur in prologo, nihil novi prae se fert. Non parum tamen proderit theologis quibus tempus non est densa volumina perlustrandi.

Titulus: De Conceptione Immaculata in Ecclesia graeca orthodoxa separata, perfecte operi non convenit, cum fere omnia testimonia prolata scriptorum sint qui ante separationem Ecclesiarum fuerunt. Non pauci loci et ii quidem tales qui maxime dogma catholicum evincunt, scriptorem fugerunt. Desiderantur etiam argumenta quaedam historica de vita et opera doctorum, e quibus loci afferuntur. Nihilominus, hoc opusculum, ut iam dixi, theologis non parum utile erit. *M. Jugie.*

*J. Bricout*, **La Vérité du Catholicisme**. Paris 1910.

Inter alia agitur hoc libro de primatu et de progressu dogmatum. P. 187—201 exponuntur loci scripturae de primatu, quorum veritas defenditur et quaeritur, num Petrus Romae fuerit; p. 202—233 eruitur, quid de progressu dogmatum tenendum sit; quomodo doctrina revelata incrementa capiat, quid modernistae ea de re sentiant.

*Henry N. Oxenham*, **Le principe des Développements Théologiques,** traduit de l' Anglais, avec notes, par *Joseph Bruneau*, S. S. Paris 1909, (p. 60). Adnotationes interpretis aliorum scriptorum locos respiciunt; additur index bibliographicus de hac quaestione hac aetate maxime tractata.

*H. Ligeard*, **La Théologie Scolastique et la Transcendance du Surnaturel.** Paris Bloud. 1909.

Libellus hic tam profundus quam utilis in duas dividitur partes; magis positiva altera, altera magis speculativa est. Quid sit ordo suppernaturalis in utraque parte disputatur. Sed tribus primis capitibus, quae sit hac in re sententia scholastica triumque magnarum scholarum s. Thomae, Scoti, asseclarum s. Augustini, ex operibus eorum eruitur, analysi subicitur et cum sententia theologorum huius aetatis, qui ordinis supernaturalis et originem et terminum ad animam solam eiusque naturales vires reducunt, comparatur. Quarto capite potissimum

analysis ipsius animae, eiusque virium, intellectus, voluntatis, affectus instituitur, atque demonstratur, animam ut finem assequatur, solam sibi non sufficere, sed auxilio aliquo extrinsecus lato indigere. Hinc theoria de supernaturali ut immanenti soli ordini naturali saltem quoad assequendum finem viribus solius naturae reicitur. Qua methodo factum revelationis, quod communiter historice probatur, via alia psychologica adstruitur. Libellus hic dogmaticus, apologeticus, practicus tam brevitate quam claritate et perspicuitate excellit.

*O. Žídek.*

*Nicola Franco*, „**La difesa del Cristianesimo per l' unione delle chiese**“ Roma, 1910; libr. Bretschneider, in 12$^{0}$, pag. 227; pr. l. 2·50.

Venerandus ille senex, quem omnes, qui secundo conventui Velehradensi interfuerunt, iam optime noruut, vir unionis ecclesiarum studiosissimus in opere suo, iam diu ab amicis desiderato, ea quae vel ipse expertus est vel longo de unione ecclesiarum studio comparavit, exposuit. Praecipua operis sententia in hoc posita est, crescente ubique nominis christiani contemptu remedium efficacssimum esse unionem ecclesiarum catholicae et orthodoxae. Licet ecclesia catholica per se ipsa quoque par sit adversariis novis eorumque placitis gloriose superandis tamen certe viribus unitis Christi fideles Orientis et Occidentis multo melius inimico communi resistere possunt. Totum opusculum XXV capitibus constat et appendice, quae est de capta a Turcis Constantinopoli. Principio scriptor bellum illud a diversis sectis antichristianis, maxime vero a latomis contra ecclesiam Christi incitatum ostendit, necessitatem unionis ecclesiarum ad hoc malum oppugnandum praedicat et quomodo haec unio intellegenda sit explicat (pag. 1—11). Deinde in quo maxime consistat natura atque indoles utriusque ecclesiae et illa vis, sine qua ecclesiae unitas conservari non possit declaratur et obiectiones diluuntur (p. 11—92). Sequuntur quinque capita in quibus status ecclesiarum orientalium describitur, de modo unionem propagandi et de difficultatibus quibus opus hoc sanctum premitur, agitur (93—133). In tribus capitibus sequentibus quomodo Summi Pontifices ecclesiarum unione restituendae semper dederint operam et quot mala Orienti totique Orbi christiano inde evenerint, quod separati vocem episcopi Romani audire noluissent explanatur (134—175). Tandem, ut haec mala tollantur remedia indicantur et sub finem omnes Christi fideles ad unionem fovendam invitantur (176—215).

Maxime id spectat *F.*, ut orientalibus debilitatem et resistendi sectis antichristianis inopiam ostendat, utpote qui unitate ecclesiastica privati sint ipsaeque ecclesiae autocephalae servae imperiorum civilium constitutae. Quare iterum atque iterum unionem cum Romano Pontifice, tanquam salutis arcam inculcat. Ex qua unione nihil mali orientalibus evenire posse apparet, quia unio non est confusio, quippe cum ecclesiae orientales ritum et disciplinam propriam sine impedimento conservare possint. Neque timendum est orientalibus ne propria nationis indoles si ecclesia Romanae uniantur, evanescat; haec enim non est ecclesia latina, sed universalis, cuius fideles ex toto terrarum Orbe congregati nullo modo quae eorum propria sunt amittunt, immo, sicut rumeni-

catholici ea novo vigore adaugent. Illos autem temerarios ritus latini catholicos, qui contra Summorum Pontificum voluntatem orientales ad ritum suum perducere non erubescunt eorumque admonitionibus paternis de unione ecclesiarum fovenda aures praebere nolunt, merito, tanquam ecclesiae inimicos hominesque pertinaces ac vano nationis augendae studio laborantes corripit. In appendice scriptor de capta a Turcis Constantinopoli agens quasdam acutas animadversiones proponit, quibus Constantinopolim nisi ope adversariorum unionis florentinae captam non fuisse docet. Hoc opusculum omnibus commendare et toto animo comprobare non dubitamus, atque ut in alias linguas praecipue gallicam convertatur desideramus. Duo tamen insunt errores. P 64 *F.* dicit Ioannem II. patriarchatum russicum instituisse, instituit autem Theodorus filius Ioannis IV; p. 119 factiones Ruthenorum inter se permiscet proprietatesque illis alienas tribuit. Dr. *Leonini.*

**Echos d'Orient**, t. XI, 1908. Paris, Rue Bayard, 5, paginae 384 in 8°.

*M. Jugie,* S. Jean Chrysostome et la primauté de s. Pierre. P. 5—15. S. Ioannem Chrysostomum docet sibi persuasisse et Romam Petrum venisse Romaeque mortuum esse et accepisse a Christo primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam. Concludit verbis clarissimi Solov'ev: „S. Jean Chrysostome a victorieusement réfuté d' avance les objections contre la primauté de Pierre, qu' on tire encore aujourd' hui de certains faits de l' histoire évangélique et apostolique (la défaillance de Simon dans la cour du grand prêtre, ses rapports avec s. Paul, etc.). Nous renvoyons nos lecteurs orthodoxes aux arguments du grand docteur oecuménique. Aucun écrivain papiste ne saurait affirmer avec plus de force et d' insistance la primauté de pouvoir (et non seulement d' honneur) qui appartenait à Pierre dans l' Eglise apostolique". (La Russie et l'Eglise universelle, Paris, 1889, p. 153).

*M. Jugie,* S. Jean Chrysostome et la primauté du Pape. P. 193—202. De primatu Summi Pontificis, Petri successoris, s. Ioannes Chrysostomus testimonium perhibuit actis magis quam verbis, maxime: 1° cum anno 398, summopere niteretur ut reconciliarentur inter se Roma atque Antiochia; 2° cum sua sede inique pulsus, appellationem s. Innocentii I. interponeret, anno 404.

*E. Montmasson,* L'école théologique de Sainte-Croix à Jérusalem. P. 27 35. De regimine scholae theologicae orthodoxae in monasterio S. Crucis, prope Hierosolymam, anno 1855, institutae.

*S. Vailhé,* Le titre de patriarche oecuménique avant s. Grégoire le Grand. P. 65—69. S. Grégoire le Grand et le titre de patriarche oecuménique. P. 161—171. Agitur de origine historica tituli patriarchae oecumenici seu universalis a Constantinopolitanis patriarchis usurpati, contra quam iniustam usurpationem Summi Pontifices Pelagius II. (579—590) et s. Gregorius magnus (590-604) iure ac merito reclamaverunt.

*S. Salaville,* L'épiclèse d'après s. Jean Chrysostome et la tradition occidentale. P. 101—112. S. Ioannes Chrysostomus consecrationem eucharisticam verbis ipsius Christi fieri diserte compluribus locis dicit, eamque tamen aliis multis Spiritus Sancti virtuti tribuit. Haec doctrina plane convenit cum traditione occidentali, cuius optimam formulam hanc exhibet Paschasius Radbertus: Consecratio fit „in verbo Christi per Spiritum Sanctum, virtute Spiritus Sancti per verbum Christi".

*G. Bartas,* Chronique d'Orient. P. 112—122, 237-245, 307 314, 372 379. De rebus Ecclesiarum orientalium, graecarum praecipue ac slavicarum.

Discours de Sa Sainteté le Pape Pie X. P. 129—131. Oratio quam Summus Pontifex Pius Papa X Romae habuit, die 13. februarii anno

1908, per occasionem sollemnitatum in honorem s. Ioannis Chrysostomi institutarum.

*C. P. Karalewsky,* La messe pontificale byzantine en présence de S. S. Pie X. P. 130–144. Describit byzantinam liturgiam coram Summo Pontifice sollemniter celebratam die 12. februarii anni 1908.

*M. Jugie,* Une nouvelle dogmatique orthodoxe. Trois théologiens grecs en présence. P. 146 154, 257 264. Disserit de recenti opere a Chresto Andrutsos edito, Theologia dogmatica Ecclesiae orthodoxae orientalis (Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907, XV—448 paginae in 8⁰) atque de iudiciis, quae de hoc opere tulerunt duo alii graeci orthodoxi theologi, K. Diovuniotes et S. Balanos.

*J. Pargoire* (†), Saint-Mamas, le quartier des Russes à Constantinople. P. 203 210. Lectio habita a P. Pargoire in sessione publica Instituti archaeologici russici Constantinopolitani.

*J. Pargoire,* Meletios Syrigos, sa vie et ses oeuvres. P. 264 280, 331 340 Initium commentationis doctrina et investigatione plenae de celeberrimo hoc theologo orthodoxo, qui saeculo XVII. floruit.

*M. Jugie,* Le passage des Dialogues de s. Grégoire relatif à la procession du Saint-Esprit. P. 321—331. Ab omni crimine vindicat Summum Pontificem s. Zachariam (741–752), qui hunc locum Dialogorum (lib. II, cap. ultim.): „Cum enim constet quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio .“, sic in graecum transtulit: Φανερὸν οὖν ὑπάρχει ὅτι τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει.
*J. Séville.*

**Études.** 1909 (46. année) tome 119 et 120.

Yves de la *Brière,* La Primauté de saint Pierre dans le Nouveau Testament, t. 119, p. 585—615 (5. Juin); p. 729—750 (20. Juin); tome 120, p. 55—69 (5. Juillet).

Alii ex locis evangelicis primatum s. Petri colligentibus verba vere ab evangelista scripta esse atque a Christo prolata concedunt, sed verum sensum negant, ut sunt protestantes orthodoxi et orientales separati, alii, ut sunt rationalistae, protestantes et catholici libere sentientes, illud ipsum oppugnant. *B.* primatum s. Petri ex libris V. T. probans, primum illa verba adducit, quae vivo Domino locum s. Petri in collegio apostolorum respiciunt; deinde verba illa afferuntur: „Tu es Petrus“, „Confirma fratres“, „Pasce oves meas“; postremo munus, quod idem apostolus nascente iam prima ecclesia gerebat, ex Actibus Apostolorum describitur.

De loco s. Petri inter apostolos agitur. Petrus primus fuit. Quattuor catalogi, quibus apostolorum collegium enumeratur, qui quamvis inter se ordine nominum ceterorum differant, tamen s. Petrum semper primo loco ponunt. Unde hoc? Estne ratio provectior aetas Petri? Probari nequit. Fortasse prior aliis s. Petrus vocatus est? Neque hoc est verum, saltem si electionem apostolorum spectas, ad quod munus 12 simul uno tempore admissi sunt. Sed neque in sequendo Dominum, (ut „discipulus“), s. Petrus primus fuit, licet complures praecesserit. — Dein apud s. Marc. (1, 36) et fortasse apud s. Lucam (8, 45) legitur: ‚Σίμων καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ‘ qua formula s. scriptura etiam principem eiusque comitatum significat Δαυεὶδ καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ (Marc. 2, 25. 26 alibi). Quotienscumque Christus D. duos vel tres ex apostolis ad munus aliquod obeundum deputat, semper Petrus isque primo loco occurrit. Nonnumquam ipse solus ex omnibus apostolis Domino associatus est, velut cum Christus miraculo tributum templi pro se et Petro solvit (Mat. 17, 24—27) (cf. Slav. l. th. V. 131). Si Dominus Capharnai moratur, in Petri domo habitat (Marc. 1, 29 alibi). Dein Christus naviculam ipsius nonnunquam pro cathedra eligit, ad populum in litore stantem verba facturus. Nomen eius consilio et cum promissis mutatur (Mc. 3, 16). Saepe s. Petrus nomine ceterorum loquitur. Quamquam Dominum negavit, primus testis resurrectionis est. — 2. Christus primatum non exclusit. Primatum s. Petri simplicem eventum esse dicunt, cui nullum ius convenerit. Alii ex indole alacri eiusdem nonnulla explicant. Immo loci afferuntur, quibus ne quis

discipulorum principatum sibi sumat, Christus prohibet: maiorem in regno fore, qui minor sit, qui amore Dei fratribus serviat. Porro nullum alium ex apostolis primatum accepisse, gratis statui obicitur. Ad quae pauca advertisse, quamvis *B.* copiosus sit, satis erit. Christo vivo nullum apostolum munus capitis gessisse, inde efficitur, quod Christus ipse visibile caput fuit. Quae dignitas tum nulli apostolo collata sed postea conferenda erat; quare concertatio inter apostolos esse potuit, vel ideo, quod apostoli promissionem Petro factam vel non intellexerint, vel nondum constitutam vel revocatam esse putaverint. Praeterea rationem supernaturalem regni Christi neque postquam surrexit a mortuis, satis intellexerunt. Etiam propter contraria desideria (quae volumus, libenter credimus) et ex quadam aemulatione vel ex ignorantia promissio Petro facta neglegi potuit. Christus Dominus autem solum primatum vani honoris et terrenae ambitionis excludit, non vero primatum a Deo collatum ac propter bonum commune institutum. Ipse Christus rem hanc exponit, cum modo dicit, se venisse ad serviendum (Mat. 20, 28), se esse ut ministrum in medio ipsorum (Luc. 22, 27), modo se magistrum et Dominum esse praedicat (Mat. 23, 10; Ioa. 13, 13-15). Porro munus omnino speciale Petrus obtinuit, ut fratres confirmaret.

His expositis illud „Tu es Petrus", explicatur ac primum eum locum in evangelio Matthaei semper fuisse a *B.* omnino splendide comprobatur. Omissis quae copiose et praeclare ex quarto et tertio saeculo affert, ad saeculum secundum accedamus, unde adversarii dubitandi ansam sumunt. Nam iam tertio et quarto saeculo tam splendida exstant documenta, ut solum secundo saeculo fraus fieri potuerit. Sed prius quam tertio saeculo, illud: „Tu es Petrus" non occurrit, quin etiam s. Irenaeus et s. Iustinus confessione Petri Christum Deum esse relata de Christi ad Petrum promissione, qua perpetuum fundamentum ecclesiae constitutum sit, prorsus silent. Sed advertendum est, quid sancti illi doctores ibi probare studuerint. Non de primatu Petri sed de divinitate Christi probanda ipsis cura est. Id ex verbis eorum manifestum est. Maxime vero locus, qui ex s. Iustino (Dialogus cum Tryph. Iud. 100) affertur, propter brevitatem et simul claritatem propositi dubitationem vix admittit. Tertullianus, qui scriptor quater locum „Tu es Petrus" affert, nihilominus locum habet similem ac s. Iustinus. Insuper s. Irenaeus hunc locum in opere, quod inscribitur „Adversus haereses" (III, 24) indicare videtur. (Cf. Batiffol, Église naissante, p. 255.) Praeterea s. Afrem saeculo IV$^0$ scribens, qui neque Graecis neque Latinis litteris unde locum „Tu es Petrus" originem sumpsisse aiunt, obnoxius erat, sed solum ea, quae lingua Syriaca conscripta et in eam translata erant, adhibebat, ut apud omnes constat, tamen octies locum illum celeberrimum de primatu Petri affert. Lamy, S. Ephraem Syri Hymni et sermones. Malines, 1882—1902. 4 vol. I, 374. Serm. 2 in hebd. sanct. IV. — I, 412. Serm. 4 in hebd. sanct., I. — I, 534. Serm. ad noct. dom. Resur., II. II, 186. Comm. in Isaiam., LXII, 2. — IV, 534. Hymn. de Eccl. et Virg., XV, 18. — IV, 686. Hym. de Sim. Petr., VII. (Cf. VIII). — IV, 688. Hymn. de Sim. Petr., XII. — IV, 738. Hymn. dispers., VII. (De paenit. Petri). — Quapropter Zahn in libro qui inscribitur „Das Evangelium des Mat." recte negat, explicari posse, quomodo fieri potuerit, ut illud „Tu es Petrus" iam saeculo tertio nemine resistente adhiberetur, non ab uno vel altero sed universim, nisi ipsa verba genuina sint et iam antea nota fuerint. Accedit quod apud s. Marc. et s. Luc. eodem plane loco, quo apud Matthaeum de promissione Petro facta scriptum est, nulla est eius rei mentio; unde satis intellegitur locum apud s. Mat. authenticum esse. Nam cur apud unum s. Mat. suppositus sit, cum eadem occasio apud ceteros pariter adfuisset, non apparet.

Iam quaeritur, illud „Tu es Petrus" sitne a scriptore evangelii de suo appositum, an a Christo D. re vera prolatum, seu, quae sit eius auctoritas. Qua de re *B.* copiose atque erudite disputat. Evangelio quod s. Matthaeo tribuitur diu post Christi mortem conscripto, cum ultima manus ei apponeretur, inserta esse ea verba volunt A. Loisy (Les Evangiles synoptiques), Jean Réville (Les Origines de l' episcopat), Auguste Sabatier (Les

Religions d' autorité et la Religion de l' esprit), M. Charles Guignebert (Manuel d' histoire ancienne du christianisme. Les Origines etc.). Ac primum quidem apparet sine ratione dici contraria iis esse illa, quae sive paulo ante vel post sive ante vel post ipsa scripta legantur. At locum s. Mat. 18, 18 obiciunt, ubi eadem potestas omnibus apostolis conferatur; unde concludunt, locum 16, 19 ut minus historicum et minus primae origini convenientem delendum. Sed potestas ligandi atque solvendi primum donata est soli Petro, dein collegio apostolico (incluso s. Petro), insuper soli s. Petro claves regni traditae sunt, ipseque solus fundamentum constitutus est. Quae, si ponimus primatum s. Petro collatum esse facile componuntur. Neque locus „vade post me satana" (22, 23) fidem illi adimit, quia Petrus modo pro fide laudandus modo pro defectu supernaturalis luminis vituperandus erat. — Paulo uberius exponendum est, cur haec tanti momenti verba „Tu es Petrus", apud s. Marcum et s. Lucam omissa sint. Atque illud manifestum videtur esse locum etiam eximium verum esse posse, etsi ab uno tantum allatus sit. Potest praeterea primitus a Christo Domino alia occasione esse pronuntiatus. Eusebius addit, a s. Marco, discipulo s. Petri, haec omissa esse, quia s. princeps apostolorum ex honoris proprii contemptu laudes vitabat. Accedit, quod Graece enuntiatur: „σὺ εἶ Πέτρος (aramaice autem „Kefa", qua lingua Christus D. usus est), καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ (aramaice autem iterum: „Kefa") οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν". Quare loci sensum difficile est graeco sermone plene reddere atque a s. Marco et s. Luca, qui pro conversis ad Christum Romae vel ex hellenismo potissimum evangelium graece scripserunt, aliqua ratione neglegi potuit. Praeterea Christus D. toto hoc sermone id spectat, ut inculcet, necessariam esse nobis abnegationem. Et quamquam nostra aetate locus hic maximi est momenti, tamen eo tempore imprimis vita Christi D. legati divini ac Filii Dei spectabatur. Evangelistae generatim de hierarchica temperatione ecclesiae ita loquuntur, ut eam explicari ut satis notam opus esse non putent ad eamque potius alludant. Paucis, illud Tu es Petrus nec peculiari modo ad institutum evangeliorum refertur, et facile omitti potuit sine narrationis detrimento; quapropter etiam deliberate ex aliqua ratione, ut propter aramaicam proprietatem significationis vel iudaicum habitum praetermitti potuit. Unde intellegitur, cur locus eiusmodi colore iudaico tinctus, in primo evangelio, iis qui ex Palaestina oriundi ad Christum conversi erant conscripto, sit. Qua in re priores exegetae, qui evangelium s. Matthaei quod accepimus translatum esse ex aramaica in graecam linguam existimabant, conveniunt. Sed hoc tempore multi evangelium s. Matthaei sicut s. Lucae ex duobus fontibus communibus conscriptum esse dicunt: ex „narratione rerum vitae Christi D." (i. e. evangelium s. Marci) et ex quadam „aramaica sylloge parabolarum et sermonum Domini", λόγια Κυρίου, s. Matthaeo tributa. Qua in opinione non videtur intellegi cur hic locus in primo evangelio, non in tertio legatur. Quae etsi ponamus, tamen secundum testimonia omnia veterum evangelium sine dubio s. Matthaeo tribuendum est. Sequitur, ut, etsi s. Lucas eo fonte qui ‚λόγια Κυρίου' inscribebatur uberius usus sit, tamen eum ut fontem tantum ad scribendas res adhibuerit, evangelio vero s. Matthaei verius ac plenius expressus sit seu ipsum imago omnino similis illorum „λόγια Κυρίου" sit. Addimus tandem, s. Matthaeum unum ex 12 fuisse, qui ad Caes. Philippi aderant et cuius bene rem nosse intererat. Iam recentium sententias inspiciamus, qui illud „Tu es Petrus" posteriore demum tempore additum esse putant. Loisy (l. c.) ecclesiam iam ut aliquid notum commemorari dicit aliaque potius subtilia et obscura quam vere difficilia obicit. Contra quem satis est afferre, quae Lagrange clare notavit: 1. Aequales Christi D. omnino haec duo distinxerunt: Messianum regnum et eschatologicum (IIum adventum Chr.) — 2. Adventus Filii hominis super nubes caeli non refertur proprie ad ultimum iudicium sed est symbolum regni Messiani, hocque desuper venturum longeque a regnis terrenis diversum fore praemonstrat. — Notio vero ecclesiae seu potius formae administrationis ipsius etsi tunc nondum clara fuerit — multa autem indicia iam aderant — potuit tamen Christus D. ut eius conditor

formam declarare, quam postea magis intellegerent. Ac, si demum exeunte saeculo primo verba illa adiecta essent, quo tempore christiani (schismaticos non attendimus), aramaice loquentes pauci et sine auctoritate erant, quomodo color ille iudaicus sententiarum et figurarum explicatur? Eadem de causa a s. Luca et s. Marco ea omitti potuisse diximus, cum hi graecolatinis scriberent. Nec genus dicendi fictum fuisse oppones, si modum scribendi evangelistarum simplicem et Latinis Graecisve accommodatum etiam cum damno hebraismi consideraveris. Ac sunt, qui aramaicam originem agnoscant, nec tamen originis auctoritatem admittant. Eorum sententia (Réville, Origines de l'épiscopat, p. 32, 35, 39; Sabatier, Religions d'autorité, p. 212) a Iudaeo-christianis verba illa apposita sunt, qui apostolum circumcisionis contra s. Paulum, apostolum gentium extollere voluerant. Sed tota indoles evangelii s. Matthaei, quae est universalis (regnum a Iudaeis ad gentes transferetur) et antiiudaica, plane obstat, quod critici, qui nunc sunt, ultro concedunt. —

Auctoritate huius loci „Tu es Petrus" confirmata de vi verborum propria agitur. Etiam Loisy (Synoptiques, t. II. p. 7, 8) concedit, ex ipso hoc loco effici, primatum soli s. Petro conferri, aliasque explicationes non esse nisi distinctiones subtiles, quibus verbis vis inferatur. Ex analysi huius loci, quam *B.* instituit, pauca promemus. — Portae inferi significant vel mortem: portae mortis super ecclesia nunquam claudentur, i. e. semper erit; vel daemonem: qui nunquam eam delebit. Portae urbium enim in s. scriptura sedem principum et magistratuum exhibent; quare pro ipsa urbe seu potius imperio urbis ponuntur. — „Tibi dabo claves regnorum". „Clavis" in scriptura s. (Is. 22, 22; Apoc. 3, 7) potestatem „maiordomus" significat, qui quoslibet in palatium admittere vel ab eo arcere potest, qui invigilat, qui res omnes administrat idque nomine domini, quod tum potissimum cum dominus abest, valet. — Ligare et solvere a rabbinis de magistris legis usurpatur et permittere vel vetare significat, prout sensum legis interpretantur. Cum vero de eo dicatur, qui potestate pollet, permittere „efficaciter" seu vetare cum obligatione parendi valet. Res permissa est, non quia magister legis hunc sensum eruit sed quia is, qui iure potitur, eam permittit. — Quae est porro huius loci vis ad demonstrandum? Protestantes orthodoxi primatum honoris tantum nec eum qui ad alium transeat, admittunt. Ut J. Bovon (Théologie du Nouveau Testament t. I. p. 464), F. Jalaguier (De l' Église p. 219, 221). Fundamentum primas partes, quas s. Petrus in munere praedicandi habuit, intellegunt; potestatem clavium vero portas ecclesiae ab eo primo et Iudaeis Pentecostes festo et gentibus, Cornelio baptizato ac facta Ioppe visione, sollemniter apertas. Sed toto loco considerato ac fundamento, clavibus regni, potestate efficaciter ligandi saltem simul sumptis, s. Petro primatum promitti certum est. Inde simul apparet, primatum s. Petro collatum ad ecclesiae naturam pertinere, atque esse necessarium et perpetua successione transmittendum. Haec voluntas est Christi, et sicut aedificium perpetuum erit, ita et fundamentum. His verbis primatum perpetuum Romanis episcopis conferri, ita nonnullis exegetis certum est (J. Grill, Der Primat des Petrus, p. 73—79), ut propterea ea reiciant. Indicium nempe aiunt id esse, cupidinis dominandi, qua ducti episcopi Romani (Grill, l. c. exeunte 2. saeculo; A. Loisy, Synopt. t. II, p. 9 10. 13 ad finem 1. saeculi) illum locum evangelio s. Matthaei inserendum curaverint. — Haec ad explicanda et defendenda praecipua verba s. scripturae, quibus primatus Petri ei successuris necessario tradendus demonstratur, afferuntur.

*Michel d' Herbigny,* Un Newman Russe — Vladimir Soloviev (1853—1900). Tome 120, p. 767—786 (20. Sept.; 5. Oct.). Optime meruisse censemus scriptorem hac brevi memoria. Quid momenti Solov'ev attulerit ad huius temporis Russorum eruditorum mentem ac studia optime exponitur. Omnibus, quorum interest de Solov'evio paucis atque commode instrui, haec commentatio — etiam seorsum expressa (pag. 49) — commendanda est. *O. Židek.*

Τὰ δίκαια καὶ προνόμια τοῦ Οἰκουμενικοῦ Πατριαρχείου ἐν Κωνσταντινουπόλει 1909 (Πατριαρχ. τυπογρ.) p. 120 (rec. Pharos II, 2, p. 177).

Ἔγγραφα πατριαρχικὰ καὶ συνοδικὰ περὶ τοῦ Βουλγαρικοῦ ζητήματος (1852—1873) ἐκδιδόμενα... Cp. (πατρ. τυπογρ.) 1908, p. 585 + 96.

Παράλογοι ἀξιώσεις τῆς Βουλγαρικῆς Ἐξαρχίας (ex „Ἐκκλ. Ἀλήθ."). Cp. (πατρ. τυπ.) 1909, p. 67.

# MISCELLANEA.

## Leges Academiae Velehradensis.

Academia Velehradensis est docta societas ad studia ecclesiae orientalis (graecoslavicae) concelebranda instituta.

De sede.

§ 1. Sedes Academiae Velehradensis est Velehrad in Moravia.

De proposito.

§ 2. Academiae Velehradensis est studia, quae in rebus ecclesiae orientalis (graecoslavicae) pervestigandis versantur, colere atque augere.

De modis, quibus id fiat.

§ 3. Ad id propositum assequendum Academia Velehradensis:

*a)* convocat conventus virorum doctorum et eorum, qui studia rerum ecclesiae orientalis fovent;

*b)* agit institutionis cursus qui dicuntur, instituit et adiuvat, quae ad haec studia colenda suscipiuntur, quaestiones de rebus, quae ad haec studia pertinent, cum praemiis proponit;

*c)* edit ipsa res doctrina dignas et alios, qui eiusmodi res edunt, pecunia adiuvat;

*d)* decernit pecuniam ad studia eorum, qui rebus ecclesiae orientalis dant operam perficienda;

*e)* adiuvat alia studia atque opera, quae ad propositum suum proxime accedunt.

De huius corporis hominibus.

§ 4. Socii Academiae Velehradensis sunt:

*a)* honorarii,

*b)* conditores,

*c)* ordinarii,

*d)* adiutores.

Honoris causa in academiam socii ascribuntur qui et de Academia Velehradensi et de disciplinis ab ea excolendis eximie meriti sunt. Praeside auctore a conventu generali nominantur.

Conditores sunt ii, qui una pensione saltem 500 Cor. nummi Austriaci donaverunt.

Ordinarii sunt, qui studiis academicis absolutis, aut una pensione 250 Cor. nummi Austriaci in arca Academiae reponunt aut singulis annis 12 Cor. pendunt.

Adiutores sunt, qui saltem 5 Cor. annuas pendunt.

De iuribus sociorum.

§ 5. Sociorum honorariorum, conditorum, ordinariorum iura sunt:

*a)* generalibus conventibus interesse et suffragia ferre,

*b)* suffragia ferre in deligendis viris consilii,

*c)* collegio praesidenti condiciones de rebus ad societatem pertinentibus proponere,

*d)* praesidio commendare qui honoris causa in societatem recipiantur,

*e)* dum socii sint, aut sine pretio accipere aut minoris quam alii emere — prout collegio praesidenti placuerit, — omnia, quae ab Academia Velehradensi eduntur.

Adiutores possunt conventibus generalibus sed sine suffragio interesse. Libellos annuos de rebus ab academia gestis typis expressos accipiunt vel etiam, dum membra Academiae Velehradensis sunt, pretia libris Academiae Velehradensis ab iis emendis minora constituuntur.

De officiis sociorum.

§ 6. Sociorum est decretis collegii praesidentis et conventus generalis obsequi.

De consilio.

§ 7. Academiae Velehradensis caput est consilium minimum 15, summum 50 sociorum perpetuorum. Constat ex viris de studiis rerum ecclesiae orientalis bene meritis.

§ 8. Consilium habetur:

*a)* in conventibus generalibus,

*b)* cum aut collegium praesidens aut 8 e consilio id postulaverunt.

De collegio praesidenti.

§ 9. Collegium praesidens deligitur a viris in consilium delectis ex ipsis; ab iisdem e ceteris Academiae Velehradensis sociis duo rationes examinaturi in 4 annos constituuntur. Collegium constat e praeside eiusque vicario, secretario eiusque vicario, arcario, aliisque maxime tribus viris.

Collegium praesidens convocatur aut a praeside aut ab eius vicario per litteras. Praeses autem vel vicarius debet eos convocare, cum saltem tres e collegio id optaverint.

§ 10. Huius collegii est omnia, quae ad Academiam Velehradensem pertinent, administrare. Socios in album relatos habet, cogit et dispensat pecunias, praeparat omnia ad consilia et ad conventus generales habendos necessaria, quorum decreta exsequitur. Si quis huius collegii moritur vel decedit, collegio ex consilio alium collegam cooptare licet. Ut decreta collegii praesidentis valeant, maior pars eorum, qui adsunt, in eandem sententiam eat necesse est; quod si factum est, aliud necessarium non est.

§ 11. Praeses vel eius vicarius consilium cogit eique praesidet.

§ 12. Decreta quibus Academia Velehradensis teneatur, syngraphae aliaeque tabulae, libelli propositi, edicta ad Academiam Velehradensem pertinentia nulla sunt, nisi nomina praesidis et secretarii subscripta sint.

§ 13. Secretarius vel eius vicarius Academiae Velehradensis et coram magistratibus et coram populo personam gerit. Idem simul

collegii praesidentis negotia procurat. Omnes socios descriptos habet et litteras de rebus in communi usu positis dat et accipit.

§ 14. Arcarius pecunias Academiae Velehradensis administrat, stipes accipit testaturque acceptas, quae solvenda esse praesidis nomine confirmatur e loculis societatis persolvit, ut pecuniam in faenore habeat curat, tabulas accepti et expensi, codicem stipum a singulis sociis collatarum conficit, dona et legata in commentarium refert, instrumenta, quae ad arcam pertinent, conservat.

§ 15. Arcarius quotannis, anno actionum suarum exacto, statim diligentissime rationes conficiet, ut examinari possint.

§ 16. Ii, quorum est rationes exàminare, quotienscumque iis placuerit, tabulas atque instrumenta aspicient et totius anni rationes, quae iis exhibendae sunt, cognoscent et perscrutabuntur. De iis quae invenerint ad conventum generalem referent.

De classibus.

§ 17. In Academia Velehradensi hae constitutae sunt classes:

*a)* classis orientalis proprie dicta,

*b)* classis occidentalis, cuius est studia theologica inter Slavos catholicos (ritus Latini) litteris et theologia Orientis colendis augere;

*c)* classis Cyrillomethodiana, quae ss. Cyrilli et Methodii vitae rebusque gestis et sacrae Velehradii antiquitati exquirendis dat operam.

Singulae classes in conventibus generalibus proprios conventus habent, quibus interesse omnibus Academiae Velehradensis sociis licet. Quae in iis decreta sunt praesides classium consilio Academiae Velehradensis tradunt, ut de iis agatur,

Suum cuique classi est collegium praesidens, quod ex praeside, et uno vel pluribus negotia gerentibus constat. Praesides singularum classium a consilio Academiae Velehradensis in 4 annos deliguntur; qui negotia gerat, ab eodem collegio praeside classis rogante creatur.

De Academiae Velehradensis coloniis.

§ 18. Quolibet Austriae loco coloniae Academiae Velehradensis constitui possunt. Quarum institutum originis instituto definitum est.

De conventibus generalibus.

§ 19. Stati conventus generales Academiae Velehradensis a collegio praesidenti quotannis convocantur; quos secundo quoque anno Velehradii haberi necesse est. Diem et locum a collegio praesidenti propositum constituere praesidis est; ipse conventibus generalibus praesidet.

§ 20. Stati congressus generalis est:

*a)* praeside rogante novos consilii socios deligere,

*b)* item praeside rogante socios honoris causa ascribere,

*c)* a collegio praesidenti relationem et de rebus ab Academia Velehradensi gestis et de pecuniis acceptis expensisque postulare,

*d)* de legibus mutandis et de Academiae Velehradensis sublatione decernere,

*e)* de rebus a sociis collegio praesidenti ad id saltem octo diebus ante conventum generalem propositis disputare.

§ 21. Decreta conventus generalis rata sunt, si maior pars eorum, qui adsunt et ius suffragii habent, ea comprobavit. Si hora statuta dimidia pars sociorum, quibus est ius suffragii non convenit, conventus generalis semihora post, numeri eorum, qui adsunt, ratione non habita, peragitur. Decretum de legibus immutandis aut de Academia Velehradensi dissolvenda non valet, nisi a duabus e tribus sociorum partibus acceptum sit.

§ 23. In coetibus, qui in conventu generali doctrinae studii causa habentur, praesides singularum classium de superioris spatii temporis agitatione studiorum referunt atque saltem una disputatio habetur.

De litibus sedandis.

§ 24. Lites, quae inter socios ipsos vel inter socios et consilium propter societatem oriuntur, a collegio praesidenti sedantur, cui causa a socio litteris est proponenda; cuius iudicium est sequendum. Lites inter socios et collegium praesidens ortas consilium, lites inter consilium et collegium praesidens conventus generalis diiudicat.

De Academiae Velehradensis dissolutione.

§ 25. Ut Academia Velehradensis dissolvatur, conventui generali proponere non potest nisi consilium eiusdem Academiae, si ad unum omnes consenserint.

§ 26. Si Academia Velehradensis dissolvenda sit, consilii erit decernere, quid bonis Academiae faciendum sit.

De consilio constituendo.

§ 27. Legibus approbatis collegium praeparantium primum conventum generalem, cuius erit consilium Academiae Velehradensis deligere, convocabit.

**De cognitione mutua theologorum Orientalium et Occidentalium.** Illud, quod a primo conventu Velehradensi desideratum est, ut Russis specimina theologiae catholicae exhibeantur, novo libro (post Hettinger, Cathrein aliosque) in Russicum verso, brevi apologia Dris Schmitz, ad effectum perduci pergitur. Editus est hoc anno liber, qui inscriptus est: Šmitc, Kratkaja apologetika. Perevod s 7go německago izdanija Arciševskoj. Spb. 1910 (Pret. 0·60 rub.; p. VIII + 119). Quaedam (de fine et notis ecclesiae) e Wedeweri Grundriss der Apologetik hausta sunt. Liber conversus est bene, etsi modus dicendi paululum polonismos redolet.

## Scriptoribus et editoribus librorum.

De omnibus libris Slavicis a scriptore nominato de rebus ad theologiam (vel historiam eccl.) pertinentibus editis, qui redactioni mittuntur, refertur, si vel ad laudem doctrinae aspirant vel populariter illi quidem scripti sunt, sed plus continent quam res aliunde compilatas vel ab aliis via ac ratione tractatas.

De libris non Slavicis non refertur, nisi in iis res tractantur, quae ad theologiam (vel historiam eccl.) Slavorum vel ad quaestiones inter Occidentales et Orientales controversas pertinent.

# Slavorum litterae theologicae.
## Conspectus operum recentium et Commentationes irenicae.

Dirigentibus

Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae
E. Matzel, Chyroviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal, Zagrabiae.

**Annus VI. (1910) Pragae Bohemorum. Nr. III.**

## BOHEMICA.

**Biblické zprávy v různém světle.** Výklady Sedláčkova starozákonního semináře při theologické fakultě c. k. české university v Praze. Vydává Dr. *Jaroslav Sedláček.* **(Narrationes biblicae in varia dilucidatione.** Expositiones biblici seminarii Vet. Test. in c. r. bohem. facultate theologica Pragae, prof. Dr. Jaroslav Sedláček duce.)

*Jar. Sedláček* I. Kniha východu Hebreů z Egypta. (I. Liber Exodus). V Praze 1909. Cyrillo-Methodějská knihtiskárna a nakladatelství V Kotrby.

Nostra Veteris Testamenti cognitio admodum exigua est et insufficiens, quamvis V. T. fundamentum sit Tti Novi claritasque, qua intelligere possumus verba et gesta N. Tti, in cognitione multorum locorum V Tti fundetur. Huius facti causa est magna amplitudo materiae exegeticae simulque omnimoda necessitas explicationum non solum historicarum, sed etiam archaeologicarum in genere, complectens constitutionem politicam populi israelitici gentiumque vicinarum, cum quibus in contactu erat, imprimis veterum Aegyptiorum, Babyl. et Assyr., porro leges liturgicas et sacerdotales, institutiones domesticas et familiares. Hoc deest nobis sane in instructione scholari, ubi catecheta non habet tempus sufficiens ad explicationes huiusmodi.

Auctor operis, notissimus laboribus suis in exegesi et archaeologia V Tti philologiaque orientali, suis verbis introducit opus commune, quo in publicum prodit eius schola, discipuli eius seminarii V Tti propriis suis laboribus, in argumentum, quales fructus iam nunc afferat activitas magistri auditoribus facultatis theologicae. Opus, quod nunc typo prodit, afferet sane utilitatem communem etiam laicis; opus enim complectitur dissertationes exegeticas, liturgicas, archaeologicas, quae, in varia coniunctione in unum opus redactae, explicant partem historiae V. Tti, quae est magni momenti, Exodum. Etsi propulariter scriptum est, tamen quaedam affert etiam doctis cognoscenda.

Introductio auctoris inducit nos per conspectum historicum in hodiernum statum studii biblici in facultatibus theologicis in genere et

in theologica facultate Universitatis CaroloFerdinandeae pragensis bohemicae in specie. Temporibus nostris non sufficit sola cognitio theoretica, sed etiam quaedam dexteritas in exegesi practica postulatur ab omnibus theologis, qui operam navant vel curae animarum, vel instructioni religiosae in scholis publicis.

Post introductionem generalem *S.* transit ad specialem introductionem in librum Exodi et loquitur de eius ambitu et divisione: introducimur in ipsum locum historiae libri Exodi, in terram Aegypti, quae describitur variis veterum historicorum nuntiis. Explicationes sequentes ducunt nos in regionem Gessen, loquuntur de „novo rege, qui non noverat Iosephum", de oppressione populi israel., de vocatione Moysis eiusque factis miraculosis, de transitu maris Rubri et adventu ad montem Sinai. Nonnullae dissertationes non supponunt specialem eruditionem lectorum theologicam et archaeologicam, sunt sane comprehensibiles omnino et ab omnibus stilo suo et clara explicationis ratione. Ut lector iudicare possit statum veteris Aegypti, primum introducitur modo congruo in historiam huius terrae (art. 3.), in actione Jahve videt lector actus veri Dei, cuius omniscientia praeclare comparatur cum libertate voluntatis humanae (art. 10.), accurate perfecta est localisatio Sinai et Horeb, respiciens etiam novas opiniones celeberrimi nostri A. Musil (art. 11.), bene, quamvis admodum stricte, agitur de nomine Jahve (art. 12.), potuerunt enim adiungi etiam opiniones novissimae. Cognitionem synopticorum valde iuvabit explicatio temporis occidendi agni paschalis (art. 15.), clare sunt etiam exposita Moysis miracula (art. 16.), de anthropomorphismo et anthropopathismo divino simul edocetur lector (art. 21.). Articuli illi nonnullique alii sane instruent multos claritate et perspicuitate sua, sed contra articuli alii laborant nimis stricta loquendi forma, quae supponit iam fundamentalium scientiarum archaeologiae artisque exegeticae notionem, qua nemo fere laicorum est instructus, ideoque comprehensio talium explicationum limitatur ad artum solummodo theologorum circulum (ex. gr. adhibiti termini critici fontium Pentateuchi in art. 13. absque ulla explicatione). Nihilominus autem liber vere excellit multis proprietatibus laudandis, offerens in loco tam stricto veram multitudinem explicationum magni momenti, necessariarum ad cognitionem et comprehensionem V Tti. Studium V. Tti exit hoc libro e societate scientifica in societatem laicorum totius populi ut opus editum in bibliotheca catholica, inservienti eruditioni catholicae et finem suum implebit sane multipliciter. Sincere optandum, ut crescat numerus discipulorum studii biblici constituatque aciem ordinatam, aptam fortasse ad fundandam specialem ephemeridem biblicam, quae scripta in lingua vernacula bohemica contribuat efficaciter ad profundiorem eruditionem biblicam! Dr. *Ign. Steinochr*

Th. Dr. *Alois Kudrnovský*, **Spiritismus**. Pragae 1910. Vzdělavací knihovna katolická, sv. XLVI. Pag. 411. Pret. 4·35 Cor.

*K.* opus suum optime duas in partes divisit: I. de phaenomenis (pg. 11—229), II. de doctrina spiritistarum (pg. 230—402). Prima pars plura exhibet quam nomen indicat, nimirum pertractantur hic omnia,

quae ad spiritismi originem, propagationem, facta, causas factorum, explicationesque ipsorum pertinent. Ita agitur a *K.* hac in parte: 1.º de origine et propagatione spiritismi tum in America tum in Europa eiusque singulis terris, speciatim in Bohemia (pag. 11—34). 2.º De factis seu phaenomenis ipsis (pag. 35—130): quae sint eorum condiciones, tractantur igitur conventus, spiritus eiusque modus loquendi, media eorumque divisio, ceteri consortes. Dein recensentur manifestationes secundum Gibier, Zöllner, Crookes, Lombroso, Parrier, quae acciderunt Mediolani, — efficacitas in longinqua obiecta, quaedam specialia phaenomena, responsa — et sub fine distinctio omnium manifestationum. Tertio quaeritur de vera existentia factorum, sintne hallucinationes, sintne fraus et dolus? Plures fraudes sunt probatae, quaedam phaenomena tamen ut vera sunt admittenda. 3.º De causis manifestationum (pag. 131—209) sintne naturales, uti voluntas, vis mechanica, magnetica, electrica vel ignota quaedam et invenienda? sintne causae praeternaturales: Deus, animae defunctorum bonae, spiritus boni, spiritus mali, animae defunctorum malae? Quibus positis traditur saltem possibilis quaedam explicatio naturalis, correspondens tum progressui scientiae tum doctrinae Ecclesiae. 4.º De spiritismo ut superstitione (pag. 210—224). A conceptu superstitionis incipientes videmus antiquum spiritismum apud Chaldaeos, Aegyptios, Iudaeos, Graecos, Romanos, usque ad novum tempus apud schamanistas et fakiros.

Pars II. doctrinam spiritistarum exprimens et diiudicans summi momenti censeri debet. Pulcherrimo parallelismo inter doctrinam christianam et spiritisticam ostenditur summa differentia inter utramque catholicaeque religionis excellentia. In primis traditur brevissimus conspectus utriusque doctrinae (pag. 230—235), deinde differentia (pag. 236—375) quae est quoad auctoritatem, motiva, media salutis, quoad obiectum religionis. Ex quo perpulchre concluditur doctrinam christianam catholicam toto caelo discerni atque praestare doctrinae spiritismi, neque fieri posse, ut quis catholicam cum spiritistica coniungere possit, cum religio catholica sit gratia perfusus et sanctificatus perpetuus cultus divinus, spiritismus vero „reditus ad gentilismum sensu malo (pag. 368), cum in christiana doctrina catholica sit theocentrismus, in spiritistica autem anthropocentrismus (pag. 370). Demum (pag. 376—396) ostenditur spiritismum semper fuisse damnatum et prohibitum, in Vet. et Novo Testamento, simulque lectionem librorum spiritistarum. Postremo (pag. 397—402) suadetur quomodo contra spiritisticam superstitionem procedendum sit: posito nempe firmo fundamento fidei et remota levitate in diiudicandis singulis factis etiam superstitio haec vincetur.

Hocce opus igitur non est simplex traditio factorum spiritismi, nec sola descriptio historicae evolutionis scientificaeque explicationis eorum, sed est opus omni accurata, subtili cogitatione pertractatum, fundatum in cognitione et copiosae litteraturae tam domesticae quam diversarum nationum Europae, et scientiae theologicae praecipue dogmaticae et moralis. Et sic totum opus est apologia religionis christianae catholicae adversus superstitionem spiritisticam, brevem et clarum

conspectum tradens in tota tam difficili quaestione hodierna, omnibus facilis styli suavitate, doctos et indoctos attento animo tenens, ita ut cuilibet opus hoc commendare possimus. Dr. *Jos. Čihák.*

## POLONICA.

Prof. Dr. *K. Twardowski* **O filozofii średniowiecznej wykładów sześć.** (Sex lectiones de philosophia mediae aetatis.) Leopoli 1910. 8° pag. 132.

Scriptor, philosophiae in universitate Leopolitana professor, opusculo hoc defectum librorum Polonorum de philosophia mediae aetatis supplere intendit. Lector ipse iudicium ferat, quomodo prof. Twardowski propositum assecutus sit. Initio monet ignorantiam esse fontem multarum opinionum praeiudicatarum, quae solidis argumentis non innituntur. Inter eiusmodi falsa et temeraria iudicia invenitur etiam sententia, media aetate nullam fuisse philosophiam, cum Ecclesia omnem cogitationem philosophicam in germine suppressisset. Concedit *T.* Ecclesiam semper certasse contra opiniones p r o t e m p o r e contrarias doctrinae ecclesiasticae, at hanc pugnam totam philosophiam mediae aetatis exhausisse omnemque cogitationem philosophicam superasse negat. Philosophiam eius aetatis ab Ecclesia maximum accepisse emolumentum *T.* non videt. Ecclesia apparet ut inimica philosophiae, ut elementum negativum in eius progressu (pag. 2), licet concedatur religionem christianam adiecisse sententiis philosophicis elementum novum, antiquitati ignotum, quod systemata religioso-philosophica, quae iam erant, tota serie novorum systematum locupletaverit (pag. 15).

Philosophia medii aevi fere tota in antiquitatis philosophia fundatur, ab eaque vitam haurit, eaque imbuitur. Progrediente philosophia mediae aetatis augetur etiam intensive et extensive vis et auctoritas philosophiae antiquae. Interdum certe philosophiae paganae quidam resistunt, at frustra — ultimum silere debuerunt (pag. 3). Nexus inter philosophiam antiquitatis et mediae aetatis tam strictus est, ut magna difficultas exsurgat illi, qui hanc ab illa distinguere chronologice velit (pag. 4).

Dein exhibet auctor brevissimum conspectum philosophiae graecae et hellenisticae usque ad aetatem christianam (pag. 4—16).

Praelectione altera relationes inter philosophiam et religionem christianam exponuntur. Religio christiana initio opponit se „omni sapientiae huius mundi, ergo etiam philosophiae“ (pag. 16). Dein vero necessitas defendendae et propagandae religionis christianae ad studia philosophico-religiosa impellit Patres apostolicos et posteriores Patres. Dicit *T.* scriptores ecclesiasticos antiquitatis christianae vocari „Patres“, quia „essentialia placita doctrinae ecclesiasticae verbis expresserint, eoque modo spirituales parentes dogmatum facti sint“ (pag. 19). De Aristotelis et Platonis auctoritate agens *T.* generaliter priori elementum rationale, alteri elementum mysticum in philosophia mediae aetatis esse adscribendum iudicat.

Tres distinguit aetates in historia philosophiae scholasticae primordiorum, progressus culminisque, regressus. Longum est enumerare omnia, quae hic falso et contra catholicos dicuntur. Brevissime solum et summis velut labiis tangit labores egregiorum doctorum, ut S. Thomae Aquinatis et S. Bonaventurae, fusius vero de iis agit, qui minus catholice senserunt, ut de Scoto Erigena et Occamo. Opiniones suas de philosophia scholastica comprehendit hoc modo „Initio philosophiae scholasticae omnino pro eadem re habebatur theologia ac philosophia, dein tempore culminis philosophia facta est ancilla theologiae, demum deflorescente scholastica philosophia iterum cogitatio philosophica assecuta est libertatem a theologia“ (pag. 103).

Ut ex brevi hoc conspectu apparet, *T.* sine satis cognita theologia catholica protestantium commentis de progressu dogmatis subscribit. Reformatores saeculi XVI. reiecerunt traditionem mediae aetatis et aristotelicam philosophiam, ut formalismum, quem conexio theologiae cum philosophia iniecisset doctrinae sacrae, removerent et artiorem animae humanae cum Deo necessitudinem sincera ardentique fide efficerent (pag. 103).

Eiusmodi commenta intuenti non est mirum, quod *T.* de munere Ecclesiae catholicae inique iudicat. Ecclesiam, ait, educasse nationes magna ex parte barbaras, ut aliquando proprio labore suo in cultu antiquitatis Graecae ac Romanae inniti possent. Hodie philosophi „pristino suo paedagogo“ assignant locum benevoli amici et periti consiliarii simulque diligenter cavent, ne Ecclesia unquam reciperet pristinam auctoritatem neve unquam a pristinis discipulis caecam postulet oboedientiam“ (pag. 107)

Quod fides cum scientia conexa erat, *T.* aptissimum fuisse existimat modum ad scientiam antiquitatis transferendam ad nationes, quae nostra aetate mentis tenerent principatum per universam Europam. Auctor abstinere non potuit, quin theologiae catholicae viam ostenderet, qua ad solvendam acrem de relatione fidem inter et scientiam quaestionem secundum philosophiae recentis beneplacita incedere debeat. „Cum scl. philosophia recens Deum eiusque relationem ad mundum et hominem non esse obiectum scientiae rationalis, sed solum religiosae fidei ostenderit“ (pag. 107) restat, ut theologia sphaera quaestionum, quae ad rationem et investigationem spectant, decedat. Nemo non videt hac ratione quaestionem de relatione fidei ad scientiam non solum non solvi, sed penitus negari.

Summopere dolendum est, quod opusculum hoc prof. Twardowski etiam a catholicis bene meritis laudem nactum est.

Ks. *Zygmunt Cieplucha* **Własność prywatna.** (De iure proprietatis privatae.) Posnaniae, Typogr. St. Adalberti 1910. 8⁰. pag. 88.

Definito iure proprietatis privatae proponuntur variae sententiae, quibus philosophi originem huius iuris explicare conantur: legalis, contractus socialis, progressus rerum, iuris naturalis. Auctor aperte concedit proprietatem privatam etiam a progressu rerum ortam esse, simul tamen eam ipso iure naturali contineri probat, quatenus necessario cum

progressu cultus emergere debeat. Argumentis et ex historia, et ex ratione et oeconomia sociali haustis confirmat *C.* suam opinionem, et deinde quae opponuntur a Rodberto, Lasall'o, Marxio et George'o solvit. Ultimis capitibus modi acquirendae privatae proprietatis exponuntur et limites iuris proprietatis describuntur. Ecclesiae est, quantum fieri potest, curare, ut praecepta moralia christianae religionis semper vigeant et ius proprietatis contra egoismum tueantur.

*Michał Szuca*: **O pochodzeniu człowieka**. (De origine hominis.) Posnaniae, Typogr. Sti Adalberti 1910. 8⁰, pag. 96.

Innixus recentioribus de origine hominis libris *Sz.* colligit rationes, quae ex utraque parte de origine hominis ex bellua proferuntur. Argumentis et anthropologicis et palaeontologicis ostendit ex harum disciplinarum praeceptis non posse comprobari opinionem darwinisticam, etiamsi solum corpus hominis spectatur. Opinionem theologorum quorundam, ut P. Wasmann, *Sz.* reicit, quod corpus ab anima separandum esse non videatur, sed homo integer, ut compositus „ex utraque creatura", considerandus sit, id quod non modo ad eius „esse" sed etiam ad eius „fieri" referri debeat.

*Czarnecki*, Dr. Julian: **Medycyna pastoralna.** (Medicina pastoralis.) Ed. II. Gniezno 1910. 8⁰, pag. 420.

*Cz.*, medicus catholicus, editionem alteram suae medicinae pastoralis clero catholico proponit. Introductione generali huius scientiae praemissa totum opus in tres partes dividit.

Parte prima scitu necessaria ex anatomia et physiologia hominis colligit (pag. 5—20), dein praecepta sanitatis conservandae et in structura ecclesiarum et domorum, et in cura animarum adhibenda explicat (pag. 21—62), denique quomodo pathologice sanitas mentis et corporis afficiatur exponit (62—98). De caelibatu erudite disserit physiologicis argumentis innixus, et, quae obiciuntur contra caelibatum, ratione doctrinae propria refutat.

Parte altera praecepta moralia, quae ad conservandam vitam propriam et alienam, et ad integritatem corporis vitamque sexualem referuntur, fusius tractat (99—234). Adduntur huic parti duo capita de sacramento baptismi et praeceptis ecclesiasticis prout ad medicinam referuntur, atque de ascesi arte medica aestimata (234—269).

Pars tertia curam pastoralem complectitur. Principio exponitur, quomodo sacerdos in cura animarum erga medicos gerere se debeat (272—283). Sequuntur quaedam de visitandis aegrotis de cognoscenda psychica eorum condicione, dein exponitur quomodo ferendum sit auxilium si quid repente acciderit, denique quomodo aegroti et imprimis agonizantes iuvari debeant (283—368). Fusius agitur de modo agendi cum iis, qui nervorum debilitate et mentis obscuratione laborant (369—404). Ultimo capite recensentur varia phaenomena medicinae magicae, quae inter rusticos vulgata sunt. Inter quas superstitiones eminent fascinatio, ensalmus seu imprecatio morbi verbis mysteriosis, vampirismus et quae dicitur plica polonica (404—418).

Opiniones scriptoris omnino sunt rectae et firmae, ita ut tuto secundum eas agi possit. Opus claritate argumentandi et dicendi commendatur. *Cz.* ubique praestat se virum religiosum et in usu rerum versatum, qui ex proprio etiam usu haurit exempla, quibus eius liber maxime ornatur. Sacerdotes in omni fere quaestione, quae huc pertinet, invenient in hoc libro viri periti consilium.

*Buonaccorsi-Kallimach Filip:* **Życie i obyczaje Grzegorza z Sanoka, arcybiskupa lwowskiego.** Przekład polski z oryginału łacińskiego. („Vita et mores Georgii Sanocei" conscripta a Buonaccorsi-Callimacho.) 8°, pag. 87. Leopoli 1909.

Cura philologorum universitatis Leopolitanae editus est liber egregius in polonicum conversus, quo humaniorum litterarum studiis praeclarus Callimachus vitam et mores Gregorii Sanocei descripsit. Vitae conversae praemisit professor in univ. Leopolitana, Dr. Thadeus Sinko dissertationem doctrinae plenam de studiis, quae usque ad id tempus de relatione Gregorii ad humanismum edita sunt. Inter opinionem, quae Callimachum fide dignum esse defendit, et dubitationem aliorum, qui Callimachum in mendacii suspicionem vocant, prof. Sinko medium tenet, Gregorium illum quidem humanismo favisse defendens, sed laudem antesignani humanismi in Polonia ipsi tribuendam esse negans. Res non facile diiudicari potest. Callimachus sub specie archiepiscopi seipsum quodammodo prodit, nam, ut advertit cl. Ign. Chrzanowski, inveniuntur in vita Gregorii aperte talia, quae componi non possunt, quaeque ex eo promanant, quod Callimachus Gregorium et humanismo deditum et simul vere catholicum ostendere voluerit.

## Recentiones libri Polonici.

*Abraham Władysław.* Początki arcybiskupstwa łacińskiego we Lwowie. (Initia archiepiscopatus Leopolitani ritus latini). Leopoli 1909. pag. 63.

*Abrantowicz F. X.* Newman a modernizm. Varsoviae 1909. 8°, pag. 29.

*Bączek Ks. Jan.* Zarys historyi filozofii (Compendium historiae philosophiae) Varsoviae 1909. In fine invenitur conspectus historiae philosophiae apud Polonos, diligentissime collectus (pag. 174—198).

*Baumfeld A.* Polska myśl mesyaniczna. (De idea Messianica in Polonia) Varsoviae 1910, pag. 97.

*Fudalewshi Ks. Wł.* Bogarodzica naszą Matką. (Dei Genitrix-Mater nostra) 8°, pag. 150. Varsoviae 1909.

*Kantak Ks. K. J.* Mankietnicy i mankietnictwo (De secta mariavitarum in regno Poloniae) Posnaniae 1910. pag. 100.

*Kruczyński X, J.* Księga psalmów Dawidowych. (Liber psalmorum commentario instructus). Varsoviae 8°, pag. 239.

*Loret Maciej.* Kościół katolicki a Katarzyna II. 1772—1784. (De ecclesia catholica tempore Catharinae II. imperatricis regni rossiaci). Cracoviae 1910. 8°, pag. 321.

*Loret Maciej.* Kasata zakonu OO. Jezuitów w pierwszym

zaborze pruskim. (De suppressa Societate Iesu in ditione regni Borussiaci). Bibl. Warszawska 1909, IV pag. 145—156.

*Marjański B.* Geniusz miłości (Heros caritatis). Narratio historica de tempore apostolorum). Tom. I. et II. 8°, pag. 222+222. Varsoviae 1910.

*Nawarra Fr.* Historya kościołow Michałowskiego i Obiechowskiego (Historia parochiae Michaloviensis et Obiechoviensis). Cracoviae 1909. 8°, pag. 220+20.

*Ptaśnik Jan.* Denar św. Piotra obrońcą jedności politycznej i kościelnej w Polsce. (Denarius Sancti Petri, eiusque momentum ad unitatem politicam et ecclesiasticam in Polonia). Cracoviae 1908.

*Szcześniak, Ks. Wład.* Dzieje Kościoła katolickiego Tom. II. (Ab a. 800—1073) (Historia Ecclesiae catholicae II.), 8°, X+479. Varsoviae 1909.

*Szydelski* Ks. Dr. Stef. Konstanty Zieliński, arcybiskup Lwowski (initio saec. 18). Cracoviae 1910. 8°, pag. 195.

*Załuski Wł.* Szkic monograficzny kościołów dekanatu rypińskiego dyecezyi płockiej. (Monographia de parochiis decanatus rypini in dioecesi polocensi). 8°, pag. 69. Polociae 1909.

P. *Ernestus Matzel* S. J.

## RUSSICA.

*A. Sokolov,* „**Методика Закона Божія**" (Metodika Zakona Božija). „**De methodo, qua in religione docenda utendum sit**" Ed. 11, M. an. 1909, pp. 396; pret. 1 r. 50 kop.

Scriptor, qui fere totam vitam suam in religione docenda consumpsit, hoc opus suum catechetis scholarum infimarum offert, unde ea quae pertractat non tam ad rationem quam ad usum referentur. In primo capite exponit, quae res et quo ordine docendae sint (9—16). Dein varias rationes exponit agens de ratione progressiva (поступательная); de ratione consociata (совмѣстная), qua simul cum narrationibus biblicis dogmata fidei et morum ac ritus liturgicus copulantur; de ratione „concentrica" (концентрическая), qua res a discipulis discendae ita disponuntur, ut singulis annis omnia necessaria ad religionem christianam cognoscendam percipere queant nulla habita ratione ordinis historici vel naturalis rerum (pp. 16—43). Sequuntur quaedam regulae ad exordia docendae religionis adhibendae (43—50). A capite VI usque ad XI diversae methodi, quibus historia sacra doceri potest explanantur (50—110), idem (a cap. XII—XVI) de precibus fit simulque exempla, quomodo pueri precibus instrui debeant, adduntur, (pp. 110—186). In cap. XVII de modo catechismum docendi (186—198) in sequentibus duobus capitibus de ritibus ecclesiasticis explicandis agitur (198—216). Caput XX proprie argumentis contra veteroritualistas (раскольники, старообрядцы) exponendis destinatum est

(216—231). Post haec scriptor diversa programmata religionis docendae, a Synodo Petropolitano confecta exponit, examini subicit et quid de indole ac natura eorum iudicet indicat (pp. 231—263). Saepe evenit, ut tot discipuli scholas frequentent, ut a catecheta in turmas dividendi sint. Quaeritur, quomodo, dum catecheta unam turmam docet, aliae se gerere debeant, ne tempus frustra in schola consumant? Scriptor eas occupari vult scribendo de rebus propositis. (263—288). Sequentibus tribus capitibus disserit de modis, quibus discipuli ad exercitia pietatis instituenda, ecclesiam frequentandam ad se bene ac pie gerendum in ea incitentur (289—309). In sex ultimis capitibus (XXXII—XXXVII) hae quaestiones solvuntur: sintne necessaria enchiridia religionis, sitne in templo religio docenda, quae sit virtus potissima catechetae, quomodo in docendo lingua vetero-slavica utendum sit, possitne catecheta laicus esse, quomodo conventus catechetarum apte constitui queant. (309—396).

Abundantia materiae, sermonis iucunditas, dexteritas et peritia in rebus, de quibus agitur, faciunt hunc librum valde utilem et iucundum. Maxime nobis placet quod *S.* bene intellexit (vid. p. 309 sqq.) doctrinae christianae institutionem arte cum pietate conexam et colligatam esse neque tractari posse ut qualiscumque alia disciplina. Quapropter nullo modo ei assentiri possumus, cum catechetis laicis ius vindicat pueros religione christiana imbuendi (pp. 350—359). Haec apud catholicos locum' nisi in extrema necessitate non habent (ut in locis missionum), quia etsi catecheta laicus ceteroquin sit vir optimus, inopia gratiae sacerdotalis nullo modo in illo suppletur. Neque illud simpliciter approbari potest quod concedendum esse pueris, ut evangelia legant, dicit. Certe res optima proponitur, praesertim in illis condicionibus in quibus Sokolov eam commendat (vid. p. 304, 305): at duo haec sunt observanda: ut evangelium ipsum sit commentario instructum et catecheta, qui illud discipulis interpretatur, si laicus est, vel ipsa mater (sicut rem fingit scriptor p. 307), sat bene illud explicare queat, ne periculum falsae interpretationis adsit. Dr. *Leonini.*

**Žurnal ministerstva narodnago prosvěščenija**. XVI. (1908 Ijul'). — XXII. (1909 Avgust).

*L. P. Karsavin,* Speculum perfectionis i ego istočniki. XVI. 103—141. Collatis duobus exemplarium Speculi generibus concludit unum esse fontem utriusque; fontem alterum genus appellat: Scripta Leonis et aliorum sociorum b. Francisci, alterum genus: Quaedam antiqua, quae in diversis locis scripserunt et scribi fecerunt socii b. Francisci. Cum duae tantum §§ I. Speculi ea, quae nobis nota sunt, scripta Leonis referant, concludendum est s. XIII—XIV alia quoque fuisse scripta, quae Leoni et sociis b. Francisci tribuebantur (non tamen Legenda trium sociorum, quam etiam Jörgensen 1908 et H. Fischer 1907 genuinam esse putant). De Speculi ad Celanum relatione aliter sentit atque Goetz; negat illud ex hoc pendere; Fierensium (1907) omnino ad arbitrium rem tractasse dicit.

*N. M. Bubnov.* Abak i Boëcij. XVI (1908 avg.) 277—332 (incohatum a. 1907 jan., fevr., mart); XVII. (1908 okt.) 250—306; XIX (1909 fevr.) 270—304; XXI (1909 maj) 84—111.

*S. M. Luk'janov,* Zamětki o teoretičeskoj filosofii Vl. S. Solov'eva. XIX (1909 jan.) 1—66. Noëticam eius dicit habere „harakter kritiko-racionalističeskago idealizma“.

*A. D. Guljaev,* Etičeskoe učenie v „Mysljaḩ“ Paskalja. XIX (1909 fevr.) 305—318. (lib. eiusdem tituli editus Kaz. 1906).

*N. G. Debol'skij,* O soderžanii nravstvennago zakona. XX (1909 apr.); XXI (1909 maj) 1—21; XXII (1909 ijul') 72—88. P. 13—21 agitur de ecclesiis separatis, et ecclesiam Romanam negatur esse aptam, quae separationis fine facto genus humanum in unam ecclesiam redigat; condicionem enim esse, ut ne sibi videatur posse „obnjat' vsju polnotu kul'turnyḩ funkcij“. Omnia enim humanitatis cultusque desideria ecclesiam explere non posse. Ut ipsius verba afferam, dicere pergit (p. 19): „Poetomu ej ostanetsja ili skromno priznat' sebja obščestvom meždu obščestvami, otkazavšis' ot pervenstva nad nimi, ili osuščestvit' eto pervenstvo nasil'stvenno, vo vred razvitiju kul'tury. Pervoe položenie cerkov' zanimaet v tom slučaě, kogda ona otděljaet v svoe věděnie liš' tu čast' čelověčeskoj žizni, kotoraja ob'emletsja ponjatiem dobroděteli; vtoroe — v tom slučaě, kogda ona stremitsja byt' reguljatorom vsej žizni, vo vsej polnotě eja gosudarstvennyh i social'nyh interesov. Pervoe položenie cerkvi nastol'ko suščestvujuščija dobroděteli sposobstvujut ili po krajnej měrě ne měšajut uspěḩam kul'tury; vtoroe eja položenie bezuslovno antikul'turno, tak kak cerkov', čtoby rukovodit' gosudarstvennoju i social'noju žizn'ju svoej pastvy, dolžna počerpat' dlja togo pravila iz svoego učenija, kotoroe vozniklo v prošedšem i, stalo byt', stěsnjaet svobodu buduščago. Poetomu takija cerkvi, kotorym neotdělimo prisušče stremlenie vsecělo vladět' čelověkom, kak napriměr, rimskij katolicizm, iudaizm ili magometanstvo, nepreměnno antikul'turny: v katoličeskiḩ i magometanskiḩ stranaḩ i v sredě evrejstva kul'turnoe razvitie možet soveršat'sja liš' vopreki cerkvi i v eja uščerb...“ Adnotari potest iudicium eius de divortio p. 20: „V otnošenii k sem'ě sam ḩristianskij mir uklonilsja ot ukazanija Ḩrista, dopuskaja (za isključeniem rimskago katoličestva) razvod meždu suprugami.“

*A. I. Jacimirskij,* Romanskij mitropolit Makarij i novootkrytaja ego slavjano-moldavskaja lětopis' 1541—1551 gg. XXI (1909 ijun') 135—166.

*A. A. Tiḩomirov,* Bor'ba s ḩristianstvom v naukě XXII (1909 avg.) 113—132 (cf. eius librum: Položenie čelověka v prirodě M. 1906). Refutatur darwinismus.

*I. Svěncickij,* **Опись Музея Ставропигійскаго Института во Львовѣ.** (Opis Muzeja Stavropigijskago Instituta vo L'vově.) 1908. XII, 243. 2 kop. **(Descriptio musaei Instituti Stauropegiaci Leopoli).**

Delineantur omnia monumenta, quae inveniuntur in musaeo Inst. Staurop. Locupletissima bibliotheca, quae continet plurimos codices manuscriptos graecos, latinos, slavicos, ruthenicos, polonicos, primum occupat locum (p. 1—45). Maioris momenti, quam bibliotheca, est archivum, quod includit prima exemplaria scripta saec. XIV—XVIII, quibus accedunt multa monumenta artis pictoriae et sculptoriae ecclesiasticae et profanae. Antiquissimus codex describitur Apostolus Christinopolitanus XIII. saec. (No. 39) editus est a Kalužnjackij, sed perperam.

Picturae miniatae magnopere conferunt ad historiam artium inter Ruthenos cognoscendam. Insunt imagines: No. 12 (9) rudes evangelistarum cum ornamentis; No. 20 (17) in involucro Deesis; No. 33 rudes evangelistarum; No. 37 ss. Marci et Lucae; No. 44 ss. Petri et Pauli: No. 80 David, Io. Damasceni, Deiparae cum Petro et Paulo app., Isaiae proph., Annuntiationis, Partus Deiparae, Adorationis Pastorum, Somni s. Ioseph, Aaron, Abrahae sacrificantis, Boni Pastoris, Simeonis Stilitae,

aliae. No. 81 Io. Damasceni, Davidis; No. 82 Io. Damasceni; No. 86, David, Moysis aquam e saxo elicientis, Primi peccati (Ad. et Ev.), Annuntiationis, Partus Deiparae, Boni Pastoris, Io. Evangel., Io. Damasc., Sim. Stel., aliae.

Maxime desideratur in hoc libro, quod de tempore, quo conscripti sint codices, in quibus a scriptoribus eorum anni significati non sunt, nihil *Sv.* indicat (ut 7—16. 18—21. 26. 27. 29—33 etc.).

*I. Svěncickij*, **Каталогъ книгъ церковно-славянской печати.** (Katalog knig cerkovno-slavjanskoj pečati.) **Catalogus librorum ecclesiastico-slavicae editionis.** Žovkva 1908. X, 213. Pret. 3 Cor.

Describuntur libri vetero-slavici, qui servantur in musaeo eccles. Leopoli, fundato ab Excell. Metropolita A. Šeptyckyj anno 1905. Qua ex descriptione cognoscimus plurimos brevissimo tempore libros eosque maximi momenti musaeo esse insertos. Catalogus ipse hoc ordine est dispositus: 1. Sacra Scriptura (N. 1—76), 2. libri liturgici (N. 77—313), 3. acathisti et libri precum (молитвенники) (N. 314—375), 4. vitae sanctorum (N. 376—402), 5. orationes sacrae (N. 403—447), 6. ius ecclesiasticum (N. 448—461), 7. libri ascetici (N. 462—486), 8. theologia (N. 487—560), 9. alii quidam libri minoris momenti. Speciali mentione dignae sunt a) variae editiones Sacrae Scripturae maxime „libri Regum“ primum Pragae (Bohemiae) a. 1518 typis editi Ruthenice, b) prima apud Ruthenos typica editio integrae scripturae sacrae, (Ostroh 1581), c) plurimi libri liturgici ab antiquissimis usque ad novissimos. — *M. M.*

**Soobščenija imperatorskago pravoslavnago Palestinskago Obščestva.** St. Peterburg. 1905—7.

*V. Vizantijskij,* Antiohijskij patriarh Methodij. 1005, pag. 28-42.

*I. I. Sokolov,* Sovremennoe upravlenie Ierusalimskoj cerkvi. 1905, p. 17-27.

*I. I. Sokolov,* O sovremennom upravlenii Aleksandrijskoj cerkvi. 1905, p. 159 172.

*P. K. Žuze,* Ustav Antiohijskoj pravoslavnoj cerkvi. 1906, p. 23-52.

*I. I. Sokolov,* Vizantijskij patriarh. Eskiz iz istorii IX—XV v. 1906, p. 71—85.

Archim. *Iona,* Buduščnost' latinskih missij na Vostokě. 1906, p. 384 4.

*I. Pomerancev,* Izbranie ierusalimskih patriarhov v XVII i XVIII stolětijah. Istorič. očerk 1907, p. 209—232.

**Soobščenija imperatorskago pravoslavnago Palestinskago Obščestva.** St. Peterburg. 1908. Tom. XIX.

*I. Pomerancev,* Ierusalimskij patriarh Dosithej II. (1669—1707 g.) [De Dositheo, patriarcha Hierosolymitano ab a. 1669—1707] 1—30: Huius fortissimi defensoris ac propugnatoris orthodoxiae in Oriente vita, labores ad patriarchatum aere alieno liberandum et aedificandas ecclesias Hierosolymis et Bethlehem suscepti, certamina cum adversariis patriarchatus et cum fidelibus aliarum confessionum perscribuntur. Cum nonnulli Graeci dispersis libris catholicas sententias continentibus ad catho-

licismum declinarent multique a Cyrillo Lucari eiusque sociis seducti calvinismum amplecterentur, Dositheus patriarcha a. 1672 Hierosolyma synodum convocavit, in qua doctrina Cyrilli damnata et fides orthodoxa explicata est in 'Ὁμολογία τοῦ Δοσιθέου, quae nunc quoque magni apud orthodoxos aestimatur et ad libros symbolicos ecclesiae orientalis primo loco pertinet. Idem, ut ecclesia orientalis contra protestanticos centuriatores Magdeburgenses et catholicos annales Caes. Baronii libramentum haberet, amplam materiam historicam congessit ad edendum opus 'Ιστορία περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις πατριαρχευσάντων, διῃρημένη ἐν δώδεκα βιβλίοις. Condita graeca typographia nonnulla polemica opera orientalium scriptorum antiquiorum edidit et ipse fortiter defendens graecam atque acerrime impugnans latinam ecclesiam multos polemicos tractatus scripsit, praecipue contra Leonis Allatii „De ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione", probaturus inter utramque ecclesiam perpetuo imprimis autem schismate facto dissensionem fuisse [1]).

*Dmitrievskij A. A.*, Prazdnik Bogojavlenija Gospodnja na rěkě Iordaně i v Ierusalimě [Quomodo festum Epiphaniae Domini ad Jordanem fluvium et Hierosolymis celebretur] 32—49. Ad celebrandum hoc festum, quod in ecclesia orientali magni aestimatur iam pridie confert se „metropolita Jordanis" magna copia peregrinantium prosequente ad fluvium, ubi ad liturgicas caeremonias tentorium exstructum est. Media nocte incipit cantus liturgicus et preces; consecrata a metropolita aqua Jordanis peregrinantes induti alba interula (bělaja smertna sOročka) in flumen mergunt se, sumunt sibi in patriam aquam et lapillos e flumine, lotique accedunt multi ad cenam Domini in tentorio.

Kinobija i idioritm na Athoně [De coenobitis et eremitis in monte Atho]. 58—102: Describitur modus vivendi, origo, historia coenobitarum et eremitarum in monte Atho [2]).

*Stelleckij I. Ja.*, Gazer biblejskij i ego raskopki [De biblico Gazer eisque quae effossa sunt] 241—254: Multum ad intellegendas historicas, geographicas, politicas res Palaestinae saec. XIV. a Chr. n. tabellae in Tell-el-Amarna inventae contulerunt, sed ad superiorem historicam aetatem Palaestinae finitimarumque terrarum hucusque rara documenta archaeologica nota erant, quamquam hodie historia testatur Chananaeos non fuisse autochthonas (aborigines), sed circiter 2400—2300 Canaan occupasse. Propterea magni aestimanda sunt quae ab Anglis in Gazer effossa sunt, quae et antiqua, et copiosa ad illustrandam eam Palaestinae aetatem conferunt. Enumerantur, quae inventa sunt.

*I. P.*, O městopoloženii ierusalimskoj patriarhii [De situ habitaculi patriarchae Hierosolymitani] 264—267: E testimoniis variorum scriptorum statuitur et describitur Hierosolymis locus, ubi patriarcha media et nova aetate habitaverit.

Arhimandrit *Iona*, K voprosu o soedinenii cerkvej [Ad quaestionem de unione ecclesiarum] 383—401. Ultimo tempore magis quam unquam in Oriente quaestio de unione ecclesiarum tractatur. *I.* attentionem facit divulgari hoc studium e parte catholica inter Graecos praecipue opera comitissae L. Riancour. Studium hoc ipsum laude dignum, sed propter

---

[1]) In litteris Russicis de Dositheo agitur a N. Matčenko, Dosithej, patriah ierusalimskij i ego vremja in Душеполезное Чтеніе 1877—1878 et a N. Th. Kapterev, Snošenija patriarha Dositheja s Rossiej. Moskva 1891.

[2]) E litteratura slavica huc pertinent: I. I. Sokolov, Athonskoe monašestvo v ego prošlom i sovremennom sostojanii. [De pristino et praesenti statu ascetriorum montis Athos.] St. Peterburg 1904. Idem, Sostojanie monašestva v Vizantinskoj cerkvi s poloviny X. do načala XIII. věka [De statu ascetriorum in ecclesia Byzantina a dimidio saec. X. usque ad initium saec. XIII.). Kazan' 1894. Ep. Porfirij Uspenskij, Istorija Athona. Kiev 1877. Marcin Czermiński, Na górze Athos wśród mniszej republiky [In monte Atho]. Kraków 1908.

„maximum impedimentum“, Romani Pontificis primatum, quem *I.* arrogantiam cum evangelio pugnantem et ambitionem appellat — frustra videtur esse: Nemo sanae rationis potest negare papam optime meruisse de augendo nomine christiano, sed quae nunc est forma Romanae ecclesiae pugnat cum indole ecclesiarum orientalium. Hae sunt radices, occidentales ecclesiae sunt rami et flores christianismi. Exponitur argumentum litterarum encyclicarum Ioachimi III., patriarchae Constantinopolitani, contra studia catholicorum Orientis gentes reciperandi ac libri L. Riancour, Lettres sur la réunion des églises. Paris 1905. *I.* queritur de studio Romae Orientem latinum reddendi et refert de consiliis laboribusque professoris Max Principis Saxoniae. *I.* eum in opere „Vorlesungen über die Orientalische Kirchenfrage“ putat proferre sententias, quarum ut testetur historia, catholicismus copiam non habeat. Sed falso. Ille, in quo nec orthodoxam catholicam fidem nec pietatem erga ecclesias orientales quisquam desiderare potest, ostendit vias, quibus utrique ecclesiae ad unionem procedendum sit. Eius sententiâ nihil horrendum habet in se primatus Romani Pontificis Orientalibus, qui nullam causam habeant timendi, „ne sibi unione inita iugum servitutis Papae imponerent“.

Laudamus scriptorem, quod res ut sunt referebat ac frequentes apud Orientales contra catholicam ecclesiam calumnias evitavit. *A. Jašek.*

*Nikolaj Mal̯rov*, **Дечанская лѣтопись** (Dečanskaja lětopis') съ предисловіемъ и комментаріями къ ней. С. Петербургъ. 1908. (IX + 79). **(Chronographia Decanensis** cum prologo et commentariis).

Haec chronica exhibent res gestas maioris momenti populi Serbici ab a. 1169—1614. Initio mentionem brevem continent S. Cyrilli, Slavorum Apostoli, ac statim 306 annis praetermissis de Nemania, primo Serborum principe, narrari incipitur, cuius genus ab Augusto imperatore deducitur.

Maximam partem huius libri implet narratio rerum politicarum ac maxime pugnarum primo principum deinde regum Serborum; nonnunquam tamen conspectum brevem continet eventuum maioris momenti aliarum nationum, ut Graecorum (de expugnata Constantinopoli), Bulgarorum, aliarumque; etiam phaenomena quaedam naturalia ut solis eclipsim ante pugnas infelices. Accurate enarratur hierarchiae Serbicae institutio et incrementa. Generatim tamen nihil in se continet, quod historicos Serborum fugere videatur.

Unum momentum maiore attentione dignum est, quod et Mal̯rov ipse dicit (p. 10), quod in narratione originis hierarchiae chronographus scribit episcopum quendam fuisse constitutum ad ecclesiam „translationis reliquiarum S. Nicolai in Italiam“, quod tamen festum apud Graecos omnino non fuit neque est, quia translatio quam diximus facta est iam tempore schismatis (a. 1087). Apud Serbos ut apud Russos et Ruthenos semper fuit.

Auctores chronicon fuerunt monachi Dečanenses; cum monasterium hoc a. 1335 conditum sit, etiam circiter hoc tempore chronica orta sunt. Mal̯rov tradit chronicon textum originalem cum suis commentariis, qui praecedentes in eadem commentarios, ut Archimandritae Seraphim anno 1864 editos, longe superant. *M. M.*

**Strannik 1908.** II. (n. 7—12).

*B. Titlinov*, Iz istorii dul̯ovnago obrazovanija v pervoj polovině XIX. věka (Ex historia institutionis theologicae saec. XIX.

usque ad a. 1850). l. 678—694; 830—844; II. 31—53. A. 1808 hodiernae formae institutionis theologicae in Russia fundamenta posita sunt auctoribus Eugenio Bolhovitinov (postea metr. Kioviensi), M. M. Speranskij, principe A. N. Golicyn, archiep. Theophylacto Rusanov. A. 1814 demum definitae sunt leges institutorum ecclesiasticorum et theologicorum. Scholae ecclesiasticae in quattuor partes divisae sunt: 1. scholas parochiales (prihodskija učilišča), 2. scholas provinciales (uězdnyja učilišča), 3. seminaria, 4 academias. Seminaria in ratione studiorum ab academiis vix differebant. Disciplinas stricte theologicas in seminariis plerumque solus seminarii rector docebat, in academiis vero rectorem duo theologiae magistri iuvabant. Disciplinae theologicae erant: 1. Lectio s. scripturae; in primo et secundo cursu legebatur V. T., in tertio et quarto N. T. Perlegendi erant omnes libri scripturae. — 2. Hermeneutica, secundum librum scriptoris protestantici J. J. Rambachii, Institutiones hermeneuticae sacrae (I. ed. iam a 1724). — 3. Theologia dogmatica. Adhibebantur compendia Russorum scriptorum lingua Latina scripta, Theophylacti Gorskij, Orthodoxa doctrina de credendis, Silvestri, Compendium theologiae, Irenaei, Compendium theologiae dogmaticae polemicae. – 4. Theologia moralis et pastoralis. Ad theologiam moralem docendam commendabatur liber theologi protestantici Buddei (Budde), Institutiones theologiae moralis, ad pastoralem autem theologiam compendium Russicum „O dolžnostjah presviterov prihodskih". — 5. Theologia polemica. Pars prima docenda erat secundum librum theologi protestantici Schubert, Institutiones theologiae polemicae, pars altera ab ipso docente elaboranda erat. — 6. Homiletica secundum librum Helleri, Institutiones theologiae homileticae. — Ius canonicum. Materiam huius disciplinae ipse professor colligat et in 5 partes dividat: quae sunt *a)* introductio de ecclesia, conciliis, traditione; *b)* de hierarchia ecclesiastica, *c)* de disciplina ecclesiastica (činopoloženie), *d)* de oeconomia ecclesiastica, *e)* de iudiciis ecclesiae (sudoproizvodstvo).

Scholae ecclesiasticae a. 1808—1839 subiciebantur auctoritati collegii „Komissija Duhovnyh Učilišč" Omnes disciplinae theologicae exceptis theologia pastorali et iure canonico docebantur lingua Latina; inde ab a. 1830 lingua Russica paulatim maiores partes obtinebat in tradendis disciplinis theologicis.

Secundo loco in seminariis et academiis tradebatur philosophia et historia philosophiae secundum compendia scriptorum Germanicorum (Baumeister, Karpe, Winkler, Heinecius, Budde e. a.) lingua Latina conscripta (pg. 830—839). — Historia ecclesiastica initio tradebatur secundum varios auctores occidentales, postea vero ipsi historiae ecclesiasticae professores lectiones suas lingua Russica ediderunt; ita exorta sunt compendia Philareti (Drozdov), Innocentii (Smirnov), Platonis, quae in plerisque seminariis academiisque adhibebantur.

Praeterea tradebantur litterae (slovesnost'), mathematica, physica, historia universalis, grammatica. Inter varias linguas, quae in seminariis atque academiis discebantur, usque ad a. 1850 lingua Latina primum obtinebat locum.

*A. I. Jacimirskij,* Vizantijskij religioznyj misticizm XIV. věka (De mysticismo religioso Byzantino saec. XIV.) 507—517; 662—672. — Ineunte saec. XIV. in theologia et philosophia Byzantina mysticismus florebat; praecipue illius aetatis mystici sunt Gregorius Sinaita, Nicolaus Cabasilas, Gregorius Palamas. Slavica versio vitae Gregorii Sinaitae a patriarcha Callisto conscriptae nuper edita est a P. A. Syrku (Žitie Grigoria Sinaita Spb. 1908). E Byzantio mysticismus pervenit in Bulgariam et Russiam.

*B. Titlinov,* Vopros ob akademičeskoj avtonomii v istoričeskoj obstanovkě (De historia quaestionis „autonomiae" academiarum in Russia) 673—683. Legibus a. 1814. „Academiae spirituales" et collegio „Komissija Duh. Učilišč" et episcopo dioecesis obnoxiae factae erant, rector academiae a „Komissija Duhovnyh Učilišč" creabatur, collati gradus academici ab eodem collegio approbandi erant. Regnante Nicolao I. po-

testas rectoris academiae fere absoluta evasit. A. 1839 loco illius collegii institutum est „Duhovno Učebnoe Upravlenie“, quod academias modo „burocratico“ regebat. Leges a. 1869 academias magis sui iuris faciebant. Academiae regendae erant a collegio professorum, quod e synodo et episcopo dioecesis pendebat. Rector a synodo creandus erat. A. 1884 „autonomia“ academiarum denuo valde circumscripta est; rectori academiae atque episcopo dioecesano magna in academias potestas concessa est. A. 1906 demum a synodo academiis maior autonomia concessa est; rector academiae a collegio professorum eligendus est. Hoc tamen nondum valorem obtinuit, quia reformatio academiarum nondum ad finem perducta est. Dr. *F. G.*

## Libri recentiores Russici.

I. G. Ajvazov, K dissertacii D. G. Konovalova „Religioznyj ekstaz v russkom mističeskom sektantstvě. M. 1909. 0·40 r. (Izd. Knigoizd. Věrnost‘).

I. G. Ajvazov, Novaja věroispovědnaja sistema russkago gosudarstva. M. 1909. (39 p.) 0·20 r. (Izd. kn. Věrnost‘).

M. Aksenov, Žizn‘ i smert‘ po Djuprelju. Publ. lekcija. M. 1909. (p. 95.) 0·75 r. (Typ. Kušnerev).

Aleksij ep. Religiozno-racionalističeskoe dviženie na Jugě Rossii vo vtoroj polovině XIX. stolětija. Kaz. 1909. (510 p.) 3 r. (Izd. Duh. Akad.).

Aleksij ep., Pis‘ma o štundistah. Kaz. 1909 (63 p.) 0·30 r. (Izd. Duh. Akad.)

Val. Amfiteatrov, Očerki iz biblejskoj istorii Vethago Zavěta. Ot Iisusa Navina do vocarenija Davida. Jur‘ev 1909. (617 p.) 2·50 r. (Typ. Mattisen).

Andrej ep., Liholět‘e v žizni pravoslavija sredi privolžskih inorodcev. (e Spb. Vědom. 1909). Kaz. 1909. (62 pag.)

Andrej, arh., Sv. Apokalipsis. Priloženie k žurn. „Russkij Palomnik.“ Spb. 1909 (III + 205) (Izd. i typ. Sojkina).

A. Aplaksin, Sampsonovskij sobor i ego restavracija 1909 g. Spb. (12 i 54 fototipii). (Typ. Golike i Vil‘borg).

L. Ja. Apostolov, Vladimir Sergěevič Solov‘ev, velikij filosof zemli russkoj. Tiflis 1909 (53).

S. Arhangelov, Žitie i čudesa svjatoj blagověrnoj velikoj knjagini Anny Kašinskoj. Spb. 1909 str. 175; 1 r. (rec. Cerk. Věd. 1909, 1105—7).

Avgustin, arhim., Rukovodstvo k osnovnomu bogosloviju[7]. M. 1909. (352) 1·30 r. (Typ. G. Lissner i Sobko).

D. I. Bagalěj, Russkaja istorija. Kurs, sostavlennyj po ego lekcijam. Č. 1-ja. Do poloviny XIII. st. Har‘kov 1909. (III+217) (Typ. Ivančenko).

K. Běljavskij, O prepodavanii zakona Božija. Spb. 1909. (Typ. V Th. Kiršbaum).

V. N. Beneševič, Otvěty Petra Hartofilaksa. (Konca XI věka.) Zapiski Imp. Akademii Nauk. T. VIII. Vyp. 14. Spb. 1909 (p. 19) 0·45 r.

A. A. Bronzov, Bělozerskoe duhovnoe učilišče za sto lět ego suščestvovanija, (1809—1909 gg.). Tom I. Sergiev Posad. 1909 (714+

VI). 4 r. (rec. in Strannik 1910, I 173—4; N. Glubokovskij in C. Věst. 1909. N. 27, c. 842—5).

T. I. Butkevič, Obzor russkih sekt i tolkov. Har'kov 1909. (X + 607 + XIX) 3 r. (Typ. „Gub. Pravlenija").

O cerkvi. Istoričeskij očerk ². Spb. 1909 (326) 1·80 r. (typogr. M. M. Stasjulevič).

V I. Čunihin, Žizn' i pastyrskaja děiatel'nost' o. Ioanna Kronštadtskago. Spb. 1909, (24 p.), 0·20 r. (rec. M. Makarevskij in Cerk. Věd. 1909, N⁰ 15).

Leon. Denisov, Žizn' i stradanija i čudesa sv. velikomučenika Pantelejmona, bezmezdnago vrača. M. 1909. (48 p.), (typ. E. Konovalov).

A. A. Dmitrievskij, Graf N. P. Ignat'ev, kak cerkovno-političeskij dějatel' na pravoslavnom vostokě. Spb. 1909. 0·75 r. (Dep.: Kanceljarija Imp. Prav. Palest. Obšč., Voznesenskij, 34).

V. Dobronravov, Istoričeskij očerk cerkovnyh škol Vladimirskoj eparhii. 1909 Vladimir (153) (rec. Z.-Rus. N. Šk. Kiev 1909, X 183-6).

Nik. Durnovo, Vserossijskaja propověd' massonstva. M. 1909, (p. 35) 0·20 r. (Typ. „Russkaja Pečatnja").

V. A. Fetler (pastor), Svoboda sověsti i věroterpimost' Sobranie Vysočajših ukazov, ministerskih raz'jasnenij i dr. statej po voprosam o věroterp. v Rossii. Spb. 1909, (p. 125). 0·35 (Typ. Leontev).

A. Galkin, O pričinah proishoždenija raskola v Russkoj cerkvi. Har'kov 1909, (36 p.) 0·20 r. (typ. A. Žmudskij).

V. Ger'e, Blažennyj Avgustin. Zodčie i podvižniki „Bož'jago carstva". Č. I. M. 1909. (XV + 672) 3·50 (Typ. S. P. Jakovlev).

B. I. Gladkov, Put' k poznaniju Boga. Kto byl Hristos? Ispolnimy li zapovědi Hrista? Spb. 1910 (p. 196) 0·50 r. (Typ. „Pol'za").

S. Glagolev, Grečeskaja religija, č. I. Věrovanija. Serg. Pos., 1909, (266 p.), 1·30, (rec. E. Kagarov in Hr. Čt. 1910, I 412—417 in Str. 1910 I p. 969—970).

A. Glagolev, Kommentarij na knigu Pěsn' Pěsnej Solomona. Spb. 1909, (39 p.) (rec. Trudy 1909, IX 160—163).

L. M. Gordin, Čto takoe talmud? Vil'na 1909, (192 p.) 1 r. (typ. „Arteli peč. děla").

Dim. Govorov, Zadači missionerstva vyzyvaemyja potrebnostjami našego vremeni. (E Rukov. dlja sel'skih pastyrej). Kiev 1909. (23 p.) (Typ. N. T. Korčak-Novickij).

I. I. Gumeckij, Velikij syn Galiča. Sv. Petr, mitropolit Kievskij i vseja Rusi, Moskovskij Čudotvorec. Spb. 1909 (83) 0·50 r. (Zvengorodskaja ul. d. 24) (rec. in C. Věd. 1910 N. 35, p. 1501).

Vl. Il'in, Materializm i empiriokriticizm. M. 1909 (438), 2·60 r., (izd. „Zvena").

G. A. Il'inskij, Makedonskij Glagoličeskij Listok. Otryvok Glagol. teksta Efrema Sirina XI. věka. Pamjatniki Staroslavjanskago jazyka. T. I. 6. Spb. 1909 (31 p. + 2 tab.) Izd. Akademii Nauk.

V Ivanov i D. Mazaev, Vsemirnyj kongress baptistov v Londoně v 1905 godu. Č. 1-ja. Rostov-na-Donu 1909, (p. 130). (Typogr. F Pavlov).

Vl. Ivanovskij, Vvedenie v filosofiju. Č. I. Filosofija teoretičeskago znanija. Kaz. 1909, (p. 111) 0·80 r. (rec. E. Radlov v Ž. M. N. Pr. Spb. 1909 X 453—9).

Izvlečenie iz ustava Moskovskago verḫovago Bol'šogo Uspenskago sobora. M. 1910, (p. 3—51) 0·40 r. (e Russkij Stjag 1909) (rec. in C. Věst. 1910 N⁰ 5, 147—8).

Jasinskij, Istorija krestovyḫ poḫodov. Jur'ev 1909 (246 p.) (Izd. Bertel'sona).

P. Jungerov, Kniga proroka Isaii v russkom perevodě s grečeskago teksta LXX, s vvedeniem i priměčanijami. Kazan' 1909, (122 p.) 1 r.

V. Ḫaruzina, Etnografija. Vyp. 1. I. Vvedenie II. Věrovanie malokul'turnyḫ narodov, 1909 (p. 589) (Izd. Mosk. Arḫeol. Inst.).

M. A. Kal'nev, Istorija sektantskiḫ molitvennyḫ pěsnopěnij i razbor iḫ soderžanija. Odessa 1910 (sic) (p. 47) (Typ. Fesenko).

M. Kal'nev, Sudebnoe dělo Gurinoj i drugiḫ skopcov gor. Nikolaeva (e Mission. Obozr. 1909, N 9—10). Spb. 1909, (67 p.), (Typ. „Kolokol").

P. V. Kamenskij, Věroispovědnye i cerkovnye voprosy v Gosudarstvennoj Dumě tret'jago sozyva i otnošenie k nim „Sojuza 17-go oktjabrja". M. 1909, (106 p.), (Typ. E. Kudinov).

P. V. Kamenskij, Vračevanie bědnosti. Opyt istoričeskago izslědovanija. Č. I. M. 1909 (116), 0·50 r., (rec. A. Sagarda in C. Věst. 1910, N. 3, c. 88—9).

A. Klitin prot., Ličnost' Božestva i disteleologija mira. Odessa 1909. 8⁰ (42 p.) Typ. Russkoj Rěči.

Al. Kotovič, Duḫovnaja cenzura v Rossii (1799—1855). Spb. 1909, (XVI + 608 + XIII) 2·75 r., (rec. in Cerk. Věst. 1909 N⁰ 33 1028—1030; Ponomarev in Ž. M. N. Pr. 1909 IX 150—165; Kizevetter in R. M. 1909 X 23—42).

Koval'nickij A., Neobḫodima li religija dlja čelověka. Varšava 1909 (56 p.) 0·30 r.

Koval'nickij prot., Pastyrskaja medicina. Svjaščennik v vidu bolězni i gorja. Č. I. Varšava 1909 (56 p.) 0·30 r. (rec. in C. Věst. 1910 N. 14, c. 439—440).

M. Krasnožen, Professor Aleksěj Stepanovič Pavlov. Ego biografija i učeno-literaturnaja dějatel'nost'. Jur'ev 1909, (36 p.). (Typ. K. Mittisen).

V. Krylov, Materialy dlja istorii Kamčatskiḫ cerkvej. Kazan' 1909 (25 + 84 p.) (Izd. Duḫ. Akad.).

A. Kuljašev, Lekcii po obličeniju raskola, čitannyja na missionerskiḫ kursaḫ v gorodě Permi. Perm' 1909, (p. 177 + VII) 1 r. Typ. Gub. Pravl. (rec. in C. Věst. 1910 N. 3, c. 89—90).

M. A. Kupletskij, Zamětki po teorii religioznago vospitanija.[2] Spb. 1909. (120 p.) 0·50 r. (Typ. Sinod.).

Evg. Landyšev, Čto i kak možet i dolžen sdělat' svjaščennik dlja blagosostojanija svoego priḫoda. Čast' 1. Ekaterinburg 1909, (208 p.). 1·25 r. (Typ. A. M. Žukov) (rec. in C. Věst. 1910 N. 36, c. 1132).

P. Lapin, Sobor kak vysšij organ cerkovnoj vlasti. Kazan' 1909, (p. 577) 2·50 r. (rec. in Cerk. Věst. 1909 N⁰ 24, 737—9).
P. D. Lapin, Sobornoe upravlenie cerkvi. Kaz. 1909, (p. 15). (Izd. Duh. Akad.).
Amfian Lebedev, Věroispovědnoe položenie armjan v Rossii do vremeni Ekateriny II vključitel'no. M. 1909, (29 p.) Izd. I. O. Istorii i Drevnostej Rossijskih (rec in Cerk. Věst. 1910, N. 6, 179).
P. Lebedev, Nauka o bogosluženii pravoslavnoj cerkvi. Č. 1. i 2. M. 1909, (XII + 158; XI + 154). (Typ. „Sinodal'naja").
P. Levitov, Na sovremennyja temy. Ekaterinoslav 1909 (104 p.) 0·5 r. (rec. C. Věst. 1909 N. 30, c. 938).
M. Ljubskij, Krestnyj hod iz gor. Tveri v gor. Kašin. Tver' 1909, (p. 44). (Typ. N. Rodionov).
N. K. Makkavejskij, Lev Tolstoj v roli religioznago nastavnika dětej. Kiev 1909.
P I. Malickij, Istorija hristianskoj cerkvi. Vyp. I. Pervye 3 hristianskih věka. Tula 1909 (III + 191 + 3) 1 r. (Typ. E. I. Družininoj).
N. Malinovskij, Prav. dogm. bog. III t. O Bogě Iskupitelě i Osvjatitelě. O blagodati Božiej. O cerkvi Hristovoj. Sergiev Posad 1909. (768+VI), 3 r.
P. Mansurov, Konstantinopol'skaja Cerkov'. Očerk osnovnyh načal stroja eja v XIX věkě. Č. I. Central'noe upravlenie. M. 1909. (8⁰ 137 p.), 1 r. (Izd. relig.-filos. bibl.)
Mitropolit Platon i osnovannaja im Vithanskaja obitel'. S. Pos. 1909, (p. 40), 0·05 r. (Typ. Serg. Lavra).
T. P. Mjatlev, Jazyčestvo i hristianstvo. Čtenie s volšebnym fonarem. Spb. 1909. (74 p.), Izd. Učil. Sov. pri Sv. Sinodě).
D. R. Mott, I. Nravstvennaja i duhovnaja atrofija. II. Religija preimuščestvenno dělo voli. Lekcii. Spb. 1909 (p. 33) 0·07 r. (Izd. Spb. Hrist. Stud. Kružka).
V N. Myšcyn, Ustrojstvo hristianskoj cerkvi v pervye dva věka. S. Pos. 1909 (XV+475) 3 r. (rec. A. Spasskij in Bog. V. 1909, IX 82—99).
arh. Nikanor (Kamenskij), Sobranie sočinenij. Kaz. 1909 (p. 1057) 5 r. (Izd. duhovn. akadem.).
N. Nikol'skij, Legenda Mantuanskago episkopa Gumpol'da o sv. Vjačeslavě Češskom v slavjanorusskom izloženii = Pamjatniki drevnej pis'mennosti i iskusstva CLXXIV. Spb. 1909 (LI+99) (Izd. Obšč. ljubit. drevn. pis'men).
N. V. Nikol'skij, Konspekt po istorii hristianskago prosvěščenija čuvaš. Kaz. 1909 (Typ. „Central'naja") (p. 36).
P. V. Nikol'skij, Monašestvo na Donu. Voronež 1909 (pag. 326) (rec. in Strannik 1910 I p. 968—9).
Pravoslavnyja russkija obiteli. Polnoe illjustrirovannoe opisanie vsěh pravoslavnyh russkih monastyrej v Rossijskoj Imperii i na Athoně. (Bezpl. pril. k žurn. „Russkij Palomnik"), Spb. 1909 (353—512 p.) (Typ. P. P. Sojkin).

Opisanie dokumentov i děl hranjaščihsja v arhivě Svjatějšago Pravitel'stvujuščago Sinoda Tom. XXXI (1751 g.). Spb. 1909 (III+806) (rec. Titov in Trudy, 1910 II 149—152; C. Věd. 1909 N. 38 p. 1787—9).

M. I. Orlov, Liturgija sv. Vasilija Velikago: Vvodnyja svěděnija. I. Grečeskij i slavjanskij teksty. II. Zaamvonnyja molitvy. III. Osobennosti liturgii sv. Ioanna Zlatousta. Spb. 1909. (Hr. Čt. 1909 VIII —IX, 163—190).

S. Osipov, Stat'i ob imenuemom staroobrjadčestvě i po povodu imenuemago staroobrjadčestva. M. 1909 (110 p.) 0·50 r. (Typ. I. Efimov).

A. Papadopulo-Keramevs. Varia Graeca Sacra. Sbornik grečeskih neizdannyh bogoslovskih tekstov IV—XV věkov. S predisl. i ukazatelem (Zapiski Istoriko-Filol. Fakul'teta Imp. S. Pb. Univ. Č. XCV) Spb. 1909 (XLII + 320), (typ. Kiršbaum).

Vl. Parhomenko, Kratkij istoričeskij očerk Gustynskago svjato-troickago monastyrja. Poltava 1909.

Pěsn' pěsnej Solomona. Perevod s drevneevrejskago i priměčanija A. Эfrosa. Predislovie V. Rozanova. Spb. 1909, (p. 272) 2 r. (Knigoizd. „Panteon") rec. Ajhenval'd in Rus. Mysl VIII 187—90).

L. Th. Pičugin, O suščestvě Cerkvi Hristovoj. M. 1909 (p. 39) 0·25 r. (Typ. P. P. Rjabušinskij).

L. Th. Pičugin i I. I. Zykov O prorokah i antihristě. M. 1909 (p. 58) 0·30 r. (Typ. P. P Rjabušinskij).

N. V Pokrovskij, Cerkovno-arheologičeskij muzej S. Peterb. duhovnoj akademii 1879—1909. Spb. 1909 (XXIX + 151 cum XXXV + 63 tabulis) (Typ. „Sinodal'naja") (rec. Petrov in Trudy 1910, I 127—145; P. Georgievskij in C. Věd. 1909 N. 49 p. 2350—2).

N. V Pokrovskij, Pamjatniki cerkovnoj stariny v Kostromě. Spb. 1909 (cum 32 tabulis), (rec. in C. Věd. 1909, N. 30, p. 1405—6; in C. Věst. 1909, N. 31, c. 962—4).

M. S. Popov, Svjatitel' Dmitrij Rostovskij i ego trudy. Spb. 1909 (p. 340), 2 r. (typ. M. P. Florovoj) (rec. in C. Věst. 1909 N. 47, c. 1479—80).

E. Poseljanin, Svjatyja děti russkija i dětskie gody russkih svjatyh. Spb. 1909.[2] (162 + II), 0 80 r. (Typ. Sinod.).

P. Potockij, Zaboty russkih pastyrej cerkvi o razvitii prosvěščenija i propovědničestva sredi bělago duhovenstva v epohu Imperatricy Ekateriny II. Kazan' 1909 (49 p.) (Izd. Duh. Akad.).

Razmyšlenija o vnutrennem sostojanii serdca čelověčeskago. M. 1909 (p. 54), (Typ. E. Konovalov).

M. A. Rejsner (priv. doc. Spb. univers.) Duhovnaja policija v Rossii. Spb. 1909 (p. 107) 0·75 r. (rec. Bronzov in C. Věst. 1909 N. 17, c. 515—6).

Nik. Romančenko, Istoričeskij očerk s.-peterburgskago Sampsonovskago sobora. Spb. 1909. (156 s 22 ris.) (Typ. Gl. Upravl. Udělov.).

V. Rozanov, Russkaja Cerkov' Duḫ. Sud'ba. Ničtožestvo i očarovanie. Glavnyj vopros. Spb. 1909 (p. 39) 0·40 r. (depos.: Spb., Litejnyj pr. 31).

N. S. Rusanov (N. E. Kudrin), Socialisty Zapada i Rossii.[2] Spb. 1909. (VI + 393) 1 r. (Typ. M. M. Stasjulevič.)

Vl. P. Rybinskij, O palomičestvě v Ierusalim v biblejskoe vremja. Kiev 1909 (p. 21) (Typ. P. Barskij).

arḫ. Savva, Ḫronika moej žizni. Avtobiogr. zapiski. Tom 8 (1886—1890 gg.). Serg. Pos. 1909 (842 + XXV), 2·50 r. (Izd. Mosk. duḫ. Akademii).

V I. Savva, Sočinenie protiv episkopov XVIII věka. M. 1909 (p. 35) (Typ. G. Lissner i D. Sobko).

Sbornik o tainstvě braka. Pervyj vserossijskij sobor ḫristian-pomorcev, priemljuščiḫ brak. M. 1909 (p. 47) 0·75 r. (Typ. P. P. Rjabušinskij).

E. Sěcinskij, Muzej Podol'skago Cerkovnago Istoriko-Arḫeologičeskago Obščestva. Kamenec-Podolsk 1909 (105), (rec. I. Evsěev in C. Věst. 1909, N. 25, c. 772—3).

Sḫimonaḫinja Avraamija, podvizavšajasja v Kašinskom Srětenskom ženskom monastyrě Tverskoj eparḫii. Kašin 1909 (p. 15) (Typ. N. A. Ostrovskij).

M. Skaballanovič, Kommentarij na knigu proroka Iezekiilja. Spb. 1909, 3·50 r.

A. S. Smirnov, Buduščnost' ḫristianstva. (Ex Izv. po Kaz. Ep.) Kaz. 1909, (42) (rec. in Strannik 1910 I 172—3; in C. Věst. 1910 N. 4, c. 117).

P S. Smirnov, Spory i rozdělenija v russkom raskolě v pervoj četverti XVIII věka. Spb. 1909, 3 r. (p. 363 + 162).

Pervyj Vserossijskij sobor ḫristian-pomorcev, priemljuščiḫ brak. M. 1909 (79) 5 r. (Typ. Staroobrjad).

L. I. Sofijskij, Vysokopreosvjaščennyj Nikon, aep. Kartalinskij i Kaḫetinskij, Ekzarḫ Gruzii (1861—1908). Spb. 1909, (XVI + 440), 2 r. (rec. A. Bronzov v Cerk. Věd. 1909, p. 1019).

Ath. Sokolov, Metodika Zakona Božija. M. 1909, (396 p.), 1·50 r. (Typ. Kušnerev).

G. G. Sokolov, Bogoslovie. Opyt vyjasnenija žizn. značenija istin ḫrist. prav. věry. M. 1909 (197) 0.75 r.

Evg. Temnikovskij, Položenie Imperatora Vserossijskago v russkoj pravoslavnoj cerkvi v svjazi s obščim učeniem o cerkovnoj vlasti. Jarosl. 1909.

Evg. Temnikovskij, Odin iz istočnikov duḫovnago reglamenta. Ḫar'kov 1909.

Nik. Temnoměrov, Učenie o bogosluženii pravoslavnoj cerkvi. Spb. 1909. (p. 132), 0·40 r. (Typ. „Trud“).

B. V. Titlinov, Duḫovnaja škola v Rossii v XIX stolětii. Vyp. 2. j. (Protasovskaja epoḫa i reformy 60-ḫ godov) Vil'na 1909 (421 + 1), 2·50 r. (Typ. „Arteli Peč. Děla“) (rec. Th. Titov in Trudy 1910 II 559—561).

An. Titov, Koljasnikovskij sinodik. Sergiev Pos. 1909. (rec. Ist. V VIII 679—81).
A. Titov, Propovědi Dimitrija, mitropolita Rostovskago M. 1909, (IX + 135). (Typ. A. Snegirevoj).
Th. I. Titov, Kritiko-bibliografičeskij obzor novějših trudov po istorii russkoj cerkvi. Vyp. VII, Kiev 1909. 0·20 r. (Typ. P. Barskij).
Th. I. Titov, Sv. Dimitrij, mitrop. Rostovskij, byvšij učenik kievskoj duhovnoj akademii, (1651—1709). Kiev 1909, (65 p.) 0·40 r. (Typ. P. Barskij).
I. Th. Tokmakov, Kratkij istoričeskij očerk Moskovskago Ivanovskago děvič'jago monastyrja. M. 1909 (28) (Typ. I. Efimov).
L. Tolstoj, Mysli o Bogě.[3] M. 1909, (p. 47) (Typ. Kušnerev).
V. Tripol'skij, Poltavskoe Eparhial'noe Drevnehranilišče. Ukazatel', s opisaniem vydajuščihsja pis'mennyh pamjatnikov cerkovnoj stariny Poltavskoj Eparhii. Poltava 1909, (141 p., 21 imag.) (rec. V. N. Perete in Kiev. Un. Izv. 1910 Fevr. p. 28—36).
P. S. Troickij, Cerkov' i gosudarstvo v Rossii, M. 1909, (p. 198), 1·25 r. (rec. in C. Věst. 1909 N. 30, c. 936—7).
Trudy II Vserossijskago starobrjadčeskago sězda hristian, priemljuščih svjaščenstvo, perehodjaščee ot gospodstvujuščej v Rossii cerkvi. M. 1909 (209) (Typ. A. Snegirevoj).
Trudy III oblastnogo istoriko-arheologičeskago sězda, byvšago v g. Vladimirě 20—26 ijunja 1906 g. Izd. Vlad. Učenoj Arhivnoj Komissii. Vladimir 1909, 3 r. (inter alia: de loco baptismi s. Vladimiri).
mitr. Vladimir, Naša pastyrskaja zadača v bor'bě s social-demokratičeskoju propagandoju. M. 1909. Typ. „Russkaja Pečatnja“ (63 p.).
mitr. Vladimir, Nevěrie knižnikov i fariseev drevnjago i našego vremeni, ego mnimyja osnovanija i dějstvitel'nyja pričiny. M. 1909, (p. 15), (Typ. „Russkaja pečatnja“).
A. Volnin, Svjatitel' Dimitrij, Mitrop. Rostovskij, kak pastyr' i učitel' pastyrstva. Kiev 1909. (Typ. Korčak-Novickij), (27 p.).
E. N. Voronec, Izobraženie Voskresenija Hristova v hramah. Har'kov 1909. (p. 8), (Typ. „Mirnyj Trud“).
L. M. Zajcev, Otvětstvennost' pri massovyh prestuplenijah. Kiev 1909, (VIII + 52) 0·50 r.
I. A. Zastěnker, Filosofija mirozdanija Moiseja. Riga 1909 (109) (Typ. Merkurij).
Vl. Znosko, Žizn' i čudesa svjatitelja Pavla (Konjuskeviča), mitropolita Tobol'skago i Sibirskago. Kiev 1909 (76) (Typ. Pečersk.).
E. Zubarev, Sovremennye voprosy v polemikě s raskolom staroobrjadčestva. Kostroma 1909 (108).
N. D.Ževahov, Svjatitel' Ioasaf Gorlenko, episkop Bělgorodskij i Obojanskij (1705—1754). Materialy dlja biografii P. I č. III. Žizn' i dějatel'nost' Svjatitelja Ioasafa. Kiev 1909 (p. 245—691), 2·25 r. (Typ. Pečerskoj Lavry).
A. V Žirkevič, Iv. Orlovskij. Biograf. očerk. Vil'na 1909, (p. 205), 1 r. (Typ. „Russkij Počin“),

Žitie prepodobnago Evfrosina Pskovskago. K izdaniju prigotovil N. Serebrjanskij = Pamjatniki drevnej pis'mennosti i iskusstva, CLXXIII. Spb. 1909, (XXIV + 88 + V) (izd. Obšč. Ljubitelej drevn. pis'mennosti).

P. N. Žukovič, Protestacija mitropolita Iova Boreckago i drugih zapadno-russkih ierarhov. Spb. 1909 (19) (e Sbornik po slavjanověděniju; rec. Th. Titov in Trudy 1910, III 544—557).

## BULGARICA.

**Християнска Мисъль. 1908/9.** (Hristijanska Misъl') (Spisanie za bogoslovska nauka, istorija i duhovna literatura). Publicatio menstrua, cura archimandritae Neofiti, rectoris seminarii clericorum Sophiensis. Pr. pro toto an. 6 fr. (administratio et redactio: Sophia, Duhovnata Seminarija).

*N. Glǫbinski*, Religijata i učiteljstvoto (De religione in scholis). p. 20—9, 76—85.

In conventu professorum Sophiae habito statutum est religionem esse e scholis removendam, cum gymnasium sit praeparatio ad vitam neque cives metaphysica indigeant. Religionem, quae repugnantiis plena sit, ecclesiae dare potestatem in scholas. *Gl.* necessitatem religionis ex ipsa substantia animi emanantem vindicat; quare educationem sine religione esse mancam et imperfectam.

*Hr. Popov*, Ignorirali prorok Ieremija obredovnija Moiseev zakon i, izobščo, othvъrlja li vethozavětnija religiozen zakon (Jeremias propheta ignoretne legem Moysis?) p. 30—41. — *P.* solvit difficultatem, quam parat Jer. 7, 21—23; obiectiones rationalistarum et argumenta christianae exegesis desumit ex dissertatione N. Eleonskij, Sovrem. kritika svjašč. veth. pis. i eja slabyja storony (Věra i Cerkov 1901. fasc. 1, p. 10—34).

*B. Conev*, Dě e pisano (Ubi scriptum sit) „Dobrějšovo Evangelie". p. 100—5.

Hoc evangelium ex 13. saec. cum imaginibus evangelistarum et artificiosis initialibus est exaratum in septentrionali Macedonia, quod *C.* ex lingua, orthographia, ornamentis, textu probat, cum D. Cuhlev autographum Adrianopoli ortum esse voluerit.

*Mon. Sofronij*, Muhamedanstvo in hristijanstvo. 105—17.

Muhamedanismum esse summam et perfectissimam religionem refutat sola comparatione doctrinae Mohameti de „deo solitario" et christianae de Trinitate et consectariis in utraque parte.

*M. Nikolov*, Cъrkovno-obščestvenata dějnost' na mitropolita Klimenta Tъrnovski. 265—281.

*N. Ivanov*, Očerki po istorijata na bъlgarskata cъrkovna literatura ot tursko vrěme. 286—301.

*D. Laskov*, Stari hristijanski pametnici v Solun. 336—350.

Fasciculo 6. (Februarii 1909, pg. 329—392) secundus annus huius publicationis absolvitur. Abhinc haec publicatio non amplius editur; quod indicio est miserae condicionis litterarum theologicarum apud Bulgaros!

## SERBICA.

**Istočnik 1908.**

Dr. *S. Popović*, Biografija Negovog Visokopreosveštenstva gosp. AE i mitrop. Evgenija Lepice. 52 ss.

Dr. *Vaso Zrnić*, Iz uvoda u hrišćanku apologetiku ili osnovno bogoslovlje: 68, 100, 117, 135, 164.

Dr. *Čed. Mitrović*, Vladičanstvo i monaški čin 84, 97, 114, 132, 161, 177, 193.

*Vladimir Goberić,* Katihetičke i pedagoške primjedbe na čitanje simvola vjere, molitava i zapovijesti Božijih u osnovnim i srednjim školama 249, 267, 302.
*Dimitrije Ianković,* Biografija Negovoga Visokopreosveštenstva mitropolita banjalučkog i bihaćkog Vasilija Popovića 281.

# PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

## De sacramento poenitentiae.

Thesis XI.

Praeterea praerequiritur necessario aliqua detestatio, respectu gravium peccatorum, dubie remissorum et certo non directe remissorum nisi ignorantia excuset universalis, de peccatis ut offensis Dei saltem implicita et habitualis; quodsi explicita est de nulla alia interna animae dispositione curandum est et illa sola communiter sufficit.

Declar. 1. Ad valorem absolutionis nullum omnino requiri dolorem aut propositum, sed sufficere absentiam com lacentiae actualis in peccatis praeteritis et propositi committendi aliud, utique cum intentione accipiendi sacramentum, Rosella et Silvester docuerunt. Num debeat esse super omnia tractabimus in th. XIV

Ad confessionem venialium nullum requiri dolorem tenuisse dicitur Dilgaldillus.

Attritio sine respectu ad Deum potest esse honesta (cf. prop. 9. damn. ab Alex. VIII). Sed ad valorem absolutionis requirimus attritionem, quae suum obiectum attingat cum aliquo respectu ad Deum, licet non formali atque explicito, quem postulat Bosco vel de Lugo qui propter hoc excludit motivum specialis malitiae furti prout opponitur iustitiae sine alio respectu ad Deum; seu requirimus attritionem de peccato qua tali, quod qua tale, utpote deficiens ab ordine finis ultimi, qui Deus est, non pertinet nisi ad Dei forum. Cf. Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 12. § 1.

Obiectum formaie cognitionis, quae ad attritionem movet, debere saltem ad fructum et liceitatem usus clavium esse lumine supernaturalis propositum, ita ut attritio sufficiens elici non possit ex motivo naturaliter cognoscibili, docent Amort, Gonet. — Viva, Platelius, Gury, Bucceroni, Mazzella, Wilmers, Pesch, Atzberger, Gihr, Scavini, Deharbe etc. censent attrionem sufficere ad valorem et fructum absolutionis, quae procedat ex motivo, quod potest et lumine naturali et lumine supernaturali attingi, dummodo reapse illud attingat lumine supernaturali. Lahousse non postulat diversum obiectum formale quod in actu supernaturali, sed diversum obiectum sub quo: „Idem obiectum formale quod potest habere diversa obiecta formalia sub quibus, seu diversas intelligibilitates. Sic si agitur de intellectu,

idem obiectum formale est cognoscibile diversis modis: quemadmodum in Deo essentia divina secundum se est obiectum formale intellectus divini, intellectus angelici et intellectus hominis beati, diverso tamen modo est intelligibilis et attingitur a triplici intellectu Ita etiam actus naturalis et actus supernaturalis eiusdem intellectus attingere possunt idem obiectum formale secundum modos essentialiter diversos, adeo ut idem obiectum formale fiat intraneum facultati modis essentialiter diversis. quorum unus quidem commensuratur capacitati naturali facultatis, alter vero hanc capacitatem superat, estque supernaturalis proindeque attingitur a facultate auxilio gratiae". Sed de attingibilitate est quaestio potius de nomine quam de re. Ea quidem certe aliquid obiectivum est, sed qui dicit propter hanc rationem esse diversa obiecta formalia, utitur modo loquendi omnino insueto. Illa enim attingibilitas non est obiectum formale, sed id quod cognoscitur: est enim veritas obiecti, quod propter veritatem suam est attingibile. Nos cum Vasquez, Ballerini, Müllendorff, Gutberlet, Lingens dicimus sufficere ad valorem absolutionis attritionem elicitam ex motivo quocumque lumine cognito, concedentes cum Noldin reipsa poenitentem vix umquam carere contritione etiam ratione motivi vere supernaturali.

2. Dicimus contritionem ad valorem requisitam debere universalem esse respectu peccatorum gravium, quae hic et nunc reapse accusari oportet vel, si ratio excusans (excepta oblivione) deesset, oporteret, et etiam respectu peccatorum dubie remissorum; scilicet Suarez, De Lugo, La Croix, Gonet, Mazzotta, Alphonsus, Lehmkuhl, alii supponentes posse ex motivis virtutum particularium elici attritionem de peccatis ut offensis Dei ita ut non accedat aliquod motivum universale, docent eum, qui duo vel plura habeat mortalia specie diversa, obliviscatur vero unius eliciatque dolorem de altero vel reliquis ex motivo speciali ipsius vel ipsorum, valide absolvi sed sine effectu gratiae. Suppositionem illam negant Fagundez, Palmieri, Straub. Alii, ut Virceburgenses, Layman, Antoine, Sporer ea concessa dicunt ad valorem absolutionis requiri dolorem universalem de omnibus omnino peccatis mortalibus. Quodsi poenitens, qui tantum habet singulares attritiones peccatorum prout ea singillatim confitetur, et de uno ex confessis oblitus est elicere dolorem vel invincibiliter ignorat esse peccatum mortale non affert talem universalem dolorem, secundum Suarez et Lugo a fortiori valide absolvitur.

Absolutionem posse habere valorem etsi dolor non se extendat ad omnia venialia, quae quis confitetur, Castropalaus et alii negaverunt, asserentes per hoc peccari mortaliter. Alii, ut Mazzotta nullum in hoc vident peccatum, Suarez, Lugo veniale tantum.

Requiri recogitationem explicitam singulorum peccatorum in particulari statuerunt nonnulli, quos thes. VI, decl. 3. recensuimus.

Sensibili (aliquo modo) dolore opus esse putant omnes qui tenent contritionem esse partem signi gratiae efficacis.

3. Praerequiri necessario contritionem ad valorem requisitam, i. e. debere eam praecedere absolutionem negat Amort; sed concedit hoc licite fieri non posse, ut demum post absolutionem eliciatur; at

simultaneitatem qua contritio, ut pars vere essentialis sacramenti cum prioribus coniungatur non requirit ne moralem quidem, ita ut attritio post viginti annos elicita possit cum confessione atque absolutione antecedente constituere unum totum sacramentale, nisi eo tempore intervenirent peccata mortalia, quae retractarent ac destruerent ordinem confessionis ad compartem sacramenti, videlicet ad contritionem veram. — Ceterum num sufficiat ad valorem ita statim post absolutionem elicita contritio ut possit dici cum ea moraliter coniuncta contendere nolumus. Ideoque nec excludimus sententiam Granadi, Perez, Vivae, Tamburini, Gobat, non requiri ut dolor sit ante absolutionem, sed sufficere ut non sit post absolutionem, de qua cf. Viva, Cursus theol. mor. de poen. qu. 3, a. n V. Debere dolorem elici ex intentione et relatione ad confessionem, ut valida sit absolutio, ponunt Bonacina, Dicastillo, Busembaum, Henno, Concina, alii contra Billuart, De Lugo etc. Dolorem debere praecedere confessionem statuunt Coninck et Castro-Palao.

4. Semper requiri propositum explicitum et formale tenent Cano, Caietanus, Bellarminus contra Vega, Medina, Navarrum, recentiores. Cano insuper exigit propositum explicitum satisfaciendi. Sententiam nostram de proposito non necessario absolute universali post alios docuit Dicastillo contra De Lugo, qui tamen probabibilitatem huius sententiae non videtur negare (disp. 14, n. 18).

Concina et quidam alii postulant, ut poenitens etiam eliciat actus fidei et spei.

Confessionem factam ex fine per se venialiter malo, ut si quis propter temporale commodum confitetur, carere valore et fructu statuebant Silvester, Angelus, Armilla alii.

P I. Praeterea praerequiritur necessario aliqua detestatio de peccatis ut offensis Dei.

Dub. 1. Contritio ‚ad integritatem sacramenti‘ requiri dicitur a concilio Tridentino Sess. 14 cp. 3. Pars autem integralis non est omnino necessaria. Et sane ex decretis Tridentinis aeque pars sacramenti, aeque materia dicitur contritio atque confessio; quae tamen abesse potest, quin desit exercitium potestatis iudicialis.

2. Idem patet ex usu veteris Ecclesiae, quem testatur Cyprianus Ep. 52 ad Antonian. loquens de Trophimo in Ecclesiam recepto (cf. Thes. 2, p. IV, *A)*).

3. Non requiritur dolor de peccatis ad valorem absolutionis, si nec ad remissionem eorum necessarius est. Atqui a) sicut homo potest alteri remittere offensam sine eius poenitentia, ita sane etiam Deus b) Retractatio peccati nec est meritum ad gratiam nec condicio necessaria ad gratiam, ut patet ex infantibus, qui iustificantur sine poenitentia. c) Gratia sanctificans et peccatum habituale. cum non se habeant contradictorie, possunt omnino simul stare; ergo multo magis potest illa infundi sine retractatione peccati. d) Deus actu dilexit peccatores sine praevia eorum poenitentia: „Ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ ἀγάπη, οὐχ ὅτι ἡμεῖς ἠγαπήσαμεν τὸν θεόν, ἀλλ’ ὅτι αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς.“ 1. Io. 4, 10. („quoniam ipse prior dilexit nos“). e) „Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται.“ Marc. 16, 16. Ergo poenitentia non requiritur.

4. Valida est absolutio eius qui ex communi motivo de venialibus et mortalibus dolorem elicitum ante absolutionem per peccatum veniale retractavit; ergo valet absolutio sine dolore.

5. Saltem de peccatis venialibus non requiritur contritio. Nam maiorem sane virtutem habet sacramentum quam sacramentale. Atqui venialia remittuntur per aspersionem aquae benedictae et huiusmodi, etsi nulla praecedat contritio. Ceterum remitti ea posse sine ulla poenitentia patet ex eo quod remittuntur in purgatorio. Cf. Gerson l. 1. de vita spir. alphab. 6 litt. C; Scotus, In l. 4 d. 21 q. 1.

6. Non requiritur dolor de peccatis ut offensis Dei. Nam solus ille dolor requiritur, qui necessarius est ut confessio fiat per modum verae accusationis; sed ad hoc sufficit etiam dolor ex motivo humano. Nec sane requiritur ad baptisma aqua supernaturalis vel benedicta, sed sufficit naturalis.

7. Si homo adultus exsistentiam Dei invincibiliter ignoret, non habet copiam detestandi peccata ut peccata Dei; sed certe salutarem poenitentiam agere potest.

8. Vera fuit Ninivitarum poenitentia (cf. Conc. Trid. Sess. 14 cp. 4; thes. 13, p. III.) Atqui fuit haec admodum naturalis ratione motivi; motivum enim fuerunt vicinae mortis tremor et proxima urbis eversio.

9. Damnata est ab Innocentio XI. propositio (57.): „Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam". Atqui cum thesis loquatur illimitate non possumus nos eam limitare citra rationem validissimam; qualis certe non exstat.

10. Nisi homo detestetur totam malitiam in peccato reperibilem, non decet Deum, ut illi infundat gratiam sanctificantem; ergo si attritio non attingit peccatum sub ratione culpae theologicae, in quantum privat fine supernaturali ultimo, malitia haec nec a Deo destruitur. (Gonet).

11. Ultima dispositio ad effectum et ipse effectus sunt eiusdem ordinis interni ad finem habentque summam proportionem in ordine naturae. Ergo etiam in ordine gratiae idem praesumptive sic ordinatum est a Deo, ut ordinario effectui supernaturali praeordinet dispositionem supernaturalem, ubi commode potest haberi. (Gonet).

12. Secundum conc. Tridentinum contritio generatim, sub qua continetur attritio ut species sub genere, ad iustificationem disponit tamquam pars sacramenti. Porro pars sacramenti non ratione alterius tantum, sed ratione sui debet esse supernaturalis. Ergo ut ad iustificationem disponat, debet attritio peccati turpitudinem per lumen fidei attingere. (Collet).

13. Concilium Tridentinum Sess. 6, cn. 3 (cf. conc. Arausicanum II. cn. 6) definit non tantum actus fidei, spei et caritatis, sed eum etiam poenitentiae actum, qui ad iustificationem disponit esse a „praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio". Ergo, cum attritionem, quatenus ad sacramenti gratiam disponit, donum Dei esse docet, de eadem in se, non autem solum ratione spei loquitur. (Collet).

14. Gratia non dignificat actum in se naturalem. Sicuti enim, si filius regis faciat opus commune rustico, non ideo meretur praemium regale, ita si homo, etiam habens gratiam, faciat opus naturale. (La Croix).

15. Apostolus (1 Thess. 2, 13) ait: καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ ἐδέξασθε, οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καθώς ἐστιν λόγον θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. Ubi apostolus iudicat fidem Thessalonic. fuisse divinam et supernaturalem ex eius formali obiecto. Atqui si fides etiam materialis posset idem formale obiectum habere, non bene apostolus argumentatus esset. Ergo actus salutares suam supernaturalitatem desumunt non modo a principio, quo eliciuntur, sed etiam a formali obiecto, circa quod versantur. (Mazzella).

16. Actus specificantur ab obiecto formali. Ergo idem formale obiectum nequit actum naturalem et supernaturalem terminare (Cf. Suarez, De gratia l. 2, c. 11, n. 23).

17. Si formale illud motivum naturale est, profecto ad eliciendum actum illi obiecto et motivo proportionatum, quantum ipsum postulat, non erit necessarius habitus supernaturalis nec gratia, falsumque est hos actus supernaturales versari circa obiecta supernaturalia vel excedentia vires

naturales hominis; quod tamen est expresse contra communem sensum. Dicastillo, Pesch. Cf. 2 Cor 3, 5.

18. Actus debet proportionatus esse obiecto. Ergo si obiectum formale sit naturale, non potest actus esse supernaturalis.

19. Non requiritur ad valorem absolutionis, ut attritio eam praecedat. Nam primis undecim saeculis nunquam obligabantur fideles ad repetendam confessionem, qui confitebantur tantum in articulo mortis, aut in repentina incursione hostium, aut perdurante terrae motu aut in casu denuntiationis; licet verisimile sit, in tali casu attritionem saepe fuisse defectuosam; nec ullus patrum fideles in tali casu aut pro tali casu monuit, repetendam esse confessionem. Ergo non agnoscebatur ea obligatio.

20. Contritio perfecta ordinata ad confessionem et absolutionem futuram est vere pars sacramenti et non iustificat, nisi in quantum est pars sacramenti habiti in voto (ex opere operato). (Le Drou, Schäzler). Ergo etiam attritio vera ordinata ad confessionem et absolutionem praecedentem potest esse pars sacramenti et sic iustificare in quantum est pars sacramenti. Atqui si potest ita iustificare, praesumendum est Christum ita voluisse, ne tot animae existimantes se vere absolutas perirent.

21. Verentur non solum scrupulosi, sed etiam mediocriter liberi atque cordati, sese in formando examine conscientiae aut elicienda sufficienti attritione fuisse neglegentes. Atqui si obligarentur propter hoc ad iterandam confessionem sine causa (cum satisfactione iam persoluta non possit congruenter imponi nova delictis proportionata poenitentia vindicativa aut medicinalis) et cum impedimento maioris boni (cum confessarii a reiterantibus detinerentur) molestarentur poenitentes. Quod voluisse Christum praesumi non potest.

22. Dolor elici debet a poenitente ex intentione et relatione ad confessionem. Nam actiones sacramentales debent fieri ex intentione sacramenti. Nec sufficit, si postea ad eum finem referatur. Alioquin enim idem posset aliquis dicere de confessione, quae etsi fuisset facta sine ordine ad absolutionem sacramentalem, posset postea referri ad eum finem et fieri materia sacramenti.

23. In adulto suscipiente sacramenta requiritur intentio suscipiendi. Ergo poenitens dum habet actum contritionis, debet habere intentionem, saltem quatenus actu recipit aliquid sacramenti, scilicet unam partem materiae.

24. Accusatio vera debet esse profecta ex odio delicti. Ergo, si confessio non oritur ex dolore, vel est mera narratio historica peccatorum vel accusatio simulata; at in neutro casu absolutio valere potest.

25. Confessio sine dolore vel praevio vel comitante non magis est reconciliativa ut pars signi gratiae efficacis quam absolutio sine eodem dolore impensa.

Tenendum esse quod posuimus ita probatur: Requiritur certe aliqua detestatio ad valorem absolutionis.

Nam contra usum totius Ecclesiae est, ut „confessio facta absque ullo prorsus dolore, praesertim cognito tunc ipso defectu doloris a poenitente vel etiam eo advertente“, non sit repetenda. „Si autem valida fuisset illa confessio, non oporteret repetere illa peccata, sed accusare se ad summum de sacrilegio commisso in illa confessione.

Dices, sacramentum illud fuisse invalidum ex defectu ipsius confessionis, quia nimirum homo non se accusavit de illo ipso peccato, quod in confessione committebat, volendo recipere absolutionem absque dolore, ac per consequens confessio non fuit integra omnium peccatorum. — Sed contra, quia in primis ad valorem sacramenti in tantum requiritur confessio integra, quatenus, si non sit integra, affert novum peccatum, quod est obex dolori requisito. Unde, si confessio non sit

integra, et hoc sit absque nova culpa poenitentis, ille integritatis defectus non vitiabit valorem sacramenti. Deinde, posset contingere, quod, licet homo peccaret de novo illa confessione absque dolore, non tamen adverteret ad obligationem confitendi illud peccatum in eadem confessione, atque adeo confessio esset formaliter integra, scilicet omnium peccatorum, quorum recordatur in ordine ad confessionem. Ergo, si tunc etiam sacramentum esset nullum, prout revera esset, defectus non proveniret ex defectu integritatis confessionis, sed ex defectu doloris, quae erat alia pars essentialiter requisita ad valorem sacramenti". De Lugo, De poen. disp. 14, n. 5.

Dices: ratio, cur communiter dolor requiratur, est praecise, quia requiritur accusatio, accusatio autem non est nuda narratio peccatorum, sed debet esse dolorosa et ex odio delicti profecta. Atqui supra vidimus non requiri absolute ad valorem absolutionis confessionem. Ergo neque contritio absolute requiritur. Sed dato illam esse rationem, cur dolor requiratur, quaero quomodo in tali casu exceptionis vera essent verba absolutionis? Ad summum ius condicionatum per ea traderetur, idque condicionatum sub condicione de futuro cum capax effectus absolutionis non sit qui poenitentiam non habet, ut docet conc. Trid. Sess. 14 cp. 4 et incapaci absolutio concedi non queat. Atqui nec solemus absolvere moribundum sub condicione: ‚si eris dispositus' sed ‚si es dispositus', nec esset salutare tale institutum, quo ius ad gratiam sub condicione de futuro traderetur.

Requiritur detestatio de peccatis ut offensis Dei.

Nam, si odio non habetur peccatum in quantum est offensivum Dei amati vel in quantum est privativum honestatis, cuius divina lex mensura est et regula, sive in quantum est inductivum poenae a Deo infligendae, sed si odio est sine respectu ad Deum, talis dolor „est insufficiens ad propriam accusationem de peccato Deo factam". „Non enim omnis narratio peccati proprii cum aliquo dolore habet rationem accusationis. „Sed potius videbitur illa esse narratio quaedam periculi proprii aut incommodi" Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 10. 12.

Idem confirmatur hac ratione: Vidimus ad valorem absolutionis secus atque ad valorem baptismi requiri praeter intentionem aliquam dispositionem ad obtinendum effectum. Iam vero, si dolor non esset de peccatis ut offensis Dei, non insufficiens, sed nulla revera dispositio haberetur. Nam quod hominem ad gratiam disponit, aliquem ipsius peccati dolorem, aliquam praelationem Dei prae creatura, aliquam satisfactionem ei praestandam, aliquem Dei cultum importare debet. Atqui haec non possunt haberi, si peccatum non relinquitur ex motivo Deum respiciente. Cf. De Lugo, De poen. disp. 5 n. 141.

Non autem requiritur ut motivum sit lumine supernaturali propositum. Nam a) Concilium Tridentinum Sess. 14, cp. 4 dicit attritionem ‚ex turpitudinis peccati consideratione' conceptam esse donum Dei atque impulsum Spiritus sancti. „Und doch ist die diesem Willensact entsprechende Erkenntnis einfachhin „die Erwägung der Hässlichkeit der Sünde", was mindestens ein Erkenntnisact, eine

Einsicht — im Gegensatze zum Glaubensact — sein **kann**, und in der Regel zweifellos nichts weiter ist. Wo wäre auch eine Offenbarung Gottes über die Hässlichkeit aller einzelnen Sünden? Vielmehr erkenne ich diese Hässlichkeit oder Sündhaftigkeit eben aus der vernünftigen Erwägung der betreffenden Handlung, und sogleich ist der entsprechende Willensact des Abscheues und des Schmerzes über das Geschehene da. Lingens, in Zeitschrift f. kath. Theol., Innsbruck 1894, p. 322.

b) Ante fidem actus salutares tum intellectus tum voluntatis in obiecta etiam naturalia produci possunt. Nam ante ipsam credibilitatis perspicientiam in hominibus infidelibus exsistere procul dubio potest v. g. agnitio propriae miseriae moralis et ignorantiae in rebus religionis theoreticis et practicis, desiderium institutionis et sanationis, preces in hunc finem ad Deum missae, magistri idonei inquisitio, attenta doctrinae evangelii auditio. Atqui actus hos vel similes ex ipsa indole sua vel directe ad fidem inducendam praeparare ideoque ut initium quoddam salutare fidei supernaturales esse per se liquet et ex damnatione propos. 5. inter 31 ab Alex. VIII. prohibitas et prop. 27 et 29 Quesnelli satis clare intellegitur. Cf. Noldin, Theol. mor., De principiis n. 80. 2; Frz Schmid, in Zeitsch. f. kath. Theol. Innsbr. 1888 p. 421 ss. Porro adhibita etiam omni acie ingenii omnique reflexione in obiecto sive materiali sive saltem formali actuum descriptorum nihil plane detegas, quod vires ipsae naturales assequi non possint, immo quod tenuissimam rationem aliquam obiecti supernaturalis habeat. Quamvis enim vera religio in ordine praesenti re ipsa non sit nisi supernaturalis, homines tamen plerique infideles id ne leviter quidem saepius suspicati spectato quidem obiecto eosdem actus salutares edunt, quos in statu naturae purae ponerent. Atqui differentiam obiecti actus supernaturalis ab obiecto actus naturalis detegi non posse est idem ac non esse. Neque enim admittere licet obiectum actus seu illud ipsum, quod cognoscimus et volumus, vel per et propter quod cognitum et volitum in aliud cognoscendo vel volendo tendimus, observationem nostram ita penitus effugere, ut etiam summo studio quaerentibus ratio obiecti propria non appareat.

Iam vero nihil cogit opinari fide vel iustitia suscepta talem potestatem prorsus interclusam esse, immo infusis iam habitibus respondentibus eandem potestatem operandi permanentem et connaturalem fieri convenienter affirmatur. Quare nulla est ratio, cur ad contritionem supernaturalem requiratur obiectum lumine supernaturali propositum.

Alias rationes v. ap. Müllendorff, in Ztschrft f. kath. Theol. 1893 p. 562, ap. Lingens, Ztschft. f. kath. Theol. 1894 p. 308 ss., Noldin, Theol. mor., De princ. n. 80.

Eadem detestatio debet absolutionem praecedere. Id apparet ex eadem ratione, ex qua requiri aliquam contritionem probavimus. Nam ad absolutam absolutionem necessaria est accusatio, ad accusationem dolor aliquis; et requiritur iudicium latum de dispositione; ad condicionatam vero absolutionem non potest adhiberi condicio de futuro, sed de praesenti. Cf. Gonet, Clip. theol. t. V disp. 7. n. 80.

N o n a u t e m r e q u i r i t u r, u t p r a e c e d a t e t i a m c o n f e s s i o n e m.

Nam hoc ne ad efficaciam quidem absolutionis requiritur. Id constat ex usu fidelium. „Hi enim, si forte peccata absque dolore confessi sunt et postea confessarii exhortatione permoti excitantur ad dolorem habendum de peccatis, putant se sufficienter satisfacere, si tunc doleant ante absolutionem. Immo ad hunc finem confessarii solent poenitentes tunc potissimum ad dolorem movere, ut se disponant ad absolutionem validam suscipiendam". De L u g o, De poen. disp. 14, n. 13. Cf. Rituale rom. tit. 3, n. 17.

N e c r e q u i r i t u r u t e l i c i a t u r e x r e l a t i o n e a d c o n f e s s i o n e m.

Nam neque hoc ad fructuosum clavium usum opus est ut attritio (super omnia) referatur ad confessionem. „Potest autem hoc probari 1⁰ ex Tridentino, Sess. 14 cp. 4., ubi de dolore in universum dicitur praeparare hominem post baptismum lapsum ad recuperandam divinam gratiam et remissionem peccati obtinendam, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua, coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Item additur attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, esse donum Dei, quo poenitens, licet non extra sacramentum, in sacramento tamen poenitentiae ad Dei gratiam impetrandam disponitur. Quae omnia verificantur in casu nostro. Nam si attritio habeatur ex metu gehennae vel ex alio sufficienti motivo et postea homo ad impetrandam Dei gratiam velit confiteri et absolvatur. concurrunt omnia, quae a concilio petuntur, sc. dolor de peccatis, votum praestandi omnia, quae requiruntur ad sacramentum poenitentiae (hoc enim votum semper continetur implicite in qualibet attritione, quatenus in ea includitur propositum servandi omnia praecepta), rursus adest actus excludens voluntatem peccandi cum spe veniae, ergo dantur. quae disponunt iuxta mentem concilii sufficienter ad impetrandam gratiam et remissionem in hoc sacramento [cf. thes. 13, p. III. arg. 1.]. Frustra ergo petitur illa alia relatio doloris ad sacramentum.

2⁰ probari potest ex communi fidelium sensu. Si enim aliquis dum legit vel dum audit contionem moveatur ad intensum dolorem et detestationem suorum peccatorum et postea ex desiderio veniae cogitet de confessione facienda et sacerdoti confiteatur, nemo dicet hunc non esse optime dispositum ad absolutionem recipiendam, immo ille videtur esse modus aptissimus, cum ex dolore peccatorum et desiderio veniae procedat ad procurandam confessionem et absolutionem. Tunc autem dolor [ille qui est dispositio sufficiens] non processit ex desiderio confessionis nec ordinatus fuit ad illam relatione aliqua antecedenti, sed consequenti. [Nec enim displicentia inclusa in illo actu, quo postea intenditur sacramenti susceptio, et ex se ordinata ad confessionem, est ipsa necessario sufficiens dispositio poenitentis, ita ut propter e a m bene dispositus accedere a fidelibus cum D i c a s t i l l o credatur].

3⁰ probari potest ex ipsa natura et institutione huius sacramenti, in quo magis connaturale est, quod ex dolore et contritione oriatur

desiderium confitendi, quam quod e contra ex desiderio confitendi oriatur dolor et contritio. Si enim $\alpha$) consideretur hoc sacramentum ut quoddam iudicium est, certum videtur in iudicio humano ex displicentia et odio delicti oriri accusationem et desiderium deferendi illud ad iudicem et procurare remedium, non vero e contra ex desiderio accusandi oriri odium delicti. Ergo similiter in hoc sacramento ordo connaturaliter est, si homo ex odio peccati veniat in cogitationem et desiderium procurandi remedium illius in hoc iudicio sacramentali. Deinde $\beta$) si consideretur hoc sacramentum, quatenus est condonatio et relaxatio offensae, certum etiam videtur, quod sit modus aptior et congruentior ad impetrandam veniam, quando quis ex odio offensae, quam intulit et ex poenitentia interna movetur ad petendam veniam a sacerdote vicario Dei, quam si ex desiderio remissionis moveatur ad dolendum de offensa Dei. Immo ipse dolor eo perfectior erit, quo purior et solum propter motivum divinae offensae; minus autem haberet de hac puritate, si ex relatione antecedenti ad confessionem et ex desiderio sacramenti imperaretur actus doloris de peccatis“ De Lugo, De poen. disp. 14, n. 38 ss.

Ad 1. Per hoc quod dicitur contritio pertinere ad integritatem sacramenti non negatur eam esse absolute necessariam.

Ad 2. Non praestitit Trophimus omnia, quae secundum usum receptum ad receptionem in communionem requirebantur, sed procul dubio cum fructu absolutus est et certe aliquem eius dolorem ipse Cyprianus testatur.

Ad 3. Ex hoc posset ad summum probari posse Deum potentia absoluta (sed cf. Ezech. 18, 20—32; 33, 20; Eccl. 15, 18; Rom. 2, 6) tollere peccatum habituale sive per condonationem sive per gratiae infusionem sine retractatione peccatoris; sed quaeritur de facto. Cf. De Lugo, De poen. disp. 7, n. 108; Amort, De sacr. poen. Disp. 1, quaestiunc., obi. 2 ad 1.

Ad 4. Cf. thes. 7, p. I ad 4. „Si poenitens detestatus fuit eodem actu mortalia et venialia, sed illa magis quam ista propter maiorem eorum gravitatem et detestabilitatem, non sequitur revocatum fuisse dolorem circa mortalia ex eo quod admiserit aliquod veniale“. De Lugo De poen. disp. 14 n. 145.

Ad 5. Cf. thes. 7, p. II ad. 1. — Cf. Richardus, In l. 4, d. 21, a. 2.

Ad 6. responsum patet ex argumento.

Ad 7. Metaphysice repugnat illum peccare (formaliter), qui nondum Deum aliquatenus agnoscat. Cf. prop. 2. damn. ab Alexandro VIII.

Ad 8. 1° aliud est motivum, aliud occasio. 2° Ut doluerint Ninivitae ex solo motivo humano: non salutem aeternam sed temporalem obtinuerunt.

Ad 9. Propositiones damnatae strictissimo sensu sunt intellegendae, non prout placet ad habendum aliquod argumentum.

Ad 10. Non est necesse, attritionem attingere peccatum directe et explicite sub ratione culpae, sed sufficit indirecte et implicite, quatenus id quod privat fine naturali privat etiam fine supernaturali.

Ad 11—13. Demus actum esse entitative supernaturalem; eum id esse non posse nisi simul obiectum formale sit supernaturale demonstrandum est. Ceterum de entitativa actuum supernaturalitate cf. Schiffini, De gratia div. disp. 3, s. 2, n. 145 ss. et ea, quae copiose exposui in Časopis katol. duchov. 1906 p. 449—456; 466—467. Cf. Sl. litt. theol. III 104—5.

Ad 14. Neganda est paritas. Homines hoc unum spectant, ut praemium detur secundum relationem laboris ad effectum, quam labor in se spectatus habet. Ceterum sitne necessarium fidei lumen ad merendum necne, alia quaestio est; Lingens etiam hanc necessitatem negat.

Ad 15. Ponamus istud verum esse: ad actum fidei supernaturalis requiri, ut omnia credantur, etiam praeambula fidei: si hoc fieri potest,

neque in ordine naturali repugnantia est; quodsi in hoc est aperta repugnantia, neque in ordine supernaturali illud fieri potest. Ceterum cf. Frz. Schmid, in Ztschrft f. kath. Theol. Innsbruck 1888 p. 447. Lingens ibid. 1894 p. 328 s., qui locum ita interpretatur: „Er sagt einfach: ‚ihr habet das Wort Gottes nicht als meine Lehre, sondern als das, was es ist (sicut est vere) angenommen, d. h. ihr habt wirklich und von ganzem Herzen Gott geglaubt, und, fügt er hinzu, ein solcher Act ist thatsächlich (wie jeder zum wahren Heile führende Act) in euch ein Werk Gottes (qui operatur in vobis, qui credidistis)‘ Gott, der Verleiher der übernatürlichen Kraft lässt solche Acte in gewissen Verhältnissen (z. B. in vobis, qui credidistis) thatsächlich nicht ohne seine erhebende Hilfe zustandekommen und der Grund dieser besonderen Vorsehung ist unser Unvermögen etwas in der Ordnung des Heils oder der göttlichen Güter irgendwie proportioniertes, verdienstliches oder in Anschlag zu bringendes aus eigener Kraft zu leisten“.

Ad 16. Actus specificari ab obiecto tanquam specificativo unico et adaequato negandum est. „Das Beiwort übernatürlich gebe ich dem schon als in sich fertig gedachten Act wegen der Beziehung, die er in concreto zu dem ihn setzenden Subjecte hat, und darum kann die Übernatürlichkeit gerade nach unserem metaphysischen Princip, wonach das Object den Act als solchen begrifflich constituiert, mit dem Object dieses Actes gar nichts mehr zu thun haben. Das Praedicat übernatürlich modificiert gar nicht den Begriff des Actes, weil es ja keine Richtung besonderer Art bezeichnet.“ Lingens in Ztschrft f. kath. Theol. Innsbr. 1894. p. 326. Cf. De Lugo, De fide divina disp. 9 n. 3., qui docet principium distinctionis essentialis actuum adaequatum et sufficiens formale seu proximum in ipsa interna sua perfectione vel ratione essentiali illa esse, qua obiecta petant vel attingant; principium vero distinctionis essentialis adaequatum sufficiens efficiens seu remotum in potestate illa consistere per quam actus quisque producatur proindeque perfectionem suam omnem sumat. („Licet, inquit, actus specificentur ab obiectis, non tamen tanquam a specificativo adaequato, sed solum inadaequato; nam specificantur etiam in ordine ad principia; quare cognitiones, quas habent duo angeli specie diversi, licet terminentur ad idem obiectum et motivum, possunt adhuc differre specie per ordinem ad diversos intellectus, a quibus eliciuntur“). — Ceterum, si actus naturales et supernaturales differrent motivo, deberemus eius rei habere evidentem conscientiam; motiva enim nostrorum actuum cognoscimus. Sed nemo reflectens in actus suos fidei aliud inveniet quam in actu naturali fidei; id eo magis mirum est, quod actus naturales et supernaturales perfectione secundum quid infinite distant. Si ergo tota differentia repetenda esset ex obiecto formali, infinita esset distantia inter id quod cognoscimus et amamus actu supernaturali.

Ad 17. „Der moralische Wert, welcher allein den Act zu einem moralischen Mittel für das Endziel göttlicher Ordnung macht, kommt eben in denselben aus dem ihn setzenden physischen Princip, welches höherer, göttlicher Ordnung ist.“ Lingens, Ztschrft f. kath. Theol. Innsbruck 1894 p. 327. Cf. Frz. Schmid ibid. 1888 p. 448. Et ad locum 2 Cor. 3, 5 notatur ab illo l. c.: „Die Stelle besagt: Mag das Object, das wir gerade erfassen wollen, das denkbar einfachste sein, und wäre es nur was immer für ein Gedankengegenstand (cogitare aliquid [λογίσασθαί τι]) — zum Zweck unseres durch Christus gewollten Heiles kann unser Gedanke, unsere Anstrengung nicht hinreichend, nicht wirksam oder wirkungskräftig sein, wenn nicht das subjective physische Princip (a nobis [ἀφ' ἑαυτῶν]) in eine höhere Ordnung erhoben, von einem dem übernatürlichen Ziel proportionierten Agens d. h. von Gott selbst gleichsam getragen und ergänzt wird (non . quasi ex nobis [οὐχ ὡς ἐξ ἑαυτῶν])“. Ceterum explicatio pendet e sententia de entitativa supernaturalitate actuum salutarium.

Ad 18. Cum obiectis lumini rationis de se congruentibus utique etiam actus naturales proportionem habent; at vero, nihil impedit, quominus in obiecta per se naturae viribus convenientia virtus et actus supernaturalis

quoque tendere queat: et licet actus supernaturalis non requiratur ab obiecto, expostulari tamen potest velut solus proportionem habens sive cum statu elevato personae operantis sive saltem cum bono quodam ulteriore et ultimo salutis, ad quod consequendum actus idem supernaturalis conducere positive valeat proindeque ex consilio divinae providentiae ordinetur.

Ad 19 et 21. Si quid probat hoc argumentum, certe potius suadebit ad valorem non requiri attritionem appretiative summam, quam attritionem, quae praecedat absolutionem.

Ad 20. Cf. thes. IV, p. I, ad 7. Ceterum dicendum foret consequenter, quod Suarez dicit: „quoties contritio repetitur circa peccata confessa, semper esset pars sacramenti haberetque effectum ex opere operato." De poen. disp. 20, s. 4, n. 21.

Ad 22. Cf. thes. X, p. V. Ceterum „coniunctio materiae per intentionem pertinet ad ministrum, non autem ad suscipientem". Ballerini-Palmieri, Opus theol. morale t. V n. 122.

Ad 23. Cf. thes. X, p. V; thes XIII, p. I. 2°, a). Ceterum ad valorem sacramentorum (respective ad applicationem Eucharistiae quatenus sine ea non habetur necessitas completa ad gratiam) requiritur in suscipiente intentio „quia per sacramenta homo initiatur et consecratur Deo; ille autem, qui consecratur, non debet [i. e. conveniens est, ut non] invitus consecrari et dedicari Deo . Quando vero fit contritio, non consecratur poenitens a ministro, nec accipit ab eo potestatem aliquam, quam debeat acceptare; sed disponit se ad consecrationem per absolutionem sacerdotis accipiendam; non ergo requiritur tunc alia intentio praeter ipsammet contritionem, quae se sola sufficienter disponit". De Lugo, De poen. disp. 14 n. 46.

Ad 24. „Si narratio peccatorum fieret per modum accusationis, hoc est deferendo illa peccata sacerdoti ad obtinendam absolutionem, iam eo ipso significaretur dolor.. Si vero narratio non esset in ordine ad absolutionem, nec per modum accusationis, non sufficeret dolor subsequens, eo quod deesset una pars sacramenti, sc. accusatio seu confessio iudicialis peccatorum (cf. thes. IX, p. II in corp.), quae debet praecedere absolutionem". De Lugo, De poen. disp. 14 n. 23.

Ad 25. „Confessio non est reconciliativa pro tempore, quo emittitur, sed pro tempore absolutionis secuturae; absolutio autem reconciliationem parit". Collet, De poen. p. II c. 4, n. 700.

P. II. Detestatio ad valorem absolutionis necessaria debet esse universalis respectu mortalium dubie remissorum et certo non directe remissorum, nisi ignorantia excuset.

Dub. 1. Requiritur contritio de omnibus omnino mortalibus. Nam poenitentia concepta ex solis virtutum particularium motivis saltem communiter non detestatur peccatum, ut est offensa Dei. Nam virtutes particulares nec pro motivo nec pro obiecto cui proximo seu pro termino Deum habent. Sic v. g. motivum temperantiae est honestas relucens ex mediocritate in delectabilibus gustus et tactus observanda; unde turpitudo opposita apparet per se solum ut aliquid a norma rationis dissonum; similiter dicatur de fortitudine, iustitia perfecta, liberalitate, veracitate etc. Tales enim per se spectatae respectum ad solum naturae rationalis bonum, non ad bonum, quod sit Deus vel praestandum aliquatenus Deo, prae se ferunt. Nec sufficit pro detestatione offensae Dei ut talis inducenda, regulam virtutis ipsius particularis infusae divinitus esse revelatam, nisi simul ut lex quaedam Dei proponatur. Sed eo ipso v. g. intemperantia iam non ut malum oppositum naturae soli rationali aliud postulanti verum potius ut malum contrarium legi vetantis Dei consideratur ideoque motivum temperantiae ita adest, ut universale aliquod accedat.

2. Attritio ex motivo particulari non est sufficiens dispositio ad gratiam, quia non excludit voluntatem peccandi. Ergo peccat, qui contritione non elicita ex motivo universali accedit ad claves, et nulla erit absolutio.

3. Dolor ille particularis de uno vel altero peccato aut est verus supernaturalis actus spei theologicae vel timoris oppositi, vera conversio ad Deum, cum seria intentione se reconciliandi Deo cum spe veniae, aut non est talis. Si non est talis iterum liquido sacramentum erit nullum. Si est talis, eo ipso implicite erit dolor universalis et extendens se ad omne peccatum mortale; non quidem ex vi illius motivi particularis, sed ex vi motivi ultimati et principalis spei, timoris, quod motivum necessario se extendit ad omne peccatum mortale, tamquam quid repugnans spei remissionis ac reconciliationis cum Deo ac proinde ita hominem disponit, ut si recordaretur alterius peccati mortalis a se commissi, necessario etiam de eo doleret, idque detestaretur tamquam repugnans suae spei vel timori; ac per hoc consequenter talis dolor, quatenus sic ultimatim universalis est, erit quoque sufficiens ad fructuose suscipiendum sacramentum. (Sporer).

4. Si ad valorem sacramenti non requiritur dolor, qui virtualiter se extendat ad omnia peccata mortalia, sequitur posse aliquem valide recipere hoc sacramentum cum affectu actuali ad peccatum aliquod mortale; cum hoc enim actuali affectu stare potest dolor de aliquo peccato propter eius specialem turpitudinem (Coninck).

5. Ad valorem sacramenti requiritur propositum universale non peccandi. Atqui 1$^0$ hoc propositum, si efficax est, non potest non extendi virtualiter ad peccata praeterita, eaque implicite, sed efficaciter retractare. Nam propositum generale vel debet esse sub motivo generali et communi ad omnia genera peccatorum, vel sub motivis particularibus omnium virtutum; in utroque casu certe extenditur motivum tam ad peccata praeterita, quam ad futura. Deinde 2$^0$ si requiritur propositum universale saltem virtualiter, requiritur sane etiam dolor virtualiter universalis; cur enim magis requiretur universalitas in proposito, quam in dolore?

6. Omnis ille dolor, seu attritio, quae est pars huius sacramenti, est etiam dispositio ad eius effectum; nunquam enim in conciliis fit mentio alterius contritionis aut dispositionis necessariae ad hoc sacramentum, nisi illius, quae est pars; nec distinguunt unquam duplicem dolorem, unum qui sit pars, alterum, qui sit dispositio irrequisita ad effectum sacramenti, ut constat ex Florentino, Sess. ultim. in decreto Eugenii et ex Tridentino, Sess. 14 cp. 4. Immo eandem paenitentiam, quam Tridentinum Sess. 6, cp. 6 assignavit ut dispositionem necessariam ad effectum baptismi, eandem in sacramento poenitentiae postea assignat ut partem nullam aliam exigens dispositionem. Poenitentia autem necessaria ad effectum baptismi debet esse talis, quae nunquam careat effectu. Item eadem Sess. 6., cp. 14 dicitur poenitentiam in baptismo et in hoc sacramento differre in hoc, quod haec includat etiam confessionem, absolutionem et satisfactionem, ex parte vero doloris nullam differentiam assignat, ergo talis dolor est ille, qui est dispositio in baptismo. (Vasquez). Cf. thes. XIV, dub. 1.

7. Concilium Tridentinum Sess. 14, cp. 5 ait: „Reliqua peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur“ Atqui peccatum quod aliquis oblitus non detestatur, non intellegitur inclusum in confessione ob defectum doloris non se extendentis virtualiter ad illud. (Wirceburgenses).

8. Non requiritur dolor de omnibus peccatis, quorum memoria occurrit etsi nondum sint directe remissa. Nam dolor requiritur ad valorem absolutionis propter confessionem; sed confessio non semper saltem integra requiritur.

9. Is, qui per contritionem perfectam a parte peccatorum nunc per se confitendorum remissionem obtinuit certe de his non tenetur iterum dolere, si ea non necessario debet accusare cum cessante fine obligationis, cesset ipsa obligatio. Nam dispositio eius est omnino sufficiens, nec potest in tali casu aliunde obligatio attritionem eliciendi imponi.

10. Peccata dubie commissa non est opus confiteri; ergo nec de iis dolere necesse est; nam in nova lege tota remissio fit per claves; ergo quod clavibus subici non est necesse, nec alio modo tollendum curari debet.

11. Si peccata dubia essent detestanda, detestandum esset etiam peccatum dubium cuius species iam ignoratur. Atqui nemo habet certitudinem se non habere tale peccatum nondum remissum; ergo dolor semper ex motivo universali deberet elici.

12. Si non sit gravis irreverentia contra sacramentum si quis cum alia materia apponit peccatum iam directe remissum, de quo non est attritus, sequitur nec etiam fieri gravem irreverentiam apponendo peccatum aliquod mortale falsum simul cum aliis veris. Iam enim apponitur materia valida sacramenti et aliunde mendacium illud non videtur grave, cum possit homo absque gravi culpa imponere sibi aliquod peccatum mortale, quod non fecit. Consequens autem est omnino falsum; quia alioqui posset poenitens absque ullo scrupulo excedere in numero peccatorum et in aliis similibus, ut securus maneret de vero numero non omisso, cum aliunde non esset grave peccatum in excessu falso.

13. Peccatum, de quo non doles, est materia inepta absolutionis; sed materiam ineptam subicere formae sacramenti, est peccatum mortale, uti si quis hostiis triticeis consecrandis misceat avenaceam. Ergo peccatis, de quibus doles, miscere aliquod, de quo non doles, etiam est peccatum mortale.

14. Qui confitetur aliquod veniale, exercite dicit se de eo dolere. Ergo si de eo non doleat, quamvis doleat de aliis, mentitur atque sic irritat sacramentum.

15. Requiritur attritio de singulis peccatis distincte. Nam contritio est actus virtutis reparativae ac medicinalis; virtus autem reparativa sanitatis internae debet attingere distincte omnia genera et individua vulnerum. (Amort).

16. Tenemur confiteri distincte singula peccata, haud dubie dolenter et cum affectu aversionis. Ergo tenemur de singulis distincte dolere.

Dicimus: Detestatio debet esse respectu mortalium, quae certo scimus non esse directe remissa, universalis.

„Ratio est, quia confessio debet esse integra de omnibus peccatis mortalibus. Ita et attritio debet esse integra de eisdem peccatis, quia sine attritione integra non posset confessio esse integra in ratione verae accusationis sacramentalis, ut ex hactenus dictis satis patet," Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 23. Quodsi quis excusatur ab integritate confessionis tenetur tamen praestare quantum potest relate ad implendam obligationem a qua excusatur; si igitur non potest peccata subicere potestati clavium absolvenda directe, debet ea ei subicere indirecte. Sed frustraretur absolutio indirecta, si deesset debita dispositio. Ac proinde, si dolorem de eis peccatis, a quibus accusandis excusatur, voluntarie omittit, in ipsa confessione actuale peccatum mortale committit, quod repugnat valori absolutionis.

Etiam ad omnia peccata dubie remissa contritio se extendere debet.

Nam afferre dispositionem dubiam est grave peccatum irreverentiae erga Christum Dominum, cuius nomine et virtute per verba sacerdotis absolvimur; exponitur enim absolutio periculo frustrationis quoad effectum gratiae, ad quem efficiendum instituta est. (Cf. Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6, n. 63. De Lugo, De sacram. in gen. disp. 9, n. 1 ss.).

Ab hac universalitate ad valorem absolutionis requisita excusat ignorantia inculpabilis.

Nam attritio, quatenus ad valorem absolutionis in omni casu requiritur, necessaria est propter veritatem confessionis. „Igitur cum ea

etiam servat proportionem quantum ad necessitatem in ratione partis. Sicut ergo confessio illa, in qua peccatum aliquod omnino tacetur ob inculpabilem oblivionem, valida est, licet materialiter non sit integra, ita confessio illa, in qua peccatum aliquod absque vera attritione aperitur, mutila quidem est quoad illam partem, quia secundum eam non est vera et sacramentalis confessio, nihilominus tamen mutilatio illa materialis tantum est, quia inculpabiliter fit. Ergo non reddit confessionem nullam, quia ea non obstante quoad cetera manet confessio vera, quia ex vera attritione facta est et formaliter integra, quia nihil cum culpa tacetur aut sine debito modo dicitur. Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 26.

Nunquam autem (per se) ad valorem necessaria est contritio (virtualis) de omnibus omnino mortalibus, seu ex motivo universali.

Nam nec obligamur ad dolorem de peccatis quorum obliti sumus, nec de peccatis, quae non commisimus. „Ratio autem desumitur ex ipsa natura doloris seu retractationis. Est enim talis actus, qui iuxta suum modum tendendi feratur solum ad ea peccata, quae apprehenduntur commissa. Neque enim retractari potest, nisi quod male factum apprehenditur. Unde qui non peccavit, non habet talem actum doloris. Non ergo mirum, quod a poenitente solum exigatur dolor [is quidem super omnia cf. thes. XIV.] de peccatis commissis et non dolor universalis. De Lugo, De poen disp. 14, n. 82

Deinde ad valorem absolutionis non requiritur dolor ullo modo universalis relate ad venialia vel (probabiliter) peccata iam absoluta.

„Nam potest licite et valide suscipi sacramentum poenitentiae, etsi dolor non se extendat ad omnia venialia, quae poenitens habet in conscientia vel etiam confitetur. Et ratio est, quia cum non sit obligatio confitendi venialia et possit unum etiam per absolutionem remitti sine altero, sequitur ut possit poenitens absolvi de uno, de quo dolet et non de altero, de quo non dolet, etiamsi utrumque confiteatur [Nec poenitentem, si venialia confiteatur etiam talia, de quibus non dolet, dicendum est mentiri], quia ex praxi et sensu communi fidelium intelligitur poenitens in confessione venialium exercite dicere se dolere de aliquibus illorum et ab eis velle absolvi: reliqua vero confiteri ad sui humilitatem et confusionem vel ad manifestandam magis suam conscientiam, ut a confessario dirigatur [cf. Trid. Sess. 14 cp. 8], uti etiam manifestantur habitus pravi et inclinationes inordinatae, quae non sunt peccata“. Mazzotta, Theol. mor. t. 3, tr. 6. disp. 1., q. 3, § 2, n. VI. Cf. Gormaz, De poen. p. I n. 189; Arriaga d. 31 n. 58.

Sed etiamsi dicendum esset eum mentiri, grave peccatum non committeret, quia nec deciperet confessarium in re gravi et necessaria, nec absolutionem omni effectu frustraretur, etsi eum diminueret; quod non esset „contra reverentiam sacramenti, neque malum per se, cum non teneamur accedere ad sacramenta cum dispositione necessaria ad habendum effectum, quantum habere possunt: puta accedere ad Eucharistiam.

cum summa dispositione, ut conferat gratiam quantam conferre potest.“ Gonet, Clip. t. V, disp. 7 n. 78.

Idem dic de peccato gravi iam directe remisso et denuo subiecto; ubi tamen, si non sufficit dolor habitualis non retractatus, saltem nisi expresse indicetur illud iam esse remissum, vix unquam deesse posset levis culpa nisi ob inadvertentiam ad defectum doloris vel ad inordinationem; esse autem gravem culpam, ut censet Dicastillo, non potest certo probari.

Denique non requiritur recogitatio singulorum peccatorum, de quibus doletur, in particulari.

Nam neque confessio distincta in omni casu requiritur, neque obligatio ad distinctam recogitationem peccatorum fundatur in aliquo praecepto positivo vel naturali aut necessaria est ad excitandum dolorem de peccatis. Per accidens tamen aliquando oportebit ea in specie considerari ad remedia opponenda vel ad restituendum. Cf. De Lugo, De poen. disp. 5, n. 91.

Ad 1. Primum saltem de affectione pia credendi non potest esse dubium quin et propter ipsam credendi Deo honestatem fidei assensum velit et imperet, et malitiam peccati adversi fidei refugiendo ut offensam Dei detestetur

Deinde si malum contrarium legi vetantis Dei consideratur, non necessario apprehenditur inordinatio generica contra legem divinam, sed specialis apprehendi potest; unde non necessario habetur motivum universale. Cf. Dicastillo, De poen. disp. 6, n. 103.

Ad 2. „In eo, cui non est aliud peccatum quam illud vel illa, quorum suscepit dolorem propter specialem rationem, vel, si commisit aliud, iam per aliam antecedentem poenitentiam expiavit, eo ipso quod sit retractatio illius vel illorum peccatorum, excluditur omnis peccandi voluntas; nulla enim voluntas peccandi excludenda erat a tali subiecto, nisi ea, quae aliquando fuerat in eodem subiecto et nondum sufficienter exclusa“. Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6, n. 70.

Ad 3. „Licet ad hoc sacramentum requiratur voluntas absoluta reconciliationis cum Deo, haec tamen voluntas non semper includit virtualiter retractationem omnium peccatorum. Quod probari potest in actu spei, iuxta communem sententiam dicentium esse desiderium explicitum vel implicitum beatitudinis, et tamen non omnis actus spei est detestatio virtualis omnium peccatorum, neque est virtualiter attritio sufficiens ad iustificationem cum sacramento; nam in peccatore sicut dantur actus fidei, dantur etiam actus spei absque dolore explicito vel implicito de peccatis. Ratio autem est, quia desiderium beatitudinis determinat quidem ad volenda media necessaria ad beatitudinem, non est autem medium simpliciter necessarium non commisisse peccata; potest enim homo salvari per poenitentiam, licet prius peccaverit. Ergo illud desiderium beatitudinis non infert necessario hanc attritionem virtualem.

Sic ergo in praesenti potest esse desiderium reconciliationis cum Deo, quod tamen non contineat virtualem retractationem omnium peccatorum Alioquin omnes, qui de facto confitentur ad impetrandam veniam peccatorum et existimant se esse dispositos, habebunt fructum sacramenti, quia illi volunt serio reconciliationem cum Deo et ex hoc desiderio apponunt illud medium, quod existimant sufficiens; sed tamen multi non iustificantur, quia non curant de dolore et proposito habendo, quia non audierunt hanc esse dispositionem necessariam, ut constat manifeste in multis rusticis et pueris. Quamvis ergo amor efficax finis sit virtualiter amor mediorum, et dolor sit medium necessarium ad reconciliationem cum Deo, non tamen semper amor finis continet aequivalenter et virtualiter actus

illos, qui sunt media necessaria ad finem. Nam qui vult salvari, vult servare praecepta, quorum unum est dilectio Dei; et tamen ille amor salutis non est aequivalenter dilectio Dei super omnia; quia si hoc esset, iustificaret iam extra sacramentum. Continet ergo illos alios actus per modum imperii et causae, non tamen continet in se perfectionem illorum aequivalenter, quia bene potest actus inferior imperare actum excellentiorem et superiorem". De Lugo, De poen. disp. 14 n. 78.

Ad 4. Ipse affectus actualis ad peccatum mortale seu propositum peccandi est grave peccatum. Cf. De Lugo, De poen. disp. 14., n. 80.

Ad 5. Cf. th. III. et huius thesis p. III ad 6.

Ad 6. Certum est (quidquid contradicunt Wirceburgenses et alii) et omnes debent „fateri, quod aliquando per accidens aliquis dolor sit dispositio ad gratiam in hoc sacramento conferendam seu ad auferendum obicem gratiae sacramentalis, qui tamen non sit pars sacramenti. Quod constat manifeste in eo, qui susciperet baptismum cum effectu gratiae. Hic enim si peccaret mortaliter post baptismum, posset dolere de iis peccatis commissis post baptismum ex hoc motivo, quod scilicet essent peccata hominis christiani, quod quidem esset optimum motivum, et cum comprehenderet omnia peccata post baptismum commissa, quae sola sunt materia sacramenti poenitentiae, non videtur dubium, quod ille dolor ex tali motivo sufficeret ad valorem sacramenti. Et tamen si ille homo baptismum suscepisset absque dolore de peccatis praeteritis, ac per consequens absque effectu gratiae, quantumcumque postea doleret de peccatis post baptismum commissis ex illo motivo specialis gravitatis, quam habent peccata in christiano, procul dubio non iustificaretur in sacramento poenitentiae, nisi aliunde doleret etiam universaliter vel specialiter de peccatis ante baptismum commissis. Ergo tunc dolor, quem ex alio motivo haberet de peccatis ante baptismum factis, non esset pars sacramenti poenitentiae et tamen esset dispositio tollens obicem provenientem ex peccatis factis ante baptismum, quae peccata non essent materia sacramenti poenitentiae, sed tollerentur virtute baptismi antea suscepti, atque adeo dolor de illis non esset pars sacramenti poenitentiae. Simile exemplum afferri potest in homine religioso, qui confitetur sola venialia et dolet de illis propter oppositionem peculiarem et indecentiam, quam habent in statu perfectionis, qualis est status religiosus, et tamen si hic homo habet aliquod peccatum mortale in saeculo factum, nondum remissum, non iustificatur in hoc sacramento propter defectum doloris de illo peccato.

Quando ergo concilia loquendo de dispositione requisita ad remissionem peccati in hoc sacramento non distinguunt illam a dolore, qui est pars materialis eiusdem sacramenti, loquuntur per se loquendo, seu de dispositione necessaria ad remissionem eorundem peccatorum, quae per se remittuntur per hoc sacramentum; v. g. requiritur ut dispositio necessaria dolor de illo peccato et confessio ipsius, qui dolor sit pars eiusdem sacramenti. Sic enim loquitur Tridentinum Sess. 14 dicens hoc sacramentum continere detestationem peccatorum et eorundem confessionem: non ergo continet ut partem detestationem peccatorum, quae facta sunt ante baptismum. Unde per accidens poterit requiri alius dolor, qui sit dispositio ad remissionem alterius peccati diversi, sine quo non posset remitti hoc aliud, atque adeo sit dispositio indirecta ad remissionem huius, ut in casu posito dolor de peccatis factis ante baptismum est dispositio directa ad eorum remissionem virtute baptismi praeteriti, indirecta autem ad remissionem peccati facti post baptismum virtute absolutionis. Et hic dolor seu haec dispositio indirecta, quae per accidens aliquando requiritur, non debet esse pars sacramenti, nec id unquam concilia dixerunt, nec negarunt posse reperiri dolorem hoc modo disponentem ad effectum sacramenti, qui non sit eius pars; sed loquendo de dolore per se requisito, non distinxerunt duos dolores, unum qui esset dispositio, alterum, qui esset pars; quod totum argumentum, cum negativum sit, non habet vim, quando aliunde constat, posse per accidens dari illos duos dolores diversos". De Lugo, De poen. disp. 14 n. 94. 95. 96

Ad 7. Etiam ibi concilium loquitur prout per se et ordinarie res contingit. Cf. Aversa, Theol. schol. p. 4 De sacram. q. 54 s. 6.

Ad 8. cf. argum.

Ad 9. Cum contritio illa perfecta per peccata sequentia retractata sit, novus dolor requiritur propter rationem supra allatam.

Ad 10. In hoc casu sufficit votum usus clavium; hoc tamen requiritur.

Ad 11. Concedimus esse securius elicere dolorem ex motivo universali; sed dubium aliquod imprudens non obest certitudini morali, quae sufficit ad vitandum irreverentiae peccatum.

Ad 12. Per peccatum falsum appositum non minus decipitur iudex in re gravi et necessaria, quam per negationem criminis veri, nec minor datur occasio variandi iudicium. Quodsi quis apposito crimine falso diceret se iam iterum illud confiteri, secundum Lugo (disp. 14 n. 125) et Dicastillo (disp. 8 n. 60) grave, secundum Silvestrum leve peccatum committit.

Ad 13. Hostia avenacea non apponitur ad alium finem, nisi ut consecretur, hinc consecratio cadit super eam. Contra peccatum, de quo non doletur, non ideo in confessione apponitur, ut absolutio super illud cadat, sed dicitur vel ad humilitatem seu confusionem sui vel ad manifestandam magis conscientiam. Unde intentio poenitentis vel absolventis non est, ut cadat super tale veniale, sed tantum ut cadat super ea, de quibus poenitens dolet. Cf. Gonet disp. 7 n. 77. Alia responsa dant Suarez, disp. 22. s. 10 n. 8; De Lugo, disp. 14 n. 121; Dicastillo, d. 6, dub. 15. n. 284.

Ad 14—16. Cf. argum.

P. III. Si contritio ad valorem absolutionis requisita explicita est, communiter saltem nulla alia interna dispositio opus est; certe autem de alia nunquam cura est habenda.

Dub. 1. Ad veram dispositionem necessarium est propositum omnino universale quoad mortalia, quod non continetur in dolore ex particulari motivo elicito, etiamsi sit super omnia. Ergo peccat et consequenter irritat absolutionem qui accedit sine tali proposito. Requiri autem saltem ad dispositionem tale propositum constat ex definitione contritionis, quam Tridentinum proposuit et ex eo, quod requirit dolorem qui excludat voluntatem peccandi.

2. Qui scienter non vult elicere propositum universale, habet actualem complacentiam in aliquo peccato, ergo certe est indispositus.

3. Si non requireretur propositum universale nulla esset ratio cur in poenam semel tantum concedi solita esset poenitentia publica, licet diversa a prioribus peccata commissa fuissent.

4. In baptismo etiamsi adultus aliquis haberet solum peccatum originale, tamen requiritur propositum, sane universale circa futura. Cf. Conc. Trid. Sess. 6 cp. 6.; quia nimirum qui alteri se de novo in servum vel domesticum tradit, videtur propositum adducere voluntatis eius exsequendae. Unde non mirum, si a poenitente in hoc sacramento tale propositum universale requiratur, licet non dolor universalis; quippe cum totum illud baptismale propositum per quodvis peccatum singulare retractetur.

5. Requiritur ad dispositionem propositum formale. „Nam cum propositum implicitum a peccati detestatione nullo modo separari possit, sine causa concilia addidissent illa verba: ‚cum proposito non peccandi de cetero‘. Quorsum enim ista expressio, si propositum non expresse requiritur.“ Bellarminus.

6. Etiam propositum non peccandi includit detestationem peccati implicitam et virtualem. Ergo sufficiet etiam propositum non peccandi sine detestatione formali; quod nemo admittit. (Bellarminus).

7. Requiritur propositum universale etiam quoad venialia; nam requiritur propositum satisfaciendi quocumque modo confessarius statuerit. Atqui

confessarius potest imponere vitationem omnium venialium deliberatorum; ergo ad ea vitanda paratus esse debet.

8. Propositum satisfaciendi non continetur in attritione ex motivo particulari; ergo haec sola non sufficit.

9. Concilium Tridentinum Sess. 6, cp. 6. docet: 'Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti fidem ex auditu concipientes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur .. in spem eriguntur etc.' Clarius hos actus 'credere, sperare, diligere' explicat cn. 3. Si actus isti „imbibiti" in dolore sufficerent, ut contendunt non pauci, superflue expressi a concilio forent. (Concina) Quoad spem cf. Ambros., De poen. l. 1. c. 1.

10. Ad valorem usus clavium requiritur intentio determinata respectu confessarii. Nam cum hoc iudicium sit voluntarium, requirit voluntariam rei subiectionem ad iudicem. Cf. Durandus In l. 4, d. 21, q. 3, a. 1. Atqui per attritionem solam certe non adest talis intentio determinata.

11. Ad valorem absolutionis requiritur in poenitente intentio virtualis explicita, quia contritio innotescere debet sacerdoti, ut eum moveat ad absolvendum. (Stentrup).

12. Attritio non includit necessario actum spei, etiamsi sit de peccatis ut offensis Dei. Potest enim motivum attritionis concipi sine motivo spei.

13. Praeter detestationem requiritur etiam dolor, qui ut aliquid distinctum ab illa a concilio in contritionis definitione exprimitur.

14. Si quis ex fine vitioso, etiam venialiter, v. g. vanae gloriae et existimationis bonae apud confessarium vel sodales vellet confiteri, et in eum finem imperaret sibi dolorem de peccatis, ut confiteri possit, iam tunc ille actus doloris vitiabitur extrinsecus et participabit aliquam malitiam externam et denominativam ab intentione vanae gloriae, a qua procedit confessio et omnia praerequisita ad confessionem; erit ergo malus et vitiosus actus doloris et per consequens nec supernaturalis nec honestus, nec aptus pro sacramento ad veniam peccati, atque adeo sacramentum erit nullum.

Necessarios esse in adulto ad dispositionem ad gratiam peculiares actus fidei et spei ratione sui, nec sufficere si aliquando praecesserunt necdum retractati sunt, sine ulla ratione statueretur. Quodsi non eliciti vel retractati sint, patet attritionem etiam circa hoc peccatum versari debere. In actu spei continetur autem etiam spes veniae, cum speretur omne, quod Deus ad salutem promiserit.

Deinde non requiritur propositum praeter illud, quod in attritione poenitentem ad gratiam perfecte disponente includitur. Sufficit illud, propositum, quod eatenus est universale, quatenus extenditur ad vitanda peccata de quibus dolendum est sub omnibus circumstantiis; et ita involvit propositum temperantiae et fortitudinis et prudentiae: non autem requiritur, ut aversio a ceteris peccatis, quae non sunt obiectum attritionis, habeatur, nisi in tantum, in quantum opus est proposito omnia vitandi quae ad peccata illa, quae actu detestamur, ducunt. Quodsi defectus propositi talis non est culpabilis, propositum sequitur attritionem, et, si non est necessaria attritio super omnia ad valorem absolutionis, nec propositum super omnia postulari potest.

Quae asserimus, suadentur primum ex natura rei. Nam „attritio formaliter consistit in dolore seu retractatione peccati commissi." Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 34. Ergo „poenitentiae actus circa futurum non versatur nisi ex consequenti, quatenus in detestatione peccati commissi, si modo sincera sit, necessario et semper includatur voluntas non peccandi de cetero" Billot, De Eccl. sacram. l. 2, th.

12, § 2. „Sicut [ergo] ad peccatum non commissum aut olim remissum non censetur voluntas affecta nec talia peccata sunt obex pro effectu gratiae, etiamsi dolor et detestatio non se extendat ad illa, ita circa peccata nondum commissa non censetur voluntas affecta, nec illa sunt obex, atque adeo circa talia genera peccatorum satis est, quod nullum habeat propositum.“ Dicastillo, De sacr. poen. d. 6 n. 245.

Deinde argumentum quo probari solet requiri propositum ad perfectam dispositionem probat tantum tale propositum, quale nos sufficere dicimus. Ratio illa est: „quia absoluta et efficax detestatio peccati est de essentia huius sacramenti; constat autem huiusmodi efficacem detestationem includere saltem virtuale propositum nunquam simile committendi“ Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 33. Unde etiam positive argumentari licet: „Concilium Tridentinum ait sufficere in hoc sacramento attritionem ex gehennae metu, si voluntatem peccandi excludat: atqui omnis contritio efficax voluntatem peccandi excludit etiam sine formali proposito concepta [et sine proposito ex motivo universali elicito].“ Virceburgenses, De sacr. poen. n. 173. Cf. De Lugo, De poen. disp. 14 n. 53. Et saltem supposita aliunde sufficientia attritionis particularis ad dispositionem, efficax omnino argumentum hinc petitur

„Excludenda voluntas peccandi illa est, quam ipsa attritio excludat, de qua attritione ait concilium: ‘si voluntatem peccandi excludat’. Ergo, si in aliquo casu valet attritio ex motivo speciali, in eo casu debet illa attritio excludere voluntatem peccandi. Ex quo ulterius licet inferre unum quasi dilemma, sc. vel nunquam attritio specialis sufficiet, vel speciale propositum quoque erit satis. Nam, si demus casum, in quo De Lugo et nos concedimus attritionem specialem esse sufficientem, cum attritio sufficiens debeat esse illa, quae iuxta Tridentinum ‘voluntatem peccandi excludat’, nulla poterit esse talis, nisi excludat eam voluntatem, quantum satis est: si enim non excludat voluntatem, quantum satis est, neque ipsa excludens attritio poterit esse satis; atqui nulla attritio ex particulari motivo potest excludere voluntatem peccandi nisi in ea materia, in qua adest tale motivum. Ergo vel non erit satis attritio ipsa particularis in ullo casu vel etiam erit satis exclusio voluntatis particularis peccandi, scilicet in ea tantum materia. Exclusio autem voluntatis peccandi in ceteris aliis, seu (quod idem est) propositum non peccandi in ceteris non potest provenire ab ea attritione speciali, quae nihil attingere potest extra suum obiectum; sicut enim eadem particularis attritio, quae habetur de furto praeterito ob specialem furti deformitatem, non se extendit ad retractandum sacrilegium contra votum (quodsi tunc forte simul adsit retractatio sacrilegii, ea comitanter se habebit cum retractatione furti, quae illam non attingit ex se et ex obiecto suo), ita etiam ipsamet attritio non se extendet ad respuendum sacrilegium futurum et excludendam voluntatem peccandi in sacrilegii malitia, quae non includitur intra latitudinem sui proprii motivi, ut ipse quoque auctor [de Lugo] fatetur expresse negando tale propositum includi et talem voluntatem excludi (disp. 14, n. 52). Ergo paritas est omnimoda inter extensionem propositi et retractationis,

quantum ad valorem [et etiam dispositionem] sacramenti. Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6, n. 243.

Tum, quod obligationem propositum formale eliciendi, si cogitatio subeat de tempore futuro, attinet, talis obligatio neque ex Tridentino (cf. dub. 4.), neque ex rei natura ostendi potest. Nam „nimis difficile foret, ne dicam impossibile, contendere, quod concilium non descripserit dispositionem, quae ex Christi institutione requiritur atque adeo ex rei exigentia, sed obligationem actus per se non necessarii imposuerit. Si vero sermo sit de re in se spectata, vel fingimus hominem, qui ideo ad cogitationem temporis futuri non elicit propositum formale, quia vel corde adhaeret peccato vel saltem ideo haesitat seu propositum cohibet, quia incertus haeret et reipsa non habet voluntatem determinatam, et tunc neque adest propositum virtuale, immo nec adest sufficiens dolor peccati, utpote inefficax. Si vero fingimus hominem, qui sincere peccata... detestatur, tunc chimaerica est hypothesis, quia cogitanti de futuro non potest deesse etiam morale". Ballerini-Palmieri, Opus mor. t. 5, c. 1, n. 145.

Restat unum requisitum positivum non ad dispositionem solam, sed ad valorem ipsius absolutionis, intentio poenitentis clavibus se subiciendi.

Iam, licet in abstracto fieri possit ut attritus non habeat intentionem implicitam claves adeundi et eam, quae in hac continetur, spem veniae, tamen communiter fit, ut poenitens ideo attritionem eliciat, ut peccatum deleat, ut sibi peccatum remittatur, ut se reconciliet, sane modo possibili et a Christo Domino instituto. Et etiam in casu talis exceptionis actum spei aliquando certe elicuit necdum retractavit; si enim retractasset in dolore includendum et hoc peccatum esset. Igitur nunquam sint solliciti poenitentes vel absolventes de alia dispositione praeter attritionem. Sed quaestio nostra non est adeo, debeantne esse solliciti necne, sed num requiratur revera alia dispositio praeter attritionem. Et praecise ob eliciendam intentionem claves adeundi saltem habitualem et implicitam dicimus tantum 'communiter' sufficere solam attritionem. Scilicet communiter attritio elicitur non ex particulari motivo, sed saltem indirecte ex motivo universali et ita continet implicite etiam voluntatem claves adeundi. Non autem requiri intentionem nisi habitualem constat ex usu ecclesiae, quae moribundis rationis usu destitutis claves administrat, dummodo de praeterita eorum voluntate constet. (Cf. thes. IX. p. II.). Atqui tales certe ne virtualem quidem habent voluntatem, quia hic et nunc non habent potestatem deliberandi et actus liberos ponendi, sicut in somno. Nec ulla est ratio cur habitualis non sufficiat.

Denique absentiam finis per se venialiter mali (sive sit motivus sive impulsivus) non requiri ad sufficientem dispositionem patet ex eo quod talis finis aliam dispositionem per se non impedit nec aliunde fructum impedire potest.

Ad 1. Cf. saltem locum ex Suarez in argumento citatum; et p. II ad 2. Deinde „non minus illae voces concilii 'peccatum commissum' [in definitione contritionis] conveniunt omni peccato praecedenti detestationem et

dolorem, quam illae voces eiusdem concilii 'peccatum de cetero' conveniunt omni peccato in posterum committendo. Sed non obstantibus verbis de peccato commisso' fatetur ipse Lugo et nos fatemur esse posse valorem [et effectum] sacramenti absque dolore universali omnium praeteritorum" Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6, n. 244

Ad 2. Qui non avertit voluntatem suam a peccato, de quo in futuro committendo cogitat, utique peccat; sed non tenetur cogitare.

Ad 3. Cf. rationes huius usus allatas in thes. II. p. IV, ad 9, e). Ceterum ita puniri potuit optime iterata retractatio propositi baptismalis in re gravi.

Ad 4. Non retractatur necessario totum propositum baptismale per quodvis singulare peccatum. Quodsi de facto retractetur, committitur peccatum, de quo non potest fieri attritio ex motivis particularibus.

Ad 5. In definitione contritionis data a Tridentino „propositum ponitur in obliquo: 'cum proposito non peccandi', acsi concilium significare vellet detestationem et dolorem continere propositum eamque detestationem dolorosam esse veram contritionem, quae propositum continet". Palmieri De poen. th. 20, V.

Ad 6. Respondemus concedentes cum Dicastillo contra Lugo (disp. 14 n. 56. 87) et Palmieri (th. 20, V) „assumptum et paritatem inter propositum et detestationem seque mutuo includere, quando motivum est idem. Neque id adversari Tridentino. Possemus enim imprimis respondere, quod quando concilium contritionem ait non esse solam cessationem a peccato et vitae novae propositum, sed veteris etiam vitae odium, ideo dixit, ne quovis proposito et cessatione putaretur contritionem circumscribi, sed tali, ut simul haberet odium praeteritorum, praesertim cum contritio et poenitentia praeteritam vitam connotent potius, quam futuram. Nam propositum de futuro potest esse in eo, qui non peccavit, et tunc propositum illud non habet proprie rationem poenitentiae et contritionis aut attritionis, etiamsi ex amore Dei aut metu inferni concipiatur. Cum autem posset esse aliquod propositum tale, ut neque in virtute illius, neque simul cum illo esset praeteriti detestatio, docet concilium non sufficere hoc tantum propositum et cessationem, sed simul veteris vitae odium. Quidquid autem sit de his omnibus, quae verissima sunt, germana solutio ex ipso textu deprompta est, quod ibi concilium assignabat requisita ad sacramentum confessionis, ut ea verba immediata declarant, dum ait 'quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur' Confessio autem praeteritorum debet esse atque adeo detestationem illorum involvere, et non tantum novae vitae propositum et cessationem antiquae. Ideo declarat 'sancta synodus hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere'. — Et sane naturalissimum est, ut potius ex vitae praeteritae detestatione oriatur propositum in futurum, quam ex proposito detestatio". Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6. n. 220.

Ad 7. Requiritur sub gravi ne quis recuset acceptare satisfactionem eam quae fuerit rationabilis; atqui sicut votum non potest fieri de vitandis omnibus venialibus, quia irrationabile est novo vinculo se obligare ad aliquid quod certo non observabitur, ita nec satisfactio talis potest imponi.

Ad 8. Propositum satisfaciendi requiritur eatenus, quatenus continetur in intentione vi clavium a peccatis se liberandi.

Ad 9. „Hoc unum deerat, ut Concina adderet etiam necessitatem audiendi prius praeconem fidei. Nam concilium eo loco dicit etiam Sess. 6 cp. 6 'fidem ex auditu concipientes'; immo addere debuerat necessario requiri etiam 'dolorem imperfectum' nec contritionem ex motivo caritatis sufficere, quia in eodem decreto legitur 'timore divinae iustitiae concutiuntur'." Ballerini, Opus mor. t. 5 n. 141. Cf. thes. XIII, p. III, ad 12.

Ad 10. Intentio satis est respectu iudicis determinata, si nullus alius habetur, erga quem potuerit determinari. Iam etiamsi quis intenderet sem-

per a solo A exclusive sibi claves administrari tamen, nisi talis intentio sit culpabilis et ipsa quoque dolenda, includitur condicio, nisi aliud fuerit necessarium, ut in periculo mortis Cf. thes. III Schol. 2. Ubi vero determinatio libera est, utique per intentionem adeundi claves, quae ad ipsum aditum debet antecedere, iudex determinatur; talis vero determinatio quoad personam non potest bene vocari dispositio.

Ad 11. Hoc est per accidens, quatenus fieri vix potest ut aliquis confiteatur nec habeat actualem vel virtualem intentionem suscipiendi sacramentum, nisi sit plane distractus. In moribundo certe non requiritur explicita intentio nec actualis (quam thomistae postulare solent saltem in attritione manifestata inclusam) nec virtualis, sed sufficit habitualis.

Ad 12. cf. arg.

Ad 13. „Nequit esse vera detestatio peccati admissi in eo, qui tristitiae sive doloris capax est, quin sit etiam cum tristitia et dolore“. Palmieri, De poen. th. 2), II. „Dolor eatenus est liber, quatenus libera est detestatio, ad quam naturaliter consequitur“. ibid. I

Ad 14. „Quamvis exterior actus confitendi (qui non est actus supernaturalis) possit imperari a fine illo vano aut malo, tamen actus internus simul adhibitus, quo quis tunc, ne mortaliter peccet, vult illum legitimum et sufficientem exhibere, non provenit ex eo malo affectu, sed ex honesta voluntate praestandi legitima omnia et requisita, ut sacramentum rite fiat; aliud enim est velle v. g. confiteri, communicare, baptizari verbis et actionibus externis, et hae actiones possunt quidem fieri ex aliquo veniali affectu; sed velle tunc praestare et habere actus internos legitimos, ut talis actio non fiat irrita omnino, vel cum mortali sacrilegio, bonum est et honestum.“ Dicastillo, De sacr. poen. disp. 8, n. 88.

## Thesis XII.

Detestatio ad valorem absolutionis requisita probabilissime nec debet esse actualis vel virtualis nec explicita, sed sufficit habitualis et implicita in quocumque alio actu.

Declar. Detestationem explicitam et actualem vel saltem virtualem requiri ad valorem absolutionis communior quidem sententia est, sed cohaerens magna ex parte cum satis recepta pridem doctrina thomistarum. thes. X, p. V reiecta. Sed explicita esse opus certe negant etiam De Lugo, De poen. disp. 14, n. 56, Ripalda, De ente supern., disp. ult. n. 473, M. de Esparza Cursus th. l. 10, q. 88, a. 4., et iam Navarrus, Enchir. conf. cap. 1, n. 18. Dolor implicitus est v. g. caritas perfecta; sed potest esse etiam multo imperfectior, sc. intentio ipsa adeundi claves ut censet Ballerini(-Palmieri), Op. mor. t. 5 n. 92. Dolorem habitualem sufficere saltem in nova confessione eorundem peccatorum (rite iam absolutorum) docuerunt Io. de la Cruz, Petrus Ledesma, Ianuarius, Io. de Salas et alii ap. Ballerini-Palmieri, Op. mor. t. 5. n. 134. Esse peccatum mortale defectum expliciti doloris quoad venialia in horum confessione statuunt Busembaum, Mazzotta et alii moralistae.

P I. Sufficit detestatio implicita.

Dub. 1. Quotienscumque fit sacramentum poenitentiae, requiruntur essentiales partes, quarum una est attritio, non virtualis tantum, sed formalis, uti constat ex doctrina concilii Tridentini. (Suarez).

2. Si unquam obligat praeceptum formalis poenitentiae, saltem obligare debet, cum sumendum est sacramentum poenitentiae. (Roncaglia).

3. Quamvis dolore virtuali receditur aliquo modo a peccato, tamen non destruitur revera praesens status peccati et aversio habitualis cum suis effectibus, nisi simul assumatur sponte dolor voluntatis seu tristitia poenalis, qua puniatur in nobis offensa. (Henriquez).

Res probatur hoc modo: Contritio, quam concilium Tridentinum docet sufficere ad dispositionem ad gratiam in sacramento non est intellegenda formalis exclusive sed sive formalis sive virtualis. De hac ibi agi apparet ex eo, quod dicitur Sess. 14 cp. 4: 'Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius'. Nam sine sacramenti institutione certe sufficiebat contritio implicita. (Cf. thes. VII, p. II, B).

Ad 1. Cf. argum.; praeterea etsi loqueretur concilium de contritione explicita requisita, intellegendum esset de eo quod per se, in communiter contingentibus opus sit (cf. thes. V p. II). Denique „concilium Tridentinum disserte exigit propositum eadem ratione ac dolorem. Ergo, si virtuale propositum satisfacit verbis Tridentini, nulla suppetit ratio, cur idem dicendum non sit, ubi agitur de dolore". Ballerini-(Palmieri), Opus theol. mor. t. 5, n. 84.

Ad 2. Dato praecepto formalis paenitentiae, (cf. thes. V, p. II dub. 1), negamus consequentiam. „Nam v. gr. contritio cadit sub praeceptum, v. gr. quando unicum tunc sit medium iustificationis, cum hanc adipisci teneris. Et tamen non cadit sub praeceptum, cum accedis ad sacramentum poenitentiae, quia sufficit attritio". Ballerini-(Palmieri), Opus th. mor. t. 5 n. 85.

Ad 3. „Haec doctrina prorsus falsa apparet in eo, quod supponat actum caritatis perfectae sine iustificatione consequente, immo caritatem coniungat cum habituali animae aversione a Deo Inanis autem est speculatio de necessario affectu satisfaciendi Deo; cum enim satisfactio consistat in detestatione et odio peccati, iam in praedicto actu haec habetur et Henriquez videtur confundere satisfactionem cum intentione satisfactionis, seu potius cum actu reflexo attentionis ad ipsum actum satisfactionis." Ballerini-(Palmieri), Opus th. mor. t. 5, n. 82.

P. II. Sufficit detestatio habitualis.

Dub. 1. Confessarius debet habere intentionem iudicialiter absolvendi: atqui si non habetur in suscipiente saltem virtualis intentio, non potest eum iudicialiter absolvere. Cf. etiam thes. XI. p. III. dub. 10.

2. Essentialis pars sacramenti debet cum aliis moraliter simul poni. Ergo detestatio dudum posita non sufficit ad valorem absolutionis.

3. Dolor requiritur ratione confessionis. Ergo saltem tunc non sufficit dolor habitualis de aliquo peccato, si fuit ex motivo particulari, post aliud mortale commissum et nunc cum confessio fit actualis detestatio solum prioris habetur.

Verum et haec pars firmiter stat. Nam detestatio habitualis non sufficeret aut eo, quod ipsa sit partialis causa gratiae (ex opere operato), aut quod confessio aliqua absolute sit necessaria sive ex natura sacramenti sive ex decreto concilii Tridentini, quae confessio necessario coniuncta sit cum detestatione actuali vel virtuali. Atqui detestatio non est pars constitutiva signi sacramentalis. Cf. thes. X., p. V. Et si esset, saltem tunc, si non valde distat ab absolutione, adhuc non obesset valori sacramenti; ut, si ex solo testimonio aliorum cognita est. Nec confessio talis est absolute necessaria, cum potestas iudicialis exerceri possit etiam condicionate. Cf. thes. X, p. V. *Ad. Špaldák*

# EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

*Fr. W. Foerster*, **Autorität und Freiheit.** Betrachtungen zum Kulturproblem der Kirche. Kempten u. München, 1910.

Hunc librum sapientiae plenum Krus in Z k Th. 1910 (34) p. 557—65 optime videtur aestimasse. Nobis, quae ad nos pertinent, cognoscenda et aestimanda sunt.

*F.* dicit: Schon die erste Kirchenspaltung, die den Osten vom Westen trennte, war ein großes Verhängnis nicht nur für den losgetrennten Teil, sondern auch für das innere Leben der abendländischen Kirche. In den Völkern des Ostens findet sich, wie dies die Slawophilen trotz aller ihrer Einseitigkeit mit Recht hervorheben, mehr unmittelbare Liebe zum lebendigen Christus und, bei aller Erstarrung der äußeren Formen, weniger vorlaute Intellektualität. Ohne jene erste Kirchenspaltung wäre darum wohl der Protestantismus überhaupt nicht aufgekommen, weil die Kirche der Renaissance in ihren vielen Äußerlichkeiten ein Gegengewicht an dem lebendigen Gefühle der slawischen Rasse gefunden hätte. Die griechisch-katholische Orthodoxie ihrerseits würde durch den Kontakt mit der westlichen Kirche vor dem erstarrenden Einflusse des zaristischen Absolutismus bewahrt geblieben sein, was dann auch eine unbedingt günstige Rückwirkung auf das ganze slawische Staatsleben gehabt und Rußland vor manchen krankhaften Erscheinungen seines Gesellschaftslebens bewahrt hätte.

So hat nun die römische Kirche — infolge einer unvorhergesehenen Konstellation geschichtlicher Ereignisse — für eine Zeitlang aufgehört, im strengsten Sinne „universell“ zu sein, d. h. sie hat gewisse mächtige Kulturelemente nicht zu organischer Einheit in ihre Ordnungen aufzunehmen und darin zu verarbeiten vermocht; in ihrer Seelsorge, ihrer Weisheit, ihrer Interpretation und Pädagogik kann daher jene geheimnisvolle, lebenspendende und lebenerhaltende Universalität nicht mehr zum v o l l e n Ausdruck gelangen, die ihr einst aus der wirklichen Einheit der Christenheit floß. Ja, aus lauter Gegenwirkung gegen die Separation kann sie selber zur Separation werden und allmählich an ihrer unvergleichlichen Assimilationskraft schwere Einbuße erleiden.

Nur aus unerbittlicher Erkenntnis dieser Sachlage können die Wege zur Heilung gefunden und die ersten Schritte zu einer, wenn auch noch ferner Wiedervereinigung getan werden. So wie selbst der Papst beichtet, so muß auch die Kirche die schonungsloseste Selbsterkenntnis ihrer menschlichen Gebrechen und Versäumnisse üben, wenn sie allen ihren ungeheuren Aufgaben gewachsen bleiben soll. Dann kann selbst jene große Spaltung ihr noch zum Segen gereichen.

Quae de populis orientis dicta sunt, de Graecis certe dici non possunt; haereses primorum saeculorum unde ortae sunt nisi a Graecis? Quas gentes occidentis doctrinae traditae tenaces prostraverunt. Slavi verius dici possunt plus tribuere cordi quam menti. Sed Russorum animi mollitia et agendi nulla cupiditas in virtutibus vix est ponenda. Cultus vero ss. Cordis per occidentis gentes diffusus testimonio est, quam non sit remota a sensu pietas catholica.

Protestantismus ideo invaluit, quod orientalium iudicium neglectum est ab iis, qui defecerunt, ideo facile incrementa capere potuit, quod Germaniae nationes eo tempore nondum mores barbarorum exuerant. Sed *F.* illud videtur dicere velle protestantismum propter errorem suum periturum fuisse optimo quoque ad catholicismum reverso nisi, ut ait p. 143, „katholische Einseitigkeit stets aufs neue dafür sorgte, dass das zentrale religiöse Element des protestantischen Gewissens immer wieder mächtig zum Leben erwacht, um sein ewiges Recht zu verteidigen“. At quae pars neglegitur a catholicis? P. 142 inculcat „dass der furchtbarste Schaden, den der Katholizismus durch die grosse Spaltung des 16. Jhd. erlitten hat, wohl darin lag, dass die Kirche von nun an auch die religiöse Freiheit innerhalb der katholischen Christenheit ängstlich, ja sogar feindselig zu betrachten begann.

Das persönliche Gewissen, die subjektive Frömmigkeit, die Mystik des inneren Erlebens, die evangelische Unmittelbarkeit, die einst mit zum Wesen der anima catholica gehörten und neben der intellektuellen Auslegung des Dogmas das geistige Leben in der Kirche getragen hatten — sie wurden allmählich von Grund aus verdächtig; der Kampf gegen den separierten Protestantismus übertrug sich auf alle die Seelenelemente, die sich im 16. Jhd. durch die Sezession kompromittiert hatten, bis man endlich in neuester Zeit dazu gekommen ist, schon das Wort „Erleben" als ein Symptom protestantischer Selbstherrlichkeit zu denunzieren. Es genügt heute vielen übereifrigen Katholiken, dass etwas auch protestantisch ist — es kann dann nicht mehr katholisch sein; Katholizismus ist für sie: Christentum minus Protestantismus . . Die Kirche assimilierte und sozialisierte nicht mehr die freiheitlichen Lebenstendenzen, sondern entwickelte sich zu einer Widersacherin gegen gewisse Geistesrichtungen, die einst ein Bestandteil ihrer eigenen Kulturmacht waren . . Sie glich mehr und mehr einer Mutter, die nur für den einen Sohn die rechte Sprache findet, während der andere, der ihrer Führung am meisten bedurft hätte, keinem Verständnis mehr begegnet und endlich in kaltem Trotze in die Fremde zieht." Haec omnino falsa esse quis dixerit? Natura id videtur ferre. Consentientem habet Vl. Solov'evium, cuius ipse (p. 151—2) haec verba affert (Sočin. IV, p. 104): Katoličestvo pervoe rěšitel'no vneslo načalo progressa v cerkovnuju žizn', priznav, čto zadača etoj žizni ne isčerpyvaetsja ohraneniem dannyh osnov Cerkvi, no obnimaet i eja vněšnee dějstvie na mir dlja sozidanija v nem hristianskoj kul'tury. No opreděljajuščim načalom dlja etogo děla katoličestvo priznalo tol'ko vselenskuju duhovnuju vlast' Meždu těm soveršenie Cerkvi ili sozdanie hristianskoj kul'tury v mirě trebuet, kromě rukovodstva vselenskoj vlasti, takže i svobodnago dějstvija ličnyh čelověčeskih sil. Takija sily osvoboždeny protestantstvom, i v etom ego značenie. Pravda rěšajuščij golos ličnoj sověsti i svoboda ličnago dějstvija vsegda v principě priznavalis' Cerkov'ju, kak na Vostokě tak i na Zapadě, i slědovatel'no istina reformacionnoj idei vsegda byla v Cerkvi. No na praktikě eta ideja sliškom zaslonjalas' drugimi cerkovnymi načalami — predaniem na Vostokě, avtoritetom na Zapadě.

Certe pectoris angustiae et fanatismus religiosus quorundam catholicorum aliquando mala innumera ecclesiae catholicae gignunt cum studio importuno abrepti contra omne id, quod illis catholicum esse non videtur, altos extollunt clamores. At haec ecclesiae catholicae minime sunt tribuenda, quae filios suos bono ubicumque inveniatur studere non prohibet. Sunt catholici, qui in vita sociali, non solum cum christianis aliarum confessionum, verum etiam cum atheis et socialistis rem communis boni defendunt unaque via progrediuntur. Item opera ipsius clar. scriptoris testimonio sunt, quippe quae in alias linguas conversa (ut in italicam) approbationem auctoritatis ecclesiasticae nacta sunt, quia nunquam respuit ecclesia catholica eos, qui Christi regnum propagare conantur. Verum modo ecclesia catholica cautius severiusque agere videtur, periculum enim imminet navisque Christi fluctibus agitatur. Aegre fert d. Förster etiam vocem „Erleben" nunc esse suspectam; sed quid faciendum? Nonne aliis temporibus, dum haereses grassabantur, etiam tales voces, ut „ingenitus" et „genitus", periculi plenae habebantur? His vero temporibus, dum modernismus, iste haereseon cumulus, longe lateque serpit summa prudentia etiam in eligendis vocibus non est servanda? Summa auctoritas ecclesiae nunquam veris catholicis odio est, quia libertatem eorum non opprimit, sed gressus eorum corrigit dirigitque, ad quod illi ab ipso Deo potestas data est. Ne reformatio quidem, quae dicitur, ideo a catholicis reprobatur, quod elementa intestina seu spiritualia (das persönliche Gewissen, subjektive Frömmigkeit, Mystik des inneren Lebens, evangelische Unmittelbarkeit) colere conabatur; haec enim, etiam ante reformationem apud catholicos admodum floruisse inter omnes constat (conf. opera Jansenii, Denifle aliorum). Ceterum ostendant nobis protestantes quid etiam post reformationem catholicis in

hac parte desit, unde ab universalitate videatur defecisse?*) Porro quo loco ecclesia evangelica modo versetur et quomodo in illa, tempore procedente, ipsa Lutheri aliorumque reformatorum doctrina, qui nomine Christi Dei gloriabantur, mutata sit, ut plurimis locis ne christiana quidem vere vocari possit scit ipse cl. scriptor. Unde nil mirum a catholicis protestantes simpliciter intellegi iam non posse; utrique enim prorsus diversa ratione ducuntur, illi Christum Deum-hominem hi Christum merum hominem profitentes. Nihilominus ea quae apud protestantes bona catholicis esse videntur ab iis minime negleguntur. Ecclesia catholica est, quae contra Lutherum aliosque reformatores, firmiter tenuit et docuit non solum eos, qui gratia baptismatis sunt regenerati, verum etiam paganos opera bona perpetrare posse. Quamobrem si quidam catholicorum falso timore adducti censent catholicismum esse „Christentum minus Protestantismus", ipsa ecclesia haec minime dicet, licet etiam sine protestantismo nulla re careat.

Sed haud enim scio an paucos nominare possit viros egregios, quos neglecta haec pars, quae protestantismo tribuitur, ab ecclesia reppulerit.

Quae *F.* de „absolutismo" Imperatoris Russiae dicit, verissima sunt. Sed Romanam ecclesiam dicitur desiisse aliquo modo universalem esse, quatenus nec parem se praebuit omnibus gentibus in se recipiendis eisque educandis, ut suae manerent, nec iis, quae defecissent reconciliandis. Verum est multa vitia educando tolli posse, multa mala caveri. Quod munus est singulorum ecclesiae ministrorum, quibus, si muneri defuerunt, calamitas tribuenda est, non ecclesiae. Verum multa posceret, qui ab iis postularet, ut impedirent, quominus, ut exemplum afferam, imperator aut unquam peccaret aut auctoritate sua alios seduceret.

Papam non solum in rebus privatis, sed etiam in rebus ecclesiae administrandis aliquando errare posse nemo catholicus negat (Cf. Katholik 1905. p. 290). Nec quemquam negaturum puto, orientis ecclesias ab ecclesiis occidentis nonnihil neglectas esse; illud „omnia omnibus fieri" ut saepe postea ita nec tum esse servatum. Sed nos facile vitium cognoscimus post eventum, quem praevidere Romani pontifices non poterant.

Tamen etiam hic observandum est ecclesiam catholicam multo plus ad concordiam cum ecclesia orientali conservandam et restituendam fecisse quam ipsam orientalem ecclesiam quae ab eo officio, quod est maxime ecclesiae Romanae, separatione omnino liberata non est. Nihil neglexit, ut viam planiorem facilioremque orientalibus redderet; quos conatus non omnino irritos fuisse, haec circiter septuagies centena milia orientalium cum ecclesia catholica coniunctorum documento sunt. Item impedimenta illa maxima sicut Tartarorum in Russiam, Turcarum in Graeciam incursiones, consideranda sunt. Neque protestantium vestigia neglegenda sunt, per quos factum est, ut doctrina catholica depravata et detrectata Russis horrorem et fastidium afferat.

Gratissimi erimus celeberrimo paedagogo, si nos doceat, quibus modis tractandi sint vel fuerint orientales; sed in iis, quae hac de re indicavit, accurationem desideramus. Illud, quod dicit pestem maximam esse in ecclesia huius temporis, magis timendam quam cetera modernismi genera — angustias quasdam animi, defectum universalitatis libertatem quam maximam concedentis (p. 132: Unter der Universalität ist gewiss keineswegs zu verstehen, dass jeder individuellen Stimmung und Laune ihr Plätzchen eingeräumt werde, wohl aber verlangt die Universalität, dass allen grossen und echten Bedürfnissen der in Christus geeinigten Seelen der denkbar größte Spielraum gewährt werde, statt dass nur der Geist bestimmter Gruppen und Schulen in einseitiger Weise die Gesamtkirche repräsentiere und keine irgendwie abweichenden Richtungen zu Worte kommen lasse"), illud, inquam, certe ante protestantismum fuisse impedimentum unionis non videtur existimare (cf. p. 142).

*) Cnf. libellum egregium A. de Poulpiquet O. P. „La notion de catholicité". Ex serie „Questions théologiques" Bloud. Paris.

*Albert von Ruville,* **Das Zeichen des echten Ringes**. Berlin 1910 (p. 166).

Ex hoc libro exscribenda hic quaedam videntur.

Demut war es, wenn die Päpste im Hinblick auf Jesu Auftrag und in Sorge um das Wohl der Christenheit ihre Macht entfalteten; Hoffart hingegen, wenn sie dabei ihrer eignen Ehre, ihres eignen weltlichen Vorteils gedachten. Eine maßgebende Beurteilung des Einzelnen kann nicht der Geschichtsforscher, sondern nur Gott im Himmel geben. Im ganzen aber ist das Papsttum seiner Bestimmung getreulich nachgekommen, wenn auch nicht immer die rechten Grenzen eingehalten wurden. Seine gewaltige Stellung berechtigt nicht, ihm die Demut abzusprechen. Es war im Gegenteil zu deren Übernahme verpflichtet und bekundete darin seinen Gehorsam.

Anders stand es mit den Bischöfen, unter denen lange Jahrhunderte hindurch hie und da ein gewisser Gegensatz zur päpstlichen Oberleitung vorhanden war. In jener Zeiten, da der durch Christi Wort bestehende Primat noch nicht durch klare kirchliche Satzungen in die Erscheinung getreten war, konnten sie im guten Glauben große Selbständigkeit behaupten. In Ansehung dieses guten Glaubens an ihr Recht war ihr Verhalten mit echter Demut vereinbar. Sobald aber die päpstliche Obergewalt zur allgemeinen Anerkennung gelangt war, mußte jede Auflehnung dagegen als Sünde, und wenn sie grundsätzlich erfolgte, als Abfall von der Kirche betrachtet werden. Nunmehr lag eine offenbare Verleugnung der Demut vor, da der Schuldige sein Urteil über das der Kirche stellte, sich anmaßte, in einer überirdischen Frage — denn eine solche bedeutete der Primat — aus sich heraus maßgebend zu entscheiden, und zwar im Widerspruch mit der Gesamtheit.

Auflehnung war es, als die griechische Kirche sich von der römischen Mutterkirche trennte, denn die päpstliche Lehrgewalt, der päpstliche Primat stand bereits in Geltung, oftmals, wenn auch in enger Beschränkung, anerkannt von den Kirchenhäuptern des Ostens. Daß sie die Wahrheit völlig verkannt hätten, ließ sich nicht behaupten.

Freilich fanden sich Gründe genug, die den Abfall zu rechtfertigen schienen. Wie hätten die grundgelehrten Theologen von Byzanz nicht solche in Fülle aufstellen sollen? Auf geschichtlichem Wege ließ sich die Bedeutung des päpstlichen Vorrangs herabdrücken, die Geltung der andern Patriarchate namentlich des byzantinischen, heraufschrauben. Die Abweichungen in der Lehre ließen sich verteidigen und auf apostolischen Ursprung zurückführen. Man konnte Fehler und Übergriffe der Kurie heraussuchen, um daraus die Notwendigkeit der Abtrennung zu erweisen. Wenn man sich darauf einläßt, alle diese Ausführungen, wie sie sich in Synodalbeschlüssen, Briefen, Abhandlungen finden, mit den römischen Gegenbehauptungen in Vergleich zu stellen, so wird des Streitens kein Ende und ein festes Ergebnis nie erreicht. Die Gesinnung gilt es zu erkunden, und da wird man denn bei sorgfältiger Prüfung der Schriften bald die wahre Sachlage herausfühlen. Man wird merken, daß in Rom das Bestreben herrschte, Einheit und Ordnung der Gesamtkirche zu wahren, was ohne Behauptung und Ausbau der alten Stellung unausführbar, in Konstantinopel dagegen, den Patriarchenstuhl zu erhöhen und dem römischen gleichberechtigt an die Seite zu stellen, wodurch jede oberste Leitung und Lehrgewalt in Wegfall gekommen wäre. Dort Pflichterfüllung, hier Emporstreben, dort letzten Endes trotz mancher Schroffheiten Demut, hier im tiefsten Grunde trotz mancher echt christlichen Kundgebungen Überhebung . .

Bei dem Streit zwischen der orientalischen und römischen Kirche wird noch heute viel zu sehr der dogmatische und der geschichtliche Gesichtspunkt betont. Die Vertreter beider Richtungen, namentlich aber die griechisch Orthodoxen, suchen gewissermaßen urkundlich, auf Grund von Geschichtsforschung, einmal die Übereinstimmung ihrer Lehre mit der apostolischen zu erweisen und dann die Rechtmäßigkeit ihres Verhaltens

bei der Trennung darzulegen, den andern Teil des Abfalls zu bezichtigen. Man mag das immer tun, soll aber nicht glauben, damit zur Entscheidung zu gelangen. Es bleibt ein unfruchtbarer Gelehrtenstreit, ein Prozeß ohne Richter. Zum Ziele kann man nur kommen, wenn man grundsätzlich vorgeht. Man muß von vornherein feststellen: Jesus hat eine Kirche gründen wollen, die jederzeit einig blieb, die den Lehrgehalt unverfälscht bewahrte. Er hat dazu die Bestellung eines übernatürlich begabten Richters für nötig erachten müssen und tatsächlich erachtet. Zweitausendjährige Erfahrung hat ihm recht gegeben. Sie hat gezeigt, daß ohne Mitwirkung eines solchen Richters Zwietracht nicht zu hindern und nicht zu beseitigen ist. Dadurch erhält wieder die urkundlich feststehende Tatsache der Bestellung ihre beste Bekräftigung.

Diejenige Kirche ist also die echte, die einen obersten Richter kennt, die unter dem Schutze eines obersten Richters steht, und zwar eines demütigen Richters, d. h. eines solchen, der seine Gewalt von Jesus Christus herleitet. Dafür kommt nur die römische Kirche in Betracht, die einen unfehlbaren Glaubenslehrer besitzt und von ihm anerkannt wird. Die orthodoxe Kirche stützt sich einerseits auf den toten Buchstaben, auf die geschichtlichen Quellen, aus denen von irrtumsfähigen Gelehrten der Glaube immer wieder erschlossen, festgelegt und verteidigt wird, andrerseits auf Versammlungen von Apostelnachfolgern, die des Hauptes entbehren und daher einen schwankenden Willen haben müßten, wenn nicht stets ein weltlicher Schützer vorhanden wäre und gewesen wäre, der den Willen festigte. Dieser weltliche Schützer aber ist kein Träger der christlichen Demut, da sich seine Gewalt nicht sakramentarisch von Christus herschreibt. Sobald er in Wegfall käme, würde sich wie im ersten christlichen Jahrtausend zeigen, daß Versammlungen ohne Haupt keine Lehrgewalt darzustellen vermögen, daß mit Gelehrsamkeit allein kein Glaubensbau unverletzt erhalten bleiben kann. Die römische Kirche stützt sich auch auf heilige Urkunden und Schriften, aber in letzter Linie immer auf den unfehlbaren, übernatürlich bestellten, von Christus geistlich abstammenden Glaubenslehrer. Sie ist eine wahrhaft lebendige Gestaltung, die ihren Lehrbau rechtsgiltig und in voller Demut zu entwickeln imstande ist. Ihre Lehren sind Christi Lehren, auch wenn sie reicheren Inhalt aufweisen als die Worte des Herrn und der Apostel, denn der Heilige Geist ist in ihr tätig. Wer dieser Kirche ihre Echtheit wegzubeweisen meint, der beweist damit noch längst nicht die Echtheit der orthodoxen Kirche, sondern leugnet nur, daß es überhaupt eine christliche Kirche gibt.

Freilich hatte die Verselbständigung der griechischen Kirche auf den Glauben wenig Einfluß. Die Verehrung des Althergebrachten, wie sie gerade im Osten vorwaltete, bewirkte, daß man keine schlimmen Abwege einschlug.

Immerhin blieb die Sonderung ein verwerflicher, weil aus Überhebung entsprungener Zustand. Diese Überhebung aber war vorhanden schon lange ehe es zum Abfall kam. Wenn man auch im Osten ehemals den Primat nicht leugnete, so maßte man sich doch an, über ihn wie über andere Grundfragen selbständig zu urteilen, über seine Rechtsbeständigkeit wie über seine Bedeutung. Schon damit nahm man einen falschen Standpunkt ein. Der Stolz, der sich darin aussprach, war nicht aus der Kirche, sondern aus der Welt heraus geboren. Das gewaltige Selbstgefühl der oströmischen Kaiser, die sich des Rechtes auf Weltherrschaft berühmten, übertrug sich auf die Kirchenhäupter von Byzanz und wurde von ihnen den Päpsten gegenüber zur Geltung gebracht. Wie der neue Kaisersitz dem alten, so sollte auch der Patriarchat von Konstantinopel dem von Rom gleichwertig sein, während tatsächlich kirchliche Überlieferungen das Entscheidende waren. Solche Überlieferungen wurden erst nachträglich herausgesucht.

Gewiß wurden auch andere Gründe von den Byzantinern ins Feld geführt, namentlich Verfehlungen, weltliche Gesinnung und weltliche Politik der Päpste, aber nicht diese Dinge waren bei ihnen das Entschei-

dende. Die eigentliche Abtrennung fand statt gerade als und weil sich im Abendlande gewaltige kirchliche Reformen (man denke an Cluny) vollzogen, als und weil sich die reinsten Vertreter des christlichen Geistes aufs entschiedenste dem Papsttum zuwandten, dem sie gleichzeitig diesen Geist aufs neue einzuflößen wußten. Daraus ersieht man klar, daß nicht die religiöse Bestrebung, sondern der Ehrgeiz den Ausschlag gab.

Dieser Ehrgeiz, dieser Stolz darf nun keinesfalls persönlich gefaßt, den Personen der Patriarchen zugeschrieben werden. Hätten diese mit den Päpsten ihre Stellung getauscht, so wäre vermutlich auf keiner Seite ein anderes Verfahren eingeschlagen worden. Die Verhältnisse, die ganze Lage der Christenheit brachten es mit sich, daß die Byzantiner um die Gleichstellung rangen. Eine schwierige Grundfrage war es, um die es sich handelte, und diese Grundfrage konnte weder einseitig von Rom aus noch durch Vergleich gelöst werden. Keine Nachgiebigkeit, kein versöhnliches Entgegenkommen hätte wohl den Bruch zu hindern vermocht. Die Lösung mußte und muß der Erfahrung einer langen geschichtlichen Entwicklung überlassen bleiben. Es war nötig, daß der eigenwillige, auf alte Rechte pochende Teil der Christenheit erst einmal sich selbst überlassen wurde. Um so fester konnte sich dereinst in der Zukunft die Verbindung gestalten, wenn der Stolz durch Erlebnisse gebrochen war. Diese Zukunft ist noch heute nicht erschienen, aber die Geschichte der Kirche zählt nicht nach Jahrhunderten, sondern zum wenigsten nach Jahrtausenden.

**Revue internationale de Théologie.** 1909. 1910 (XVIII).

Prof. Dr. *J. Friedrich.* Einige Bemerkungen zu des Jesuiten Granderath Geschichte des vatikanischen Konzils. Avril-Juin 1909, No. 66, p. 209—243.

Dr. J. Friedrich primo contra adversarios suos, quos in litteris et fide multos, praesertim a. 1870 nactus est, se defendere conatur; ex quibus praeclara nomina Ketteler, ep. Moguntinus, Hergenröther, Cornely S. J., prof. Merkle Dillingensis aliique. Quibus obiter perstrictis, Friedrich animum ad grande opus a Granderath de Vaticano concilio conscriptum, difficultates movens applicat.

1. Prima difficultas contra Granderath ex Ketteler petitur, de quo Granderath scribit: „Sie (die Bischöfe der Deputation) trugen dem Papste ihre Bitte vor u. Ketteler soll vor ihm auf die Kniee gefallen sein u. ihn angefleht haben, durch Nachgeben in den beiden Punkten die Einmütigkeit in der Abstimmung herbeizuführen. Was der Papst . . (p. 214)." Contra hac verba *Fr.* ad ipsius Ketteler verba provocat (epist. de sermone, quem Constantiae habuit): „indem er zweitens in der bekannten höhnischen Weise wieder von meinem Kniefall (sc. quod dicunt factum esse, sive reapse factum est sive non est) vor dem Papste redet... Einer Kniebeugung vor dem Papste als dem Stellverstreter Christi hat sich gewiss kein Bischof zu schämen (scilicet etsi id factum esse verum sit)". Quare cum Pfülf (in vita Ketteleri III, 111) dicimus factum historice nondum omnino constare. Quae Friedrich ex litterarum commercio legationis Poruss. hausisse se dicit, inspicere non possumus: neque ipse hac de re copiose vel clare loquitur.

II. „Friedrich erzählt .., dass Kardinal Guidi gleich nach der Sitzung zum Papste beschieden und wegen seiner Rede scharf angelassen worden sei. Er weiss genau, welche Unterhaltung zwischen dem Papste und dem Kardinal stattfand. Als Guidi sich für seine Lehre auf die Tradition berief habe ihn Pius IX. lebhaft unterbrochen u. erklärt: „Die Tradition bin ich." Dass der Papst den Kardinal zu sich beschieden hat, wird richtig sein, aber welche Unterredung zwischen beiden stattfand, ist so wenig festzustellen, dass es sich nicht lohnt, die darüber in Umlauf gesetzen Gerüchte weiter zu beachten (p. 221)." Friedrich pro se allegat Ollivier (cf. eius K. G. III. 1114 n. 3) et epistolas legat. Por. de 24. Iunio. Alii rem negant v. g. Bavaria: „Der einzige Zeuge über die Audienz Guidus ist Friedrich Darboy archiep. Parisiensis libellum edidit: „La dernière heure du Concile;"

in quo illud idem continetur. Qui quidem libellus damnatus est sed quo hoc iudicium pertineat non constat. Sed nulla est ratio rem dissimulandi. Nonne papa est infallibilis custos et iudex traditionis? Hoc Pius IX. dicere voluit, non traditionem nihil esse, de illo lis erat.

III. De sermone et colloquio Audu, patriarchae Chaldaeici cum Pio IX. habito, qua de re Friedrich K. G. III, 466-7 egerat, Granderath exponens *Fr.* displicet. In ipsa re nulla est difficultas, nisi quod praesul Chaldaeorum pertinax fuerit.

IV. Deinde Friedrich agit de quaestione tum agitata, utrum infallibilitas acclamando definienda sit, et contra Granderath se defendit, negans, se praesidio concilii eam mentem tribuisse, quasi per dolum acclamandi modo episcopos definire quod placeret voluissent Quae fuisset in re difficultas, si maior pars episcoporum sponte ad sermonem v. g. a Manning aliove praesule habito, infallibilitatem „acclamando pronuntiasset, non apparet.

V. De prooemis schematis de fide propter minas regis Porussiae mutato. In ipso textu verbum „pestis" de protestantismo aliaque similia dicta erant, quae cum rex Porussiae cognovisset poenis in catholicos maxime episcopos propositis delevit. „Nun gestehe ich Granderath allerdings zu, dass er nicht wissen konnte, dass meine amtlichen U. Qu. mit den Akten des Berliner Auswärtigen Amtes identisch ist (Int. Thél. 66, p. 239)." Opportunum igitur visum est, verba nonnulla mitigare, ne maiora mala sequerentur, licet vera essent, loco „pestis", „impietas" ponere etc. Quod Friedrich deinde negat (p. 242, 243), sermones episcoporum ad res concilii momentum habuisse, verum non est. Facile enim perspicitur, quomodo episcopi suffragium decretorium ex his sermonibus formaverint.

*Schirmer,* Zur Literatur des XIX. Jhd. über Wiedervereinigung der getrennten christlichen Bekenntnisse, ibid. p. 311 – 321. Scriptorrem primoribus tantum labris videtur attigisse.

*Menn,* Zwei wichtige Eigenständnisse. 1910 No 70, p. 292—310.

Duo magna documenta *M.* invenit in opere principis Max Saxonici, quod inscribitur „Vorlesungen über die orientalische Kirchenfrage"; quae enim de Immaculata Conceptione B. M. V. et quae de primatu dicat, iis et modernismum defendi et veterocatholicorum sententias probari. De priore dogmate concedendum revera est, occidentales assensum orientalium non fecisse facilem. Scriptores imperiti, qui in hanc rem vel dogmatice vel historice inquisiverunt, testimoniis ineptis collectis nocuerunt, non profuerunt. Quare recte dicit pr. Max: „Wenn man Stellen in einem andern Sinn gebraucht als sie gemeint waren, dient man der Wahrheit nicht." Sed tollendum non est, quod est praecidendum. Non minus impedimentum videtur nomen ipsum quod dogma procedente tempore induit, esse, quominus, ut de falsis opinionibus taceam, accurate res comprehendatur nec inepto modo defendatur. Si enim semper loqueremur de B. V M. peccato originali numquam affecta, res esset facilior. Neque apud Graecos patres quaerendum est illud: B. M. V. immaculate conceptam esse, sed liberam fuisse a peccato originali. Neque hoc his verbis expressum sit necesse est, quibus clarissime res exprimitur, sed verbis, quae simili obscuritate vel claritate dogma id significant qua significari solet, cum verba Immaculata Conceptio adhibentur. Atque eiusmodi verba occurrere apud antiquos Patres graecos satis demonstratum est (cf. Sl. l. th. II. 17). — De altero documento, quod est de primatu, longum est hic exponere Vincentii Lirinensis doctrinam. *O. Židek*

# Slavorum litterae theologicae.
## Conspectus operum recentium et Commentationes irenicae.

Dirigentibus

Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae
E. Matzel, Chyroviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal, Zagrabiae.

Annus VI. (1910) Pragae Bohemorum. Nr. IV.

## BOHEMICA.

Th. Dr. *Antonín Brychta*, **O jmění církevním a jeho správě.** Dle pramenův a s ustavičným zřetelem k novějším a nejnovějším církevním i státním normám a předpisům. **(De peculio ecclesiastico eiusque administratione.** Iuxta fontes, cum perpetuo respectu ad noviores novissimasque Ecclesiae et Reipublicae normas ac praescriptiones). Reginae Hradecii 1910, sumptibus propriis, pagg. 654.

Doctrina de peculio ecclesiastico eiusque administratione ad eas pertinet materias, quae non solum theoreticum, sed etiam practicum habent momentum, ideoque tum canonistas ex professo tum sacerdotes in cura animarum laborantes summopere occupant. In libris iuris ecclesiastici, qui enchiridiorum instar in manibus cleri reperiuntur, eiusmodi materiis non talis potest cura tribui, prout decet; deest enim necessarium tempus. Qua de causa summo cum gaudio excipitur omnis liber bene recteque scriptus, qui hanc vel illam theoretico-practicam iuris ecclesiastici materiam pertractat. Quod cum in genere valeat, valet sane eo potius de memorato libro p. t. domini Dris A. Brychta. Multos per annos munere professoris iuris canonici in episcopali instituto theologico Reginae Hradecii fungens, itemque per longam annorum seriem in episcopali consistorio Reginae-Hradecensi qua referens in rebus iuridicis occupatus, optimam nactus est notitiam eorum, quae peculii ecclesiastici administrationem respiciunt; et si insuper indefessa praeclari auctoris in perscrutandis variis fontibus ac libris diligentia consideratur, cuius testimonia in permultis articulis scientifico-practicis ephemerides nostrae scientificae exhibent, iam quasi a priori iudicium ferri potest, opus ab eodem auctore exaratum bonum omnique recommendatione dignum esse.

Atque ita revera esse, patet omnibus librum diligenter inspicientibus. Opus enim praeter introductionem, ubi de peculii ecclesiastici origine agitur (pag. 9—62), tribus absolvitur partibus, quarum prima de peculio ecclesiastico in genere, altera de eodem peculio in specie, tertia de eius administratione agit. In p a r t e p r i m a, in duas divisa sectiones,

auctor tum peculii ecclesiastici iuridica fundamenta tum infausta pro eodem temporum adiuncta pertractat, ita quidem, ut sectio prima de iure Ecclesiae bona acquirendi (art. I.), de Ecclesiae in iisdem acquirendis independentia (art. II.), de variis ea acquirendi modis (art. III.), de dominio bonorum ecclesiasticorum (art. IV.) nec non de sic dictis amortisationis legibus (art. V.) loquatur, cum e contra quattuor articuli sectionis secundae praesertim bonorum eccl. saecularisationem pro obiecto habeant. Notandum etiam, articulo I° sectionis primae duo inserta esse scholia, quorum primum omnimodam Ecclesiae activitatem beneficam proponit, alterum vero Ecclesiam societatem perfectam esse demonstrat. — Etiam pars secunda duas continet sectiones; in prima, breviore, sermo fit de peculio Ecclesiae sacro, i. e. de rebus sacris et benedictis nec non de origine ac variis piorum institutorum generibus; altera, longior, tractatum continet de peculio Ecclesiae communi, in specie de primitiis, variis fidelium oblationibus, decimis (art. I.), de beneficiis ecclesiasticis (art. II.), missarum fundationibus (art. III.), de clericorum peculio (art. IV.) atque de clericorum testamentis. Prouti patet, pars. II. tractatus continet res summi momenti, id quod aequali modo valet etiam de parte tertia, quae in duabus sectionibus, sex articulis constantibus, de bonorum ecclesiasticorum administratione iuxta praescripta legis ecclesiasticae et civilis austriacae agit, ubi speciali mentione digni sunt sectionis secundae articulus V. et VI., quorum primus de s. d. fundo religionis eiusque administratione, alter de bonorum ecclesiasticorum alienatione disserit. Universo operi quaedam allegata, numero septem, addita sunt, quae legum civilium huc spectantium textum exhibent, nec non „Index rerum“, qui libri materiam ordine alphabetico proponit.

Liber Dris Brychta, bene ordinatus et non solum in textu, sed etiam in notis ingentem materiam ex operibus litterariis diligentissime collectam proponens, optima commendatione dignus est, id quod etiam nostra ex parte hisce fit. Dr. *J. Tumpach.*

*Jos. Rybák* S. J., **Křesťanská askese ve světle pravdy. (Ascesis christiana veritatis luce illustratur).** Olomouc 1910. 68 pag.

Hic liber parvae molis est et etiam iis, qui minus docti sunt, accommodatus, sed multa nova continet et res via ac ratione tractatur. Nec enim usquam in facultate theologica hoc modo de ascesi exponi solet nec facile librum inveneris, quo eadem accuratione in rem inquisitum sit.

Capite primo diligentissime exponitur notio asceseos christianae. Fr. Neumayeri, Jul. Mayeri, Fr. Lutzii definitiones reiciuntur; ascesis non est exercitium virtutum nec industria, qua ad ultimum finem tendimus, sed est pugna contra spiritum mundi; nec ad proprie dictam pertinent actus, qui lege naturali praecepti sunt. Contra calvinistas et orthodoxos (Zarin) probatur esse praeter mandata consilia.

Altero capite quid intersit inter christianismum et ethnicismum antiquum et novum exponitur, inter spiritum (praecepta) Christi et mundi.

Tertio quaeritur de fundamentis dogmaticis asceseos. Cur hanc vitam aerumnarum plenam vivamus multi vario modo explicare conati sunt, perfecte autem ad hanc quaestionem responderi non potest nisi intellectu fide illuminato. Mundi huius condicio non est ea, quae esse debuit, non est normalis, mors et quidquid inest caduci, non esset, si angeli non peccassent, quos inter et materialem mundi partem internus nexus cum s. Thoma statuitur. Porro hominis non fuisset cum diabolo pugnare (2 Petr 2, 19), si angeli non peccassent. Quem Deus e terra fecit sed in paradiso posuit, ut similiter caduca huius mundi forma indutus vinceret diabolum, ac Christus homine victo carne servique forma indutus eum superavit. A Christo redempti sumus, sed forma mundi caduca, spinae et tribuli relictae sunt, ut cooperemur cum Christo capite nostro, in redemptione nostra et mundi.

Quarto capite diligenter inquiritur, quos affectus vita ascetica ferat, gaudium an tristitiam gaudium perpetuum commendatur.

Cap. V—VII agitur de pugna contra cupiditatem sensuum, contra libidinem possidendi. contra superbiam et definitur, quibus actibus his occurri possit ac debeat: semper esse amplectenda et ceteris paribus semper quaerenda, quae minus iucunda sunt, quae ad honores et divitias et agendi arbitrium pertinent. Quando autem illa „cetera paria" sint, accurate determinatur.

Cum liber hic et solidae doctrinae plenus sit et apologeticam vim contra modernistas et positivistas habeat, dignus est qui a plurimis legatur et in alias linguas vertatur. *Franciscus Xav. Halbich.*

Dr. *Jos. Samsour:* **Obrazy z dějin církve katolické.** 1. Církev a vzdělanost ve středověku. — 2. Galileo Galilei a jeho odsouzení. (**Imagines ex historia ecclesiae catholicae.** 1. De ecclesia et cultura aetatis mediae. 2. De Galileo Galilei eiusque condemnatione.) Hlasy katol. spolku tiskového, roč. 41. čís. 4. (Pragae 1910, in commissione Gustavi Francl, bibliopolae. Pag. 112. Pret. 1·10 Cor.

Bibliotheca librorum populariter scriptorum, quae »Hlasy katolického spolku tiskového« (Voces societatis catholicae) nominatur, iamque annum 41. agit, iam aliquot opuscula Dris. Josephi Samsour (professoris historiae ecclesiasticae in theologico instituto episcopali Brunnensi continet, quae ei ornamento sunt. Quorum opusculorum novissimum, quod supra nominavimus, duas theses exponit, quibus haud deest momentum vere temporarium. In prima calumniatores refutantur, qui aevi medii ecclesiam scientiarum, artium omnisque culturae hostem fuisse fabulantur. Auctor perpulchre novisque documentis demonstrat, quomodo ecclesia eo tempore religionem propagaverit (§ 2.), disciplinas et artes coluerit (§ 3.), etiam salutem fortunasque huius vitae et profectum socialem adiuverit (§ 4.). Pars libelli altera physici astronomique celeberrimi Galileo Galilei vitam atque litis eius notissimae rationem sedulo describit, ostendens: Congregationes romanas summosque pontifices Paulum V. et Urbanum VIII. per errorem opinionem illius reiecisse, quam rem respectu dogmatico nullo modo cum catholico dogmate discrepare, quippe cum illi summi pontifices ex cathedra non sint locuti, i. e. nullam sententiam dogmaticam protulerint nullamque doctrinam credendam ecclesiae universae proposuerint. Infallibitatem ergo papalem causa haec nullo modo attingit.

Laudandus est modus, quo *S.* in libris populariter scribendis utitur. Nova tamen pauca insunt. *Jind. Skopec.*

# RUSSICA.

*N. V. Jastrebov*, **Етюды о Петрѣ Хельчицкомъ и его времени** (Etjudy o Petrě Hel'čickom i ego vremeni). Iz istorii gusitskoj mysli. Vypusk I. S.-Peterburg 1908. **Studia de Petro Chelčicensi eiusque tempore.** Ex historia opinionum hussiticarum.

Inter Russorum viros doctos, qui ultimis temporibus data opera Bohemorum historiae, praesertim eccclesiasticae student, non ultimo loco ponendus est Jastrebov. Iam anno 1895. scripsit „Očerk žizni i literaturnoj dějatelnosti Petra Hel'čickago" et studiis Chelčicianis per multos annos continuatis fructum laborum collocavit in opere laudato, potius eius parte priore, alteram brevi prodituram esse promittens.

Haec pars studia de vita et scriptis Chelčicensis usque ad annum 1430. edita continet, simulque descriptionem rationum et quaestionum maioris momenti, quae ad opiniones et motus hussiticos illius temporis pertinent.

Scriptor ad studia sua non solum materiis, quae typis mandatae sunt, sed etiam iis, quae manu scriptae manent, usus est; criticam synopsin et novas solutiones quaestionum iam prius in litteratura positarum exhibuit; insuper novae ponuntur et solvuntur quaestiones, quas praebent materiae, quasque viri docti nondum tetigerunt.

Etsi libri institutum sit criticoanalyticum, argumentum satis peculiare, tamen iure merito scriptor, res gentis bohemicae, quae tractantur, non solum historicorum attentionem moturas esse sperat, sed quaestiones theologicas et philosophicas ultimae partis nostri voluminis tales esse, quae non solum ad homines pertineant, qui his potissimum rebus delectantur, qui nituntur, ut illa bohemica cultus humanitatisque studia cum similibus russicis (raskol, sektantstvo) componant et inde notas illas opiniones „de anima slavica" et de sensu historiae slavicae confirment, sed etiam ad alios; atque etiam quaestiones, quae in prima et secunda parte tractantur, latissime patere his temporibus, quibus examinantur atque excutiuntur societatis et rei publicae rationes et instituta. Hunc libri habitum satisfacturum esse sperat scriptor iis quoque, qui non sunt historici, inducturumque eos, ut verius cognoscant fraternam gentem bohemicam tempore, quo etiam atque etiam, quamvis obscura ac manca ratione, praedicetur cultus Slavici commercium instituendum.

Haec sunt fere ipsa verba scriptoris, qui tanta sollertia fontes operi suo necessarios uberrimos, quorum nonnullis nondum quisquam usus erat, maxime in magnis Pragae bibliothecis consuluit, ut ne Bohemus quidem quisquam prosperius inde hauserit. Quo factum est, ut modo magis sobrio res suas explicaret, quam qui ante ipsum scripsissent, Annenkov, alii.

Operi proprio praemissa est (pag. 1.—32.) commentatio, quae inscribitur: „De instituto et natura horum studiorum et de eorum necessitudine cum tractatione universae historiae opinionum hussiticarum

Mittens externam historiae hussitismi faciem, quam libris, quos Palacký, Tomek, Bachmann scripserunt, exhaustam esse, neque quidquam maioris momenti postea additum esse neque facile addi posse

scriptor contendit, aliud de historia opinionum hussiticarum exstante iudicat. In causas, quae Palackium prohibuerunt, quominus intestinam hussitismi historiam aeque atque externam exhauriret inquirens, infausta tempora significat quibus historiam scripserat, simulque Palackii metum caventis ne expositis factionibus, in quas hussitismi temporibus Bohemia divisa erat, unitatem nationis in discrimen vocaret, quae Palackio iuvene praedicabatur. Tomkium dicit, quidquid ex intestina hussitismi historia tetigisset, opinionibus suis hominis vetustati propitii et catholici accommodavisse. Qui Bohemi post hos duos ei rei dedissent operam eos a partibus alteriusutrius stantes nihil novi attulisse.

Praeterea quod opera illius aetatis aut prorsus aut nondum apte edita erant, impedimento fuit, quominus scriptores non Bohemi, atque ab iis, quae Palackium aliosque premebant difficultatibus liberi, hussitismi opiniones perscrutarentur. Quae ultimis annis laetiora in hac re facta sint, scriptor laudans recenset, sed plurima adhuc facienda postulat.

Aliquos tamen, et illos quidem Germanos, studuisse saltem concedit scriptor, ut conspectum opinionum hussiticarum praeberent. (Krummel, Bezold, cuius opusculum post triginta annos iterum, idque bohemice edendum curavit Pekař, quippe cui nullum melius succesisset .)

Similiter ii, qui ulteriori parti studiorum humeros subiecerunt afferuntur, illam dico, cuius est detegere „filiationem“ quam dicunt fundamentorum opinionum hussitismi sive vestigia earum in vita et scriptis singulorum illius aetatis scriptorum quaesiverunt sive origini earum cognoscendae operam dederunt. (Illius temporis Bohemorum res oeconomicas, politicas, ecclesiasticas, vim opinionum rerumque externarum dicit.) Longum est hoc loco singulorum scriptorum singula opera recensere, quae Jastrebov nonnumquam apte et subtiliter aestimat, haec fere addens: „Itaque ostendimus postulanda a futuris opinionum hussiticarum scriptoribus, monstravimus vias, quibus procedendum esset ad metam, ea, quae in hac via et facta essent et facienda superessent exposuimus. Tanta autem facienda sunt, ut unus vir doctus iis exsequendis par non sit. Restat, ut unum saltem gradum novum faciat, si plures non possit“

Hoc modo progressum se esse scriptor hoc libro existimat. Ex tota materia opinionum hussitismi perquirendarum auctore magistro suo Lamanskio elegit Petrum Ch. solum. Post opusculum iam laudatum (1895. editum) et minora quaedam studia anno 1903. Petropoli primum edidit opus Chelčicensis „O trogiem lidu“, anno 1905. corpori in Lamanskii honorem edito commentationem inseruit de Hussio Petri Ch. auctore. Ut Petrum Ch. eligeret, ea ratione praecipue ductum se esse dicit, quod totus pertineat ad intestinam historiam illius aetatis, quodque eius rationi continuentur reliquae hussitismi opiniones. Verba scriptoris dicentis: „Auctore Petro Ch., qui totam hereditatem suam conventui Fratrum Bohemicorum tradidit, hussitismus non est exstinctus in tabulis historiae, sed per multa decennia satis integer vivit, vivus egreditur etiam e saeculo XVI., magna vi conatuum rerum christianarum corrigendarum saeculo XVI. ortorum non nimis mutatus“ diligenter scribentis non sunt et a scriptoris modo loquendi, ceteroquin accu-

ratiore, aliena. Si nihil aliud, hoc saltem ei prodesse poterant Lenzii de Petro Chelčicensi opera, ut clarius et verius exprimeret, quid ex eius opinionibus saeculo XVI. exeunte superfuisset: quae opera etiamsi minus aeque scripta concederemus esse, scriptorem nostrum aequius iudicasse concedere non possemus.

Jastrebov recenset, quid fieri oporteat ad studia de Petro Chelčicensi omni numero absolvenda: (omnes omnino eius opiniones recenseantur et considerentur: quaeratur, quae vera sint opera eius: ostendatur, quomodo opiniones eius cum singulis vitae eius partibus coniunctae sint; opiniones eius quasi in membra discerpantur et in originem earum inquiratur; quantam vim in eas res et litterae bohemicae, quantam externae habuerint quaeratur) et quae in his capitibus viri docti perquisierint, quae neglexerint exponit, ad laudem omnia quae fieri adhuc debeant perficiendi se aspirare posse negat. Aliis studiis maiorem volebat reddere nummerum fontium ad rationem doctrinae Petri Ch. cognoscendam, demonstrare eius re vera esse libros, quos ipsi ascribendos esse sive ex auctoribus sive aliunde collegisset. Aliis verba operum Chelčiceni typis non editorum explicare volebat, e quibus vel historiam, compositionem, correctionem singulorum operum cognosceret vel nova momenta nondum cognita erueret. Aliis annos, quibus scripta esse putantur singula Petri Ch. opera, corrigit, alia ratione atque alii ea cum hussitismo coniungit, universum hussitismi opinionum genus illustrat et aliquarum Petri opinionum originem ex illo repetit, ea, quibus eius ingenium motum sit aperit, denique momentum quod ipse ad alios hussitas habuerit exponit.

Historicos ad illa, quae Kam. Krofta correxit et addidit in „Český časopis historický" XV., pag. 59.—72., 152.—172. copiose de libro Jastrebovi agens relegamus, conspectum materiarum addimus, quae in hac priore parte operis laudati continentur:

I. Quaestio de bello et poena mortis quo loco sit in historia opinionum hussiticarum anno 1419.—1434. (pag. 33.—115.)

1. Quomodo quaestio de bello ab hussitis proposita sit iis, qui hussitae non erant. (p. 33.—39.)

2. De hussitismo vulgi — chiliasmo: quaestio de bello et vi tempore chiliasmi; de chiliasmo impugnato. (p. 39.—54.)

3. Quaestio de bello inter proprios hussitismi duces — sacerdotes taboritarum et „magistros" Pragenses ante bellum cum Sigismundo imperatore et ecclesia catholica susceptum; de „magistrorum" responso; de libris „De bello" tum scriptis. (p. 55.—67.)

4. Quomodo quaestio de bello et poena mortis in „convocationibus" et „audientiis" taboritarum et magistrorum Pragensium anno 1422.—1424. tractata sit. (p. 67.—77.)

5. Quomodo eadem quaestio tempore quo taboritae eorumque dux Procopius Calvus imperium teneret usque ad finem bellorum hussiticorum tractata sit. (1426.—1434.) (p. 78.—91,)

Additamentum I: Qua auctoritate Wiclif, cum quaereretur liceretne bellum gerere christianis, apud hussitas fuerit (p. 92.—95.)

Addit. II. Quaedam ad quaestionem quae est de necessitudine „convocationum“ anni 1422. et 1424. et primae „audientiae“ Pragensis anni 1424. in litibus de bello et poena mortis gerendis pertinentia. (p. 95.—106.)

Addit. III. De Nicolai Biskupec „Tractatu de homicidio“

II. De Petri Ch. libris, qui cum his litibus conexi sunt (p. 116. —172.);

1. Aestimatur Chelčiceni liber „O duchovniem bogi“ (p. 120.—137.)
2. eiusdem „O cyrkwi swate“
3. „O trogiem lidu“.

III. De Petri Ch. necessitudine cum Taboritis. (p. 173.—258.)

1. De partibus eius in eucharistica lite inter hussitas — de libro contra eucharisticas opiniones taboritarum scripto: „Replika proti Mikuláši Biskupci Táborskému“ (p. 175.—179.)
2. Fontes litterarii, quibus ostenditur Petrum cognovisse taboritarum de sacramento eucharistiae doctrinam. (p. 196.—218.)
3. Quatenus Petrus taboritas secutus sit. (p. 219.—242.) Additamentum: De Petri: „Replika proti Mikuláši Biskupci Táborskému“ et Rokycanae: „De non existencia corporis Christi etc. (p. 243.—258.)

*J. Vraštil.*

**Пѣснь Пѣсней Соломона**[2] (Pěsn' Pěsnej Solomona[2]). Perevod s drevneevrejskago i priměčanija *A. Efrosa*. Predislovie *V. Rozanova*. **Canticum Canticorum Salomonis**[2] Spb. 1910 (p. 264).

Hoc libro, qui splendidissime adornatus est, varia de Cantico Canticorum continentur. Praefatio V Rozanovii magis arte poëtica quam doctrina aut iudicio excellit, Canticum dicit manare e gaudio, Canticum Canticorum fontem esse canticorum omnium, esse canticum gentis humanae.

Sequitur ipsum Canticum ab A. Efros in Russicum conversum; qua in re et accurationi et elegantiae et numeris opera data est. Deinde eorum explicatio aestimatur et improbatur, qui Canticum Canticorum fragmentis vel integris carminibus nullo modo inter se cohaerentibus vel inter se repugnantibus constare putant. Eo modo explicandum esse hunc librum, quo Iudaei qui inter sacros libros eum recepissent, explicaverint. Tum quaedam e litteris Russicis de Cantico Canticorum promuntur, alia e Renani libro Le Cantique des Cantiques exscribuntur, vere notatu digna ex egregio Olesnickii libro (Kioviae edito) afferuntur. Qui non sponsam aliquam sed naturam rerum eamque, qua poëta cingebatur, Palaestinam dico, non sponsum sed solem in carmine significari putat. Amorem sponsae erga sponsum imaginem esse terrae, soli, qui vitam largiatur, gratiam habentis. Solem vero non solum corpus illud luciferum esse, sed Salomonem atque ipsum Dominum, qui eum populo miserit; Salomonem autem imaginem esse Messiae. Itaque qua necessitudine populus electus cum sole ut fonte virium physicarum, cum imperatore, fonte potestatis civilis, cum Messia fonte imperii divini coniunctus sit effingitur. Post haec carmina Russica afferuntur, quibus poëtae sententias e Cantico Canticorum haustas subiecerunt: praeterea de iis,

quae musici Russorum de hoc carmine effecerunt, exponitur: postremo adduntur adnotationes ad verba carminis, quales fere sub linea collocari solent.

Liber hic non est nihili aestimandus atque documento est, sacros libros explicatos in Russia in multorum deliciis esse.

*A. Glagolev* **Комментарій на книгу Пѣснь пѣсней Соломона** (Kommentarij na knigu Pěsn' pěsnej Solomona). Spb. 1909 (p. 39) **(Commentarius in Cantica Canticorum).**

Duas libellus habet partes, quarum altera est praefatio, altera ipsum Canticum in Russicum versum adiunctis sub linea adnotationibus. In praefatione de explicatione synagogae, quae usque tradebatur, quae allegorica erat, exponitur, deque Origenis explicatione, quem ss. Patres atque scriptores ecclesiastici secuti sunt. Illam his verbis exprimi posse ait: Canticum Canticorum canere est quasi sancta sanctorum intrare. Eadem est sententia Origenis, verum christiana. S. Ambrosius Sulamitidem B. Mariam V. interpretatus est, qua interpretatione ecclesia occidentalis in liturgia utitur, qua Dei Genetrix colitur; Russica quoque ecclesia B. Mariam V appellat hortum conclusum, fontem signatum etc. Ab Ecclesia orthodoxa Canticum de necessitudine Christi (Dei) cum humanitate (ecclesia) intellegi; maximam igitur Canticum esse V. T. prophetiam, fere ipsam Christi incarnationem: ab eadem ecclesia sicut ab antiqua legendi Cantici facultatem non dari nisi adultis atque maturis.

Ipse *G.* etsi allegoricam explicationem tuetur, tamen Hahnii, Hengstenbergii, Schaeferi allegorias modum excedere existimat; allegoria ita utendum esse ait, ut verum libri argumentum non evanescat. Indicandum dumtaxat est, quibus vocibus altior sensus adnexus sit. Id scriptor secutus in priore parte magnas difficultates non offendit, sed in posteriore adeo parcus est in explicando, ut quomodo rem expediret ignorasse videatur. Atqui hic erat ostendendum, quid intellexisset. *G.* Canticum non habere pro fabula scaenica apparet. Unitatem tamen quandam quasi corporis vivi laudat, quae etiam in dicendi genere conspiciatur. E Russorum litteris, quae sunt de Cantico Canticorum haec afferuntur: Canticum e lingua Hebraica in Russicam versum a Macario archimandrita (Hrist. Čt. 1871, I) idem e LXX conversum a Porphyrio episcopo (Trudy 1869, 103—118): eiusdem c. III 6 et IV, 16 explicata in Voskr. Čt. 1841, 159 160: 1843 p. 64; prof. I. S. Jakimovii commentatio de origine huius libri (Hr. Čt. 1887 p. 569); prof. Olesnickii illud „Kniga Pěsn' Pěsnej i eja novějšie kritiki (Trudy 1881 et 1882): quem optime de Cantico scripsisse atque nonnullas res melius quam omnes occidentales interpretes exposuisse dicit. Quae a compluribus catholicis nuper de Cantico Canticorum conscripta sunt (Zapletal, Jouon, A. v. Scholz) *G.* videtur ignorare.

Exempli causa affero aliquid ex adnotatione ad versum I. Osculo significari amorem; amoris coniugalis esse duo quae extrema inter se opposita sunt (poljarnyh protivopoložnostej), inter se attrahere. Idem conspici in natura in re publica in religione. Amore igitur trahi sponsam

ad sponsum, id significare primum terrae, imprimis Palaestinae ad solem, ut fontem vitae, deinde terrae, velut Palaestinae ad regem ut solem moralem, denique generis humani (Ecclesiae V. et N. Testamenti) ad Deum et Christum applicationem. Amore igitur sponsae magnum prophetarum desiderium videndi Christi significatur.

Libellus hic parvus et populariter scriptus ut a commentis portentisque rationalistarum Germaniae remotus est, ita securus dux ad intellegenda singula non est, id quod maxime in altera parte apparet.

*Fr. Žák.*

*Vladimir Anderson,* (Staroobrjadčestvo i Sektanstvo) **Старообрядчество и Сектанство, De veteroritualistis aliisque sectariis russicis.** Petropoli, pp. 460 in 8$^{0}$, pret. 1·50 rub.

Duas partes hoc in libro invenimus, in prima origo et diversae factiones veteroritualismi describuntur (p. 7—234) in secunda aliae sectariorum formae generis imprimis mystici et rationalistici (p. 235—455) exponuntur. Talis divisio, quae ab omnibus russicis scriptoribus religiose servatur ideo necessaria est, quod veteroritualismus est eventus sui generis, cuius originis et progressus causae prorsus diversae sunt ab aliis conventibus sectariorum Russiae. Sunt enim sicut ipsum nomen significat, illi russiacae ecclesiae sectatores, qui non propter doctrinam, sed propter discrepantiam in certis antiquis ritibus servandis ab ecclesia maiore abalienati, inde a tempore Habacuc (Avvakum) sui ducis, altera ecclesia sunt ac propriam vitam religiosam vivunt. Ut veteroritualismi originem accurate exponat scriptor primum de variis sectis, quae ab origine russiacae ecclesiae usque ad schisma veteroritualistarum in illa ortae sunt (pp. 7—50) disserit, deinde origine doctrinaque veteroritualismi descriptis (51—123) ad varias factiones veteroritualismi describendas transit (123—234). In altera operis parte scriptor quaestionem de sectarum russicarum origine movet (p. 235—258) et omnia sectariorum systemata ad quaedam capita generalia omniumque fere hoc vel illo modo communia revocare conatur. (259—289). Quo facto singulas sectas sive mysticas, sive rationalisticas separatim describit (289—455). In fine operis (456—459) additus est utilissimus index bibliographicus, qui veteroritualistarum aliorumque sectariorum doctrinam, historiam, vitam publicam, mores respicit.

Opus hoc ad laudem doctrinae aspirare non potest; simplicis enim narrationis limites non transcendit. Tamen scriptor ubique primo loco ipsam doctrinam sectariorum ipsorum documentis innixus atque etiam verbis ipsorum adumbrare conatur. Deinde in originem sectae eiusque causas sive historicas sive psychologicas inquirit. Quapropter totum opus licet modo doctrinae proprio scriptum non sit, utile tamen, maxime illis, qui in his studiis parum versati sunt vel primos faciunt gradus, videtur esse. Melius illa pars est composita, qua de sectis mystico-rationalisticis exponit; sed in iis quae de veteroritualismo exponit quaedam minus probanda sunt. *A.* id intellexisse non videtur his temporibus veteroritualismum imprimis factionem illam, quae hierarchiam habet, aliis de causis ab ecclesia russica separatum manere,

iam non tam a ritibus eius abhorrentem quam de potestate ipsa ecclesiastica dissentientem. Russicae enim ecclesiae quod potestati civili subdita sit exprobrant et ideo laicismi ipsiusque rationalismi rationibus illam infectam esse dicunt. Dr. *Leonini.*

**Sbornik statej, posvjaščennyh Vasiliju Osipoviču Ključevskomu** ego učenikami, druz'jami i počitateljami ko dnju tridcatilètija ego professorskoj dějatel'nosti v Moskovskom universitetě. M. 1909.

Ad nos pertinent: *M. Ljubavskij,* K voprosu ob ograničenii političeskih prav pravoslavnyh knjazej, panov i šljahty v velikom knjažestvě Litovskom do Ljublinskoj unii.

*E. Šmurlo,* K istorii snošenij moskovskih gosudarej s rimskimi papami.

*A. Orlov,* Russkoe neknižnoe žitie Nikolaja Čudotvorca.

*V. Storožev,* Monastyrskoe zemlevladènie na Vologdě po dannym 1627—1630 godov.

*Speranskij,* Serbskoe žitie Theodosija Pečerskago.

## CROATICA.

**Hrvatska Straža.** Acta »Societatis Leoninae« philosophiae ceterisque disciplinis destinata. Praeest edendis Dr. Franciscus Binički. Segniae. Annus 1909.—1910.

*U. Talija:* Paulsen, moderni filosof: Etika i odgoj narodâ. (De ethica philosophi Paulsen). Fasc. I. Pg. 12.—40; IV. 421—439. Examinatio ethicae philosophi Germanici (Paulsen: System der Ethik), quam *T.* anno superiore coepit, porro tractatur. Paulsen dicit *T.* inter monismum nostri temporis et philosophiam perennem dubium haerere. Magna dexteritate ostendit *T.*, parvi momenti esse rationes (bonum communitatis, virtutem ipsam), in quibus Paulsen honestatem ponere conatur. Simul apte et clare ostendit quomodo Paulsen erret, cum determinismum statuat et obligationem moralem nihil esse nisi communem hominum voluntatem seu consuetudinem existimet.

*Katinov:* Racionalizam u nauci o spoznaji i u primjeni na vjeru i moral. (De doctrina rationalismi de cognitione humana eiusque momento ad religionem et vitam moralem). Fasc. I. Pg. 40—59. *K.* brevem conspectum philosophiae rationalismi proponere vult. In 1. parte considerat opiniones singulorum »rationalistarum« miro modo collectorum (Plato, Cartesius, Leibnitz, Kant, Fichte, Schelling, Hegel) de cognitione ac de origine notionum universalium. In 2. parte mala quae rationalismum in ordine religioso, morali, iuridico sequuntur exponit.

O. *Petar Grabić*: Važnost moderne kritike (Quid de arte critica nostri temporis tenendum sit.). Fasc. I. Pg. 60—72; II 198 212 IV. 461—469. Tres sibi quaestiones *G.* proposuit: 1. Quae sit notio religionis diversarum rationum philosophicarum nostri temporis; 2. Quid de veritate religiosa modernistae sentiant; 3. Quanti sit historia religionis modernistarum. Doctrinam modernistarum *G.* plerumque ex folio Mediolanensi »Il Rinnovamente« haurit. Argumentum nec bene dispositum est nec clare tractatum.

Fra *Petar Vlašić*: Moderna kritika i evandelje (De re critica huius temporis et de Evangeliis). Fasc. I. Pg. 84—105; II. 176—197; IV. 440-461. *V.* pulcherrimum praebet conspectum quaestionis biblicae novissimi temporis, quatenus ab adversariis tractatur. In p. 1. litteraturam biblicam affert ac libros singillatim recenset (85—95). In 2. p. notas praecipuas artis criticae huius temporis adumbrat eiusque methodos describit (95-105). In 3. p. statum quaestionis evangelii S. Ioannis declarat: quid ars critica huius temporis de scriptore quarti

evangelii (177—186), quid de momento eius historico (186—192), quid de theologia quarti evangelii sentiat (192—197). In 4. p. solutionem quaestionis synopticae criticorum novissimi temporis considerat (440 —454). In p. 5. doctrinam catholicam defensionemque theologorum catholicorum commemorat.

Dissertatio, etsi a scriptore modesto parum plena et imperfecta habetur, nihilominus magna diligentia, scribendi perspicuitate et elegantia inter alias eminet. Copiosissimae litterae omnium linguarum in dissertatione accurate allegatae, rei studiosis multum proderunt.

Dr. fra *K. Eterović:* Pijo X. i filozofija modernista (De modernistarum philosophia a Pio X. condemnata). Fasc. III. Pg. 243—256. Modernistarum haereses earumque fontes *E.* secundum celebrem Pii X. encyclicam enumerat. Fontes a Pontifice commemoratos (agnosticismum et immanentiam) *E.* ulterius derivat ex idealismo et dein ex monismo et dynamismo.

Dr. fra *K. Eterović:* Stari sofisti i savremeni šofismi (De veteribus sophistis et de sophismatibus huius temporis). Fasc. IV. Pg. 379—399. Philosophiae caput quod est de fallaciis in concludendo seu de sophismatibus exemplis declaraturus *E.* primum quaedam de sophistis historicis bonis et malis praemittit, deinde rem suam exponit. Secundum Stuart Mill duplex genus sophismatum ponit: s. in praemissis (seu in rebus) et s. in conclusione (seu in verbis). Dissertatio attentione digna est, cum exempla afferantur, quae ad philosophiam, religionem, historiam, sociologiam, paedagogicam, ecclesiam, rempublicam et scholam pertineant. His prima pars commentationis (de s. in praemissis) absoluta est. Reliqua anno proximo tractanda erant.

Dr. *Antun Mahnić:* Socijološki momenat u filozofiji (De momento quod dicitur sociologicum in philosophia). Fasc. V. VI. Pg. 539—551. Nihil aetatis nostrae ita proprium est ut studium unionis. Quod studium maxime probandum est praesertim cum philosophia falsa auctore societas humana in dies magis dilabatur. Unio tamen sine verae philosophiae auxilio fieri non potest. Quae sint partes philosophiae in unienda societate, doctissimus episcopus Vegliensis perpulchre demonstrat in oratione hac, quam Zagrabiae in acroasi societatis »Leoninae« habuit. Tria efficit vero philosophia: 1. animos hominum unit eadem cognitione; 2. voluntates iungit eodem desiderio; 3. firmitatem atque constantiam animorum auget. Veram philosophiam *M.* esse philosophiam peripateticam a divo Thoma correctam existimat. Si homines hac philosophia ducti ad cognitionem Dei et verae religionis pervenerint, eodem quoque modo de mundo, de vita eiusque partibus sentient (unio cognitionis); sane tamen etiam thomistae in nonnullis rebus inter se dissentiunt. Qui eodem modo sentiunt, eodem modo agunt: ratio enim lucet voluntati (unio voluntatis). Quo clarior cognitio, quo firmior persuasio, eo firmior voluntas.

*Katinov:* Herbert Spencer, Razvojna nauka i etika (De Herberti Spencer ethica in evolutionismo exstructa). Fasc. V. VI. Pg. 551—569.

Dr. *Matija Pacher:* Racionalističko-modernističko shvaćanje razvoja dogme. (De opinione »modernistarum« de dogmatum progressu). Fasc. V. VI. Pg. 570—582. *P.* principio quaerit, unde »modernistae« commenta sua de hac re hauserint. Fontem hunc doctrinam Kantii, quae idealismus criticus seu transcendentalis vocatur, esse dicit. Kantii doctrinam, ait *P.*, catholicos nonnullos secutos esse, maxime in Gallia, alios plane, alios ex parte, inter quos etiam Mauritium Blondel, qui doctrinae »idealismi« doctrinam quam dicit immanentiae superstruxit. Doctrina vero immanentiae ad theologiam applicata progressum quendam dogmatum fert. In fine commentationis *P.* rationem falsam breviter examinat et reicit.

*Z. D. Kniewald:* Zlatni rez u prirodi i svršnost (De »sectione aurea« in natura). Fasc. V. VI. Pg. 635—672 Profunda plane et eruditionis plena commentatio philosophica, quae a mathesi ad disci-

plinas naturae investigandae: ad astrologiam, mineralogiam, biologiam, botanicam, zoologiam, et ultra ad theologiam progreditur. Ubique *K.* »sectionem auream« reperit, quae mentem humanam ad sapientissimum naturae Conditorem perducit. Iure merito igitur *K.* »sectionem auream« secundum veteres non solum »proportionem humanam«, sed »proportionem divinam« nuncupat. Rerum expositio est perspicua aque elegans.

**Katolički List.** Annus 1909. Praeest Dr Josephus Pazman.

1. Dr. *Lovro Radičević:* Aleksander VII. papa, rodak turskomu imperatoru Muhamedu IV. (De Alexandri VII. papae cum Mahomete IV., Turcorum imperatore, consanguineitate). Nr. 2. p.

In archivo Capituli Zagrabiensis *R.* codicem manu scriptum rei raritate notabilem invenit, qui Dominici Portae S. J., Croatae Zagrabiensis (1631—1691), esse dicitur. In membrana scriptus genealogiam continet, quae Alexandrum VII. Papam consanguineum Mahometi IV. fuisse demonstrat. Summa genealogiae haec est: Maxius Marsilius genuit filiam Margaretham et filium Leardum. Margaretha a. 1525. a Turcis capta Solimano nupsit, ex cuius posteris est Mahomet IV. imperator (1648—1687). Ex Leardi vero posteris natus est Fabius Chigi, qui in Petri solio ut Alexander VII. (1655—1667) sedit.

2. Dr. *Julije Golik:* Plinije mladi o kršćanima (Relatio Plinii minoris de christianis). Nr. 4—6.

Interpretans epistulam 96. Plinii minoris, proconsulis Romani in Bithynia (111—113 p. Chr.), Dr. *G.*, professor linguae Latinae in universitate Zagrabiensi, sententiam Dris P. Efr. Baumgartner prolatam in »Zeitschrift für kat. Theologie 1909. I. Quartalheft p. 50, refutat.

Inter doctos dissensio de verbis »sacramentum« et »cibum promiscuum tamen et innoxium« occurrit. Baumgartner »sacramento« iuramentum, »cibo promiscuo et innoxio« vero convivium quoddam frugale et commune significari existimat. Professor *G.* »sacramento« Eucharistiam significari vult, »cibo promiscuo et innoxio« agapas, quae vocantur. Argumenta *G.* gravia videntur et solida.

3. *Fran Leskovar:* Apologija čuda (Apologia miraculorum). Nr. 8—15.

*L.* principio doctrinam catholicam de essentia, possibilitate et cognoscibilitate miraculorum exponit, deinde obiectiones deistarum, rationalistarum, naturalistarum aliorumque adversariorum solvit. Novi nihil affertur.

4. *Janko Barlè:* Izvještaji o materijalnom stanju župnika početkom XVIII. vijeka (Relationes de condicione rei familiaris parochorum initio XVIII. saeculi). Nr. 16—17.

Collectis et adductis ex »Actis visitationum canonicarum« in archivo Archiepiscopali Zagrabiensi depositarum relationibus *B.* miseram condicionem parochorum saeculo XVIII. describit. Scriptor per diligentiam perquirendae historiae Zagrabiensis particularis nomen in Croatia consecutus est.

5. Dr. *Josip Marić:* Modernista, filozof i apologeta (De modernista ut philosopho et apologeta) Nr. 36—43.

In p. prima *M.* de modernistarum philosophia »immanentiae« deque eius relatione ad philosophiam scholasticam agit. Maxime *M.* de philosophia Kantii et de eius momento ad philosophiam Germaniae, Angliae, Galliae, Russiae, Italiae, Hispaniae etc. disserit dein de Balfouri systemate eiusque momento in Gallia ac de Neokantistis et de immanentia Blondeli. Tota modernistarum ratio philosophica pulchre evolvitur simulque philosophia catholica breviter et clare exponitur, omnibus fere, quae hac de re novissimis temporibus scripta sunt, breviter insertis.

In p. secunda *M.* de modernistarum doctrina apologetica, cuius praecepta ex philosophia agnosticismi et immanentismi manant, et de

modo quo ad veterem catholicam doctrinam apologeticam, philosophiae scholasticae innixam, referatur exponit.

In appendice acerbam pugnam iam 3 annos in Croatia agitatam de orthodoxia libri dris Barac »O modernoj katoličkoj apologetici« tangit. Ad quam litem dirimendam quaerit, num dr. Barac methodum immanentiae in apologetica amplexus omnem aliam reiecerit. Idque factum esse negat. Ex libro *B. M.* demonstrat drem *B.* criteriis externis momentum absolutum et obiectivum et decretorium, internis vero dumtaxat relativum, subiectivum, incertum semper tribuisse ideoque apologeticam hucusque traditam, philosophiae scholasticae superstructam agnovisse sed in methodo scholastica aestimanda verbis magis quam re erravisse.

6. Dr. *Karlo Horvat:* Vojne ekspedicije Klementa VIII. u Ugarsku i Hrvatsku (De expeditionibus bellicis Clementis VIII. in Hungaria et Croatia). Nr. 39—52.

Dissertatio haec ex fontibus hausta maximi est momenti. Secunda parte saeculi XVI. bella horrenda in Hungaria et Croatia inter Mahometanos et Christianos gerebantur. Turcorum imperium eo tempore tam potens erat, ut nulla res publica Europae ei par esset et ut ipsa religio christiana in discrimen vocaretur. Ideo Romani Pontifices ut nationum christianarum patroni magnopere uniendis principibus christianis adversus Turcos dabant operam. Qua in re non minimas partes Clemens VIII. habuit, qui per cardinalem Ioannem F. Aldobrandini cognatum suum tria bella adversus Turcos gessit, quorum primum et alterum in septentrionali et media Hungaria, tertium in Croatia (Zagreb, Varaždin) usque ad urbem Kaniža a Turcis obsessa fuit. Scriptor, qui omnium minimorum quae in his bellis evenerunt mentionem facit, in fine rationes affert, cur conatus Clementis vani evaserint. Commentatio seorsum quoque expressa est. *M. Srša.*

# PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

## De sacramento poenitentiae.

### Thesis XIII.

Ad fructuosum usum sacramenti poenitentiae circa gravia peccata sufficit contritio imperfecta etiam ea, quae est ex solo metu poenae aeternae, dummodo deliberatam graviter peccandi voluntatem positive excludat, quod fieri potest.

Declar. 1. Principio notandum videtur esse, cum dicamus fructuosum usum, nos non dicere absolutione conferri remedium peccatorum committendorum seu miraculoso modo tolli inclinationem ad peccata, unde nostram doctrinam nonnulli petere solent (cf. Sergij, Pravosl. učenie o spasenii 1895 p. 185), sed illud tolli, quo peccator Deo exosus est, etsi eum peccati paenitet, ut in declaranda thesi prima (n. 1.) exposuimus. — Illud „sufficit" autem ut puri dogmatici dicimus non ut ascetae.

In quaestione, quaenam contritio supposito adesse omnia, quae aliunde ad fructuosum clavium usum necessaria sunt sufficiat ad obtinendam remissionem peccatorum gravium virtute clavium, triplex est praecipua sententia.

Prima eorum, qui requirunt contritionem conceptam ex amore Dei propter se super omnia appretiative dilecti. Huc pertinent a) ii, qui contritionem perfectam requirunt: ut praeter nonnullos orientales (cf. A. Šost'in, Prevoshodstvo ispovědi pravoslavnoj pred ispovědiju iezuitsko-katoličeskoju. Vera i Raz. 1887, II, p. 473. 479; A. V. Zvěrev, Kazuistika i sud'by eja v rimsko-katoličeskoj cerkvi; Benignizm i attricionizm in Věra i Razum 1890) inter Latinos post concilium Tridentinum Sonnius Medina Gabriel Io. de Neerkassel alii: b) ii, qui vim iustificandi extra sacramentum non cuivis contritioni ex amore benevolentiae appretiative summo conceptae tribuunt ut Jansenius, Lupus, Farvaquez, Havermannus, Schaezlerus; c) ii, qui cum Billuart illam vim soli amori amicitiae concedunt, distincto ab amore benevolentiae, quo Deus quidem super omnia diligatur propter se, at non ut amicus aut nos redamans.

Altera sententia est eorum, qui requirunt aliqualem amorem benevolentiae erga Deum sed non appretiative summum. Eam defendunt Pallavicini, Antoine, Simmonet, Sardagna, Habert, Widmann, Fr. Brenner, alii.

Tertia sententia non requirit nisi attritionem ex solo metu gehennae conceptam talem, quae voluntatem peccandi positive excludat. Sunt quidem inter eos, qui negent sufficere attritionem ex timore poenae aeternae inadaequate spectatae, sc. prout consideratur tantum poena sensus, non damni, ut Tournely, Carolus ab Assumptione, Virceburgenses, Dens, Oswald. Sed longe maior pars sufficientiam affirmat nulla facta distinctione. Ita sentiunt Antonius Cordubensis, M. Canus, La Croix, Comitolus, Coninck, Diana, Dicastillo, Fagundez, Gonet, Henricus Henriquez, Layman, Alph. de Ligorio, Lessius, De Lugo, Mazotta, Barth. de Medina, Palmieri, Sanchez, Suarez, Toletus, Turrianus, Vasquez, Andr. Vega, Wietrowski, Viva et alii. Cf. Palmieri, De poen. th. 30, II, 4.; Tournely, De sacr. poen. qu. 5, a. 3, concl. 2 obi. ult.

Quod Concina aliique commenti sunt, ante Tridentinum hanc sententiam fuisse ignotam, et quod Launoius has causas assignat posterioris eius receptionis, qua communior evaserit: ex Tridentino concilio praeiudicium, in confutandis novatoribus παρέκβασις, incurata scripturae et traditionis ecclesiasticae cognitio seu inapparitio atque in huius vel illius magistri verba iuramentum, facile refellitur. Sane 1⁰ ipso Concina fatente „Tridentinum delevit verbum 'sufficit', ut nihil in sess. 14. definiret super hac quaestione catholicorum". Unde apparet dissensum fuisse in scholis de hac re, non unam sententiam. 2⁰ Num inconsulto aut fortuito verbum illud „sufficit ad sacramenti constitutionem", mutatum postea in „disponit", ibidem positum erat? Et si illa fuit persuasio totius Ecclesiae requiri aliquem amorem, cur non hinc sed aliunde calumniatores refelluntur sess. 14, cp. 4.? 3⁰ Idem constat ex controversia Lutheri cum catholicis hac in re. Cf. eius De captiv. Babylonica, De sacram. poen.: Serm. 2. de poen.: Fischerus Contra assert. Lutheri ad art. 6. etc. 4⁰ Item ex defensione catholicorum contra Lutherum eiusdem aetate. Constat id ex Silvestro Prierate, ex

Ioanne Fischero, ex Ruardo Tappero. 5⁰ Thomistas ita sensisse testatur Domin. Soto in 4. sent. dist. 18 qu. 1 a. 3. Cf. Palmieri, De poen. th. 32; 30, II, $3^m$, 1).

Scriptorum ante concilium Tridentinum triplex potissimum in re nostra erat opinio. Dicebant alii absolutionis efficaciam per se pertingere immediate (vel ut alii mediante praevia dispositione) ad primam gratiam. Alii ponebant ad primam gratiam pertingere sacramentum in voto, sacramentum autem in re conferre augmentum gratiae. Denique erant, qui censerent culpam per contritionem a solo Deo, poenam aeternam per confessionem virtute sacramenti remitti. Primae sententiae assertores Palmieri (De poen. th. 26) affert Guilelmum Parisiensem (De sacr. poen. c. 4), Al. Alensem (p. 4. qu. 14, m. 2), Durandum (In 4. d. 18 q. 2, n. 6), Scotum (In 4. d. 4. q. 4), Richardum a Media Villa (In 4 d. 18 a. 2. q. 1), Henricum Gandavensem (Quodl. I, q. 32), Aureolum (In 4. d. 18 a. 1), Dionysium Carthusianum (In 4. d. 18 q. 3), s. Antoninum (Sum. p. III, tit. 14, c. 6; 19). Adde Turrecremata, Summa de eccl. l. 1, c. 93, concl. 11. — Alterius sententiae defensores a Vasquez (Qu. 84, a. 3, dub. 2) enumerantur: Petrus Lombardus, Bonaventura, Biel[?], Marsilius, Maior, Ockam, Alensis[?], Thomas de Argentina[?], Abulensis: ab aliis adduntur Guilelmus Antisiodorensis, Albertus Magnus, Robertus de Sorbona et alii; cf. Schätzler, Die Lehre von der Wirksamkeit der Sacramente § 13 ff. Ubi notandum est etiam hos auctores communiter censuisse sufficere contritionem existimatam. Cf. Bonaventuram In 4 sent. d. 17 p. 2, a. 2 qu. 4; Bruliferum In l. 4. dist. 17 q. 14; Caietanum, Ferrariensem, Ledesmam, Sotum etc. — De contritione ad claves necessaria secundum catechismos ann. 1400—1700 scripsit Mausbach in Katholik 1897. Cf. J. Göttler, Der h. Thomas u. die vortridentinischen Thomisten üb. d. Wirkungen des Bußsacramentes (Zfk-Th. 1903, 37. 209).

Sententiam nostram (II. p.) defendimus ut moraliter certam ideoque in praxi tutam; eam non contineri immediate decreto ullo aut canone concilii Tridentini patet ex decreto Alexandri VII., quo fideles prohibentur alterutram sententiam „theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare“ Hanc doctrinam protestantes ut Harnack censent esse „der Sitz des Übels“, „das Hauptberuhigungsmittel in der Kirche“, „der Grundschaden des katholischen Lehrsystems“

2. Cum malum non moveat voluntatem nisi ratione boni oppositi, secundum diversa bona, quibus peccatum qua tale (nam requiri dolorem de peccato qua tali i. e. ut est contra Dei voluntatem supra docuimus) oppositum est, diversa sunt motiva contritionis. Porro, cum bonum increatum ad contritionem perfectam moveat, dummodo sit efficax, remanet pro attritione oppositio peccati ad bonum creatum, quod est duplex: bonum ratione sui seu honestum sensu latiore et bonum ratione alterius. Cum autem quoad prius genus peccatum qua tale non privet nisi

honestate morali (quod est in oppositione ad voluntatem Dei) et quoad posterius non inducat nisi boni delectabilis privationem, (quae in poena a Deo inflicta consistit), homo ex amore vel moralis honestatis vel boni delectabilis, quod aufert poena in foro Dei constituta, ad quamcumque speciem contritionis movebitur, quae est infra conceptam ex caritate. Concilium Tridentinum Sess. 14 cp. 4 motiva attritionis revocavit ad duo: turpitudinis peccati considerationem et gehennae et poenarum metum. Et sane „si attritio pro motivo habet moralis honestatis amorem, semper reducetur ad illam, quae ex turpitudinis peccati consideratione concipitur: sive honestas amata sit honestas generalis, prout relucet in omnibus communiter virtutibus, sive sit honestas specialis, quae tamen aliquo modo repugnat cuilibet peccato, ut est v. g. honestas gratitudinis erga Deum, sive demum [quod quidam impossibile esse putant velut Oswald] sit honestas omnino particularis [i. e. specialis oppositio contra legem divinam], puta castitatis vel iustitiae [vel, si haec ut particularia motiva non admittis: integritas templi Dei, affectio pia credendi], quo tamen in casu attritio non erit universalis ex motivo. — Si vero attritio concipitur ex amore boni delectabilis, quod aufert poena a Deo comminata, semper reducetur ad eam, quae est ex gehennae et poenarum metu; nam etsi forte elicias attritionem ex desiderio Dei, ut est tua beatitudo, quin formaliter metuas gehennam seu poenam sensus, adhuc nihilominus poenam metuis; times enim poenam damni, quae est omnium maxima. Sed cum homines ut plurimum commoveantur timore illius poenae, quae bono sensibili repugnat, hanc solam Tridentinum diserte commemoravit et propterea dixit: »quae communiter concipitur« etc.“ Billot, De Eccl. sacram. l. 2, th. 14, § 1. Cf. Palmieri, De poen. th. 21, II; Suarez Disp. 5 s. 2, n. 14.

Nomine poenarum concilium imprimis comprehendere videtur poenam purgatorii „cuius terrore potest non solum de venialibus dolere homo, sed etiam de mortalibus, quae post iustificationem purgatorii poena puniuntur Eodem modo censeo posse concipi attritionem ex metu pestis vel alterius damni temporalis, quo Deus solet punire peccata etiam in hac vita; quod videtur esse iuxta mentem Tridentini; nam adducitur ibi in exemplum poenitentia Ninivitarum, quae concepta fuit ob metum excidii suae civitatis, quod Deus comminatus fuerat: et quidem sicut Deus comminatur poenas aeternas, sic etiam comminatur poenas huius saeculi ad terrendos homines; ergo eiusmodi motivum bonum est et honestum et sufficiens ad veram attritionem, ut fatetur Suarez cum aliis Disp. 5, s. 2, n. 15“. De Lugo, De poen. disp. 5 n. 137. Addit Ballerini-Palmieri: „Porro, quatenus hae poenae [sc. ut poenae] indicant nobis iram Dei, quae in omnia exardescit peccata, timor conceptus huius irae satis esse potest ad excludendam omnem voluntatem peccati; praesertim, si hae poenae ut incohatio spectentur poenarum aeternarum, quibus ira divina, nisi a peccato desistamus, vindictam absolvet contra peccatores. (Tract. 10, s. 5, c. 1 n. 109.) Hoc tenent etiam Suarez, Coninck, Arriaga, Gobat, Tamburini, Reiffenstuel, Sporer, Illsung, Viva, Elbel, alii contra Amort, Collet et alios. Cf. Lehmkuhl t. II, n. 287.

3. Timoris obiectum est malum arduum, imminens. In timore est a) odium mali, b) voluntas illud malum fugiendi c) anxietas animi. Hic praecipue spectantur elementa priora. Cum timentur poenae a Deo infligendae, obiectum timoris est malum poenae; terminus eius est Deus ut inductivus mali. Idem Deus sub alio respectu potest esse terminus conversionis hominis determinatae ab hoc timore, cum odium transferatur etiam in peccatum ut poenae causam. — Cum timetur offensa Dei, obiectum timoris est malum culpae; terminus eius est Deus offensus. — Patet etiam malum culpae posse apprehendi tamquam imminens et aegre evitabile propter nostram mutabilitatem.

Timor, cuius obiectum est offensio Dei, vocatur filialis; qui si est imperfectus, i. e. si ex se non est efficax ad excludendam positive voluntatem peccandi, vocatur initialis.

Timor, cuius obiectum est malum poenae, vocatur servilis. Quodsi poena timetur ut summum malum ideoque oritur ex amore sui non referibili in Deum seu inordinato, ubi diligens constituatur ultimus finis cui, est intrinsecus malus et vocatur serviliter servilis; sin poena, quae timetur, non iudicetur esse malum summum, sed timeatur ut malum contrarium bono nostro, cuius amor in Deum referibilis est ut ultimum finem cui per caritatem, timor est honestus et vocatur simpliciter servilis. Cf. Palmieri, De poen. th. 27; Dom. Viva, Quesnellianae theses (Benev. 1724) prop. 60—67 (p. 248—266).

Timor simpliciter servilis potest esse cum affectu ad peccatum, sicut etiam actus fidei, spei, misericordiae aliarumque virtutum moralium; tunc est inefficax et pariter attritio ex eo concepta est inefficax. Immo timor potest etiam simul esse cum actu peccati. Sed potest esse etiam talis, ut voluntatem peccandi positive excludat, i. e. ut voluntas ita efficaciter detestetur peccatum super omnia mala seu incommoda temporalia (sc. quae inter et peccatum data occasione necessario debeat fieri electio), ut manente hac dispositione voluntatis voluntas peccandi sit impossibilis et necessario exsistat formaliter vel virtute propositum non peccandi de cetero. (Sc. negative excluditur in quantum non includitur in actu aliquo humano, sicut v. g. excluditur per somnum aut vehementem distractionem.) Ita res est quando timor est appretiative summus, quod nimirum gehennam timemus super omnia mala, quorum perpessio ad vitandam offensionem divinam necessaria est. Quapropter Tournely (De sacr. poen. qu. 5, a. 1) in homine peccatum ex metu poenarum refugiente haec distinguit: „1) Actus exterior peccati. 2) Absoluta et efficax hic et nunc peccandi voluntas. 3) Hypothetica voluntas actualis, si non explicita, saltem implicita, ac intus latens, seu affectus actualis ad peccatum. 4) Voluntas habitualis peccati seu affectus habitualis ad peccatum, qui nihil aliud videtur esse, quam habitualis quaedam ac libera voluntatis ad peccatum conversio; dicitur autem libera, quatenus ex peccato propria ac libera voluntate contracto, quodque retractari potuit, fluit ac sequitur. 5) Macula seu reatus ex peccato nondum revocato ac dimisso animae inhaerens. 6) Propensio generalis ad malum seu concupiscentia, quae a peccato est et ad peccatum inclinat".

Attritio ex metu poenae est actus spei; obiectum eius est pec-

catum, ut inductivum poenae. Hanc attritionem posse sufficere, i. e. sufficere, si sit dicto modo efficax eamque ita efficacem esse posse, probandum erit eo processu, ut prius ostendamus eam excludere posse positive omnem voluntatem peccandi et deinde eam qua talem reapse sufficere ad obtinendam (obice non impeditam) remissionem virtute clavium.

Haec attritio est species improprie dicta contritionis; sc. contritio confuse sumpta contrahitur in inferioribus non in modum compositionis, sed in modum distinctioris conceptus eiusdem actus contritionis, quatenus forma eadem, i. e. detestatio et dolor cum proposito est communis alia et alia ratione. Unde contritionis nomen est analogum ratione inferiorum. Et analogiam istam appellamus inaequalitatis tantum, videlicet convenientiam plurium in eadem forma, participata tamen secundum interiorem rationem suam perfectione inaequali, sine unius ad aliud respectu. Ceterum, si quis paenitentiae formam per se et perfecte ponat in actu virtutis specialis paenitentiae, quatenus includit compensandi voluntatem, merito ipsius attributionis analogiam quandam intercedere dicat; habet enim tunc se ille actus instar principis analogi, cuius forma propria in actibus virtutum aliarum, utpote compensationem tantummodo exercite praestantium, per aliquem accessum imperfectum ad actum illum principalem inveniatur, etsi compensatio huiusmodi exercita, ut cum ex caritate manat, etiam vincere maiore perfectione sua peculiari actus virtutis specialis paenitentiae potest.

P. I. Non est necessaria contritio perfecta seu contritio ex amore Dei caritatis appretiative summo.

Dub. 1. Potestas clavium est mere declaratoria. Ergo.

2. Si contritio perfecta non esset necessaria, iustificatio fieret mechanice per infusionem gratiae. Sed si peccatum non impediret infusionem gratiae in sacramento paenitentiae, neque novum peccatum posset impedire perdurationem gratiae. Atqui hoc ab omnibus negatur. (Sergij, Pravoslavnoe učenie o spas. 1895 p. 205),

3. Non obstante institutione huius sacramenti paenitentia interior est necessaria ad remissionem peccati, quod non aliunde colligitur nisi quia scriptura sacra hanc paenitentiam postulat ut necessariam; sed paenitentia interior, quam scriptura poscit, est vera contritio, tum quia attritio numquam per se fuit necessaria, tum etiam, quia scriptura, cum necessitatem paenitentiae praedicat, loquitur independenter ab hoc sacramento. Denique requirit perfectam cordis conversionem; ergo necessitas huius paenitentiae perfectae manet etiam post institutum hoc sacramentum.

4 Concilium Tridentinum Sess. 14, cp. 4 requirit ad effectum sacramenti contritionem, quae fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam veniam; atqui haec est contritio perfecta; in lege enim vetere non iustificabat alia.

5. Qui semel peccavit mortaliter, dilexit creaturam plus quam Deum et in hoc sane peccatum omne mortale consistit quod amor Deo debitus in creaturam ordine praepostero transfertur; ergo donec eius voluntas ita mutetur, ut diligat Deum plus quam creaturam, semper manet moraliter in eodem affectu priore; ergo manet incapax gratiae; non enim potest iustificari qui moraliter plus diligit creaturam quam creatorem (Witasse).

6. Secundum Conc. Milevit. II. cn. 3. 4. 5 requiritur gratia sanctificans ad hoc, ut aliquis eximatur ex morali impossibilitate servandi omnia mandata divina (cf. Schiffini, De gr. div. n. 98, IV). Atqui si ita res est, attritio sola non sufficit ad hoc, ut homo habeat „cor suum firmatum in Deo, ut

pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet“ (Thom. I. II. q. 109, a. 8).

7. Sola attritio non est vera detestatio offensae divinae; ergo non potest esse sufficiens dispositio ad iustitiam, saltem si cognita sit. Nam in hoc sacramento debet fieri accusatio exterior, quae procedat ab interiore proportionata; sed exterior confessio debet esse de peccato, quatenus offensa Dei est; ergo per se requirit interiorem dolorem de peccato, quatenus offensa Dei est.

8. Si non requireretur contritio perfecta, paenitens posset esse tam certus de remissione peccatorum in hoc sacramento, quam est certus de sua contritione; potest autem de sua attritione esse certissimus, ergo et de sua iustificatione, quod est absurdum.

9. Si in iustificatione hominis non requiritur dilectio Dei super omnia saltem imperfecta et initialis, quae per modum habitus acquisiti, informati tamen a gratia sanctificante, maneat sicque virtualiter in actus bonos influat, sequitur legem primi mandati quoad obligationem in actu secundo esse essentialiter indeterminabilem ideoque irrationabilem. Nam nullus hactenus theologorum adversariorum potuit vel ausus est primo mandato metas aut tempora ponere. Immo plerique qui terminos huius obligationis ad spatium totius vitae vel ad quinquennium ampliarunt Romae condemnati sunt. Et certe, nisi supponatur obligationem primi mandati esse perpetuam, ita ut semper debeat operari actualiter aut virtualiter, non potest dari ratio, cur nec scriptura, nec patres, nec antiquiores Scoto theologi non solum non determinent tempus eliciendi actus dilectionis, sed eam quaestionem ne attingant quidem. Idem probatur a pari: Ubi in quarto praecepto praecipitur amor erga parentes sane ridiculum esset quaerere, quotiens in vita teneamur elicere actum amoris erga parentes etc. Ergo manifestum est praecipi effectionem internam et praeparationem seu promptitudinem animi perpetuam, quae non potest esse habitualis, nisi prius aliquando fuerit actualis. Cf. Col. 3, 12, Sap. 1, 1. (Amort). Praeterea illa virtus, cuius attritio esset actus, posset operari ad salutem independenter a caritate et consequenter haec non esset plenitudo legis aut forma reliquarum. Non magis vero requiritur ad augmentum gratiae ex parte nostra quam ad primam gratiam, sed ad id requiritur meritum ex caritate. Ergo ad hoc. Consequentia patet, quia meritum iusti est perfectius ex dignitate personae quam peccatoris, sed attritio v. g. in iusto, quamvis haberet valorem a persona, quem non habet a peccatore, non acceptatur ad gratiam aut gloriam seclusa caritate; ergo idem dicendum in peccatore (Ant. Hiquaeus).

10. Concilium Tridentinum docet attritione tantum impetrari, non vero effici gratiam in sacramento; ergo iuxta doctrinam Tridentini attritio est remota tantum dispositio ad gratiam, impetrando sc. gratiam contritionis, qua homo iustificetur.

11. In concilio Tridentino Sess. 14, cp. 3 dicitur contritionem esse partem sacramenti; atqui analogatum simpliciter prolatum accipiendum est pro praecipuo analogato; ergo intellegenda ibi est contritio perfecta.

12. Concilium Tridentinum postulat ad omnem conversionem propositum servandi mandata Dei, quorum primum et maximum est perfecta caritas.

13. Si sufficeret attritio, non posset adesse obligatio ad contritionem statim post peccatum eliciendam; sed exponere se periculo damnationis certe non potest esse licitum, cum finis noster ultimus et ratio cur degamus in hac terra sit consecutio beatitudinis.

Haec pars thesis quinque rationibus probatur:

1⁰ Concilium Tridentinum Sess 14., cp. 4. declarat contingere aliquando contritionem esse caritate perfectam et hominem Deo reconciliare priusquam sacramentum paenitentiae actu suscipiatur. Unde sic argumentamur: Dispositio ad sacramentum necessaria non aliquando tantum, sed ordinarie, sed semper reperiri debet. Atqui ex Tridentino

non semper sed aliquando tantum contingit, ut contritio sit caritate perfecta. Ergo contritio non est ordinaria ad sacramentum poenitentiae dispositio" Collet (Migne col. 252). Et ita excluditur etiam exceptio contritionem perfectam non requiri ad valorem sed requiri ad fructuosum usum clavium. „Et vero, si consilium id existimasset, clare haud dubie mentem suam exposuisset, in eo praesertim loco, ubi ex professo tractat de dispositione necessaria ad gratiam sacramenti poenitentiae percipiendam; at tantum abest asserat contritionem ex motivo caritatis perfectam esse necessariam, quin potius contrarium colligitur manifeste ex verbis subsequentibus et oppositione attritionis cum contritione." Tournely, De sacr. poen. qu. 4, art. 3.

2⁰ In prima nostri tractatus thesi probavimus potestatem clavium a Christo esse institutam non tantum ut mere declaratoriam remissionis peccatorum vel tantum ad poenarum vel peccatorum ecclesiasticorum remissionem se extendentem, sed ad remissionem peccatorum proprie dictorum. Insuper damnata est prop. 58 Baii: „Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur."

Atqui haec stare non possunt, si contritio imperfecta non esset dispositio sufficiens ad sacramenti gratiam percipiendam. Nam, cum contritio perfecta semper iustificet iam ante usum clavium, virtus sacramento servaretur aut eo, quod in contritione perfecta votum sacramenti requiratur (cf. Conc. Trid. Sess. 14 cp. 4), aut quod etiam in peccata iam remissa potestas clavium exerceri possit, qua homo Deo magis reconcilietur, aut quod contritio ipsa sit pars sacramenti et ideo remissio per eam concessa iure toti imputetur, aut quod attritus vi sacramenti evadat contritus.

Atqui a) „ut concilium Tridentinum [Sess. 14, cp. 3] dixit, praecipua vis huius sacramenti in verbis formae [in absolutione] posita est [non in actu poenitentis concurrente, nedum separato]; unde, antequam illa proferatur, non confertur effectus huius sacramenti ex opere operato; quod etiam in ceteris sacramentis videre licet. Unde contritio, prout antecedit hoc sacramentum et iustificare dicitur in voto sacramenti, non confert ad remissionem peccati ex opere operato et virtute clavium, sed ex dispositione operantis, sicut ante institutionem huius sacramenti iustificabat; ergo ex hoc non salvatur, quod peccatum ipsum remittatur virtute clavium." Suarez, Disp. 20, s. 1, n. 12. Praeterea „frequenter contingere potest et contingit reapse, quod sacramentum nullum homini contrito applicetur, ut cum quis conteritur in articulo mortis et salvatur per desiderium baptismi vel poenitentiae. Cuius ergo sacramenti intuitu collata est tunc homini contrito remissio peccati? An alicuius sacramenti abstracti, an sacramenti alteri collati? Inepta haec sunt et ridicula. Dicendum itaque foret quod, si Deus praevidet hominem contritum non esse reapse suscepturum sacramentum, ei non conferatur remissio peccati." Palmieri, De poen. th. 25, II. Nec potest voto sacramenti tribui maior efficacia quam actui poenitentis, cum sit ipsum actus poenitentis et eatenus efficiat, quatenus est ipsa

contritio. Non potest igitur votum ullo modo esse exercitium potestatis clavium, cuius vis praecipua est in absolutione. — Ceterum cf. th. III p. II ad 1.

Deinde concilium loquitur de ipso sacramento reali atque illi efficaciam remissionis proprie dictae tribuit.

Denique „haec hypothesis pugnat cum sententia adversariorum eamque penitus labefactat, ut non videantur satis intelligere, quae dicunt, qui ea abutuntur. Nimirum doctrina haec de remissione peccatorum per votum sacramenti, intelligi quidem potest eiusque ratio reddi in nostra sententia; at in sententia adversariorum est prorsus inexplicabilis nullaque freta ratione. Sane sacramentum in voto requiritur pro remissione peccati, cum hoc per solam contritionem deletur, quia sacramentum in re est institutum ad delenda peccata atque ea quoque, quae nunc per contritionem delentur. At si sacramentum non potest ex se remittere peccata, quibus adhuc detinetur homo, et idcirco ad hunc effectum non est institutum, cur requiritur eius votum pro acquirenda remissione et quomodo dicitur remittere peccata in voto, si ea nequit remittere, dum actu existit“ Palmieri, De poen. th. 25, II; cf. Sasse, De poen. th. 21, prob. II, c).

b) „Ideo potest pluries fieri absolutio eiusdem peccati, quia potest iterari ille actus, qui per se par sit peccato exsistenti remittendo. At in hypothesi, quam impugnamus, nulla est potestas, quae ferri possit in peccatum praesens“. Et „ideo augmentum gratiae est remissio, quia gratia in illo datur sub ratione remissionis, ideoque amplior est remissio; datur autem gratia sub hac ratione, quia absolutio potest remittere et ordinata est ad remittendum peccatum praesens“ Palmieri, De poen. th. 25, I; II.

c) „Concilium Tridentinum iustificationem, quae fiat cum sacramento, vindicat praecipue formae, h. e. exercitio potestatis (Sess. 14 cp. 3). Iustificationem autem intelligit transitum a statu peccati ad statum gratiae (Sess. 6 cp. 4 et 14; Sess. 13 cp. 1 et 2). In hac vero hypothesi absolutio $\alpha$) non esset unquam causa huius iustificationis; $\beta$) et si causa foret, non esset causa praecipua, sed ad summum aequalis, cum contritio par sit ad eum effectum producendum; et cum ea postuletur pro ipsa constitutione sacramenti, ideo causa esset contritio, non minus quam absolutio, gratiae sacramentalis“ Palmieri, De poen. th. 25, II.

Deinde „non quaelibet contritio est necessario pars sacramenti, sed ea tantum, quae actualiter cum absolutione ut forma sua coniungitur. Secus quoties quis conteritur, toties sacramentum suscipit, quod nemo dixerit“ Chr. Pesch, Inst. th. t. 7 n. 169. Non autem tribuitur effectus partis toti, cum pars non agit dependenter a toto.

d) $\alpha$) „Concilium Tridentinum non dixit attritionem disponere ad contritionem, sed ad gratiam in sacramento percipiendam. $\beta$) Realis illa et interior immutatio poenitentis, qua de attrito fit contritus, non satis cum experientia conciliari potest; pauci enim sunt, qui virtute sacramenti sentient in se excitari actum perfectae contritionis; non igitur hoc sensu poenitens de attrito dicitur fieri contritus, quod at-

tritio ducat ad contritionem, sed quod accedente sacramento, ad quod proxime disponit attritio, accipiat gratiam sanctificantem [cf. Palmieri, De poen. th. 26, IV] $\gamma$) Maius quiddam non est ac difficilius disponere proxime ad perfectam contritionem, quam ad gratiam sacramenti; atqui prius admittere videntur auctores huius responsionis. Et vero mutatio illa hominis de attrito in contritum vel fit virtute sacramenti actu et formaliter percepti, vel praecedit tempore aut saltem natura illius actualem perceptionem. Si prius, mutatio illa effectus est sacramenti, non dispositio, de qua hic loquimur. Si posterius, integra remanet difficultas, nempe contritionem perfectam necessariam esse dispositionem ad sacramentum poenitentiae". Tournely, De sacr. poen., qu. 4, art. 3 fin. Cf. Suarez, disp. 20, s. 1 n. 13 ss.; disp. 5, s. 3.

3⁰ Aeterna morientium salus ita potest pendere ab absolutione sacerdotis, ut si haberi non possit, ideo nonnunquam damnentur; atqui hoc falsum esset, si perfecta contritio necessaria esset ad obtinendam virtute clavium remissionem peccatorum. Aut enim adesset, et tunc moribundus etiam sine absolutione salvaretur; aut abesset et tunc nec absolvi ille posset. Posse autem ita pendere aeternam salutem ab absolutione probatur ex patribus: Augustinus, Ep. 228 ad Honoratum: Coelestinus, Ep. ad episcopos provinciae Viennensis („Salutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam paenitentiam denegarit") deinde ex Conc. Tridentino, Sess. 14, cp. 7: „Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt." Cf. Conc. Carthaginiense III. cn. 34.

4⁰ Patres paenitentiam simpliciter, non praecise ex motivo caritatis eliciendam poscere solent.

5⁰ Adde rationes pro tertia parte afferendas. Cf. etiam Catechismum Rom p. 2, de poen. § 47; iudicium sacrae Facultatis Parisiensis anno 1638 de propositionib. Claudii Seguenot; declarationem cleri Gallicani anni 1700.

Ad 1. responsum supra quaerendum est.

Ad 2. Remittitur peccatum habituale secundum ea, quae in thesi I. declarata sunt; committitur autem peccatum actuale.

Ad 3. Verum est necessitatem paenitentiae vel contritionis in particulari (i. e. huius particularis satisfactionis) non posse colligi ex sola rei natura, at falsum est eam colligi ex sola scriptura. Sed etiam ex scriptura potest satis tuto probari necessitas alicuius paenitentiae ad remissionem; sc. ex illo Christi: qui non est pro me, est contra me.

Ad 4. Contritio requiritur sumpta inadaequate et secundum praedicata generica. Cf. Palmieri, De poen. th. 30, III.

Ad 5. Sicut homo eatenus a Deo Domino avertitur etiam si creaturam formali dilectione diligat plus quam Deum, quatenus hic et nunc habet actum, vi cuius praefert creaturam Deo, unde amissio summi boni, quamvis directe non intenta, sequitur: ita actum talem retractat peccator proindeque convertitur ad Deum eo ipso, quod vi attritionis in omnibus, quae evenire possunt, vult servare legem Dei seu Deum praefert omni creaturae, unde possessio Dei tandem consequitur. Talis conversio licet nondum sit perfecta nec sit actualis dilectio, cuiusmodi pro iustificatione ex opere operato nec requiri potest, est tamen vera et est dilectio vir-

tualis seu actus ex quo necessario sequitur dilectio actualis; et licet non sit conversio ad Deum finem cui formalis, habens nempe pro motivo divinam bonitatem in se spectatam, est tamen obiectiva, ut cuius terminus ultimus saltem sit illa bonitas; simulque pro coniuncta spe veniae est conversio eadem formalis ad Deum finem qui.

Ad 6. In can. allatis vel non agitur de gratia sanctificante, sed de gratia Christi indeterminate sumpta, vel agitur de observatione legis quoad modum ut solet Augustinus (ut C. Iul. l. 4, c. 3, n. 14) de ea loqui.

Ad 7. Attritio v. g. ob foeditatem peccati est vera detestatio ipsiusmet offensae divinae non quidem quia est offensa Dei, sed propter rationem cum offensa Dei per se conexam (vel ut Suarez dicit ex aliquo motivo honesto et supernaturali); „huiusmodi autem motivum in unaquaque virtute sumendum est per conformationem ad regulam et rationem supernaturalem in propria materia." Suarez Disp. 5, s. 2, n. 12. „Ideoque quamvis [attritio] ex se non sit sufficiens, habet sufficientem proportionem, ut ab ea procedat vera accusatio peccati; nam in confessionem exteriorem non cadit illa formalitas, quod sit de offensa Dei, quatenus offensa Dei est; nam confessio exterior non respicit hoc motivum, neque hoc spectat ad externos actus, sed ad internos; est ergo confessio de ipsa Dei offensione, quam homo recognoscit et fatetur; sufficienter ergo procedit ab attritione". Suarez, Disp. 20, s. 1, n. 25.

Ad 8. „Veritas sacramenti, a qua iustificatio pendet, ex multis aliis capitibus potest esse incerta, ex intentione ministri, ex iurisdictione, ex vera ordinatione, ex veritate baptismi, qui ex parte utriusque necessario supponi debet ac denique ex debita diligentia ad integram confessionem faciendam. Quodsi haec omnia supponantur certa, nullum est inconveniens, quod poenitens sit tam certus de sua iustificatione, quam est certus de sua attritione; haec enim certitudo nunquam est tanta, quin admittat formidinem, quia homo non intuetur suam attritionem, nec evidenter discernit qualitatem aut motivum sui doloris; sed est quaedam certitudo, quae ad pacem conscientiae possit sufficere et ad prudenter deponendos scrupulos et tollendam conscientiae anxietatem: hic autem certitudinis modus etiam de ipsa iustificatione per sacramentum haberi potest. Nam sicut non obstante efficacia sacramentorum unusquisque potest de sua dispositione formidare, ut Tridentinum dixit Sess. 6. cp. 9, ita ex huius sacramenti efficacitate, si poenitens moralem diligentiam adhibeat, consequi solet pax et conscientiae serenitas, ut idem concilium dixit, Sess. 14, cp. 3." Suarez, Disp. 20, s. 1, n. 25.

Ad 9. Nulla in hoc repugnantia est ut sicut spes et fides, ita et caritas indeterminate aliquoties debeat elici. Nam ex praecepto divino tenemur ad communionem accedere, missae assistere, et quod nunc habeamus praeceptum positivum Ecclesiae de tempore, quo impleri debeat, per hoc non dicitur ita ordinatum esse iam ex lege divina; nam certum est tale praeceptum Ecclesiae esse mutabile; v. g. augendo numero dierum festorum. Nec homo tenetur semper bona operari; secus nec dormire liceret. Ad meritum autem requiritur gratia habitualis. Cf. Th. VII. p. II. ad 8.

Ad 10. „Simili modo dixerat idem concilium paulo superius in eodem capite, contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, cum tamen constet fuisse necessariam ut dispositionem ultimam" Suarez, Disp. 20, s. 1, n. 10. „Deinde si attritio tantum esset infallibilis dispositio ad contritionem, ergo quilibet attritus in sacramento confessionis eliceret ex opere operato certo et infallibiliter contritionem, tanquam effectum sacramenti; hoc autem est contra experientiam. Praeterea repugnat ut actus vitalis liber sit effectus ex opere operato sacramenti productus". Wirceburgenses, t. 5, disp. 2, c. 3, n. 160. Cf. huius partis rat. 2° loco positam.

Ad 11. Cf. p. III, A.

Ad 12. Ex hoc ad summum in articulo mortis efficeretur obligatio ad caritatis actum eliciendum. Ceterum de hac re bene notat De Lugo, Disp. 7, s. 13, n. 275 s. „Licet agatur de salute aeterna, ad quam debemus ad-

hibere remedia certa et non probabilia solum, cum tamen quaestio non sit, an attritio cum sacramento sit remedium vel non, sed an sit obligatio adhibendi aliud remedium contritionis propter incertitudinem illius et sit probabilis sententia multorum dicentium non dari talem obligationem, non obstante sententia negante iustificationem per attritionem cum sacramento, non est, cur non possit aliquis conformare se in operando cum hac sententia et negare in se eiusmodi obligationem. Adverte tamen, quae dicta sunt procedere de obligatione orta ex incertitudine illius remedii et debito procurandi salutem aeternam per remedium magis certum, ut vult contraria sententia. Adhuc enim dubitari potest, an sit obligatio habendi contritionem in articulo mortis orta ex alio capite, sc. ex praecepto diligendi Deum, quod quidem dicunt communiter theologi obligare ad actum amoris Dei saltem in fine vitae, de quo videri potest Sanchez l. 2. In decalog. c. 35 n. 9 et Coninck, De carit. disp. 24. dub. 3 n. 51, quam tamen obligationem negat Azor. t. 1, l. 9, c. 4, q. 1. Sed quicquid de hoc sit, illa non esset obligatio habendi contritionem, sed dilectionem Dei."

Ad 13. Cf. Thes. 4, schol. 3.

P II. A t t r i t i o e x m e t u g e h e n n a e p o s i t i v e e x c l u d e r e p o t e s t o m n e m v o l u n t a t e m g r a v i t e r p e c c a n d i.

Dub. 1. Attritio ex metu gehennae procedens ipsa est mala et peccaminosa; nam ipse finis fugiendi mali poenae est malus. Nam haec intentio oritur ex amore proprio, quo quis sua quaerit, non autem quae Dei sunt et adversatur voluntati Dei punientis.

2. Licet demus illud motivum non esse malum, tamen etiam non est bonum, sed indifferens, quia fugere poenam solum pertinet ad quandam naturae commoditatem, quam quaerere et malum et bonum esse potest. Sed etiamsi aliquam bonitatem haberet ille metus, certe est minus bonus quam detestatio seu fuga culpae. Sed referre id, quod excellentius est ad id, quod vilius atque minus nobile est, perversus est ordo, atque peccatum, quod in perturbatione ordinis consistit.

3. Qui peccatum detestatur ex solo metu gehennae, non est sollicitus, quod peccatum sit malum Deo; adeoque aequivalenter dicit: Detestor peccatum, quia mihi malum est, illud non detestaturus, si tantum esset Deo malum; quandoquidem tota ratio detestandi est poena; et cessante causa adaequata, cessat effectus. Cf. Augustinum, De natura et gratia c. 57. (Šost'in in Vêra i Razum 1887 II, 479).

4. Qui odit peccatum propter infernum, magis odit infernum quam peccatum; ut enim communiter dicitur: „Propter quod unumquodque tale, et illud magis" ; sic qui medicinam vult propter sanitatem, sanitatem unice amat aut plus sanitatem quam medicinam. Et sane implicat, ut qui ex metu gehennae culpam fugit, malit gehennam amplecti quam culpam; alioqui gehennam eodem amplecteretur actu, quo ipsam fugit. Atqui inordinatio est magis odisse minus malum quam maius.

5. Quae fiunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid; ergo dolor ex metu non est bonus, cum involvat necessario affectum peccati latentem et condicionatum. Sicut enim qui in periculo naufragii proicit merces in mare, est ita dispositus ut nollet proicere nisi urgeret naufragii periculum, ita a pari, qui ex metu gehennae vult deserere ac vitare peccatum, est ita dispositus, ut nollet peccatum vitare, nisi esset gehenna. Et sane quivis talem attritionem solam habens, dicere sibi debet: si non esset infernus, quem timerem, vellem peccare. Cf. A u g u s t i n u s, Serm. 169, c. 6 („Qui timore poenae non concupiscit, puto quia concupiscit"); Enarr. in Ps. 93 n. 1 („Qui timore innocens fit, non est innocens").

6. Quod opponitur caritati, bonum esse non potest; atqui metus ideoque et attritio inde nata opponitur caritati; quod enim expellit caritas, caritati opponitur. Cf. 1. Ioan. 4, 18; A u g u s t i n u s, Enchirid. c. 117n. 31. („Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas").

7. Primo et maximo mandato tenemur, omnia nostra referre ad Deum ex motivo caritatis; ergo si quis detestetur peccata ex motivo spei, religionis, timoris aut alius virtutis tantum, peccat saltem peccato omissionis; estque defectus non tam actionis seu spei aut virtutis moralis, sed ex parte agentis, qui actionem non ex caritate refert ad Deum. Et sane attritus ut supponitur Deum non amat; sed impossibile est, ut penitus nihil amet; amat ergo creaturam, magisque quam Deum, unde sequitur quod Christo dignus non sit. Cf. Aug. Serm. 349 (cum diabolo eris, si cum Christo non fueris).

8. Peccat, qui Deum propter aliud tantum diligit, v. g. propter bona temporalia, amore mercennario: ergo peccat etiam, qui Deum timet propter aliud, nempe propter infernum.

9. Si attritio ex solo timore bona esset, esset actus virtutis. Atqui fatentibus Guilelmo Paris., Salmerone, aliis, non est actus virtutis.

10. Etiam s. patres censent attritionem ex solo metu gehennae esse malam. Ita Augustinus, Contra duas epist. Pelagianorum l. 1., c. 9: „In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.“ Idem. Ep. 145 (al. 144) ad Anastasium: „Inimicus iustitiae est, qui poenae timore non peccat; amicus autem erit, si eius amore non peccet; tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere“. Idem, De civ. Dei l. 14, c. 10: „Neque enim nullum peccatum est, ea quae lex Dei prohibet, concupiscere atque ab his abstinere timore poenae, non amore iustitiae.“ Idem, Ep. 153 (al. 54) ad Macedonium, c. 6: Haec cum timentur, et coërcentur mali et quietius inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo non peccant; non enim bonus est quispiam timore poenae, sed amore iustitiae.“ — Gregorius M., Moral. l. 1, c. 23: „Ecclesia simplicitatis suae et rectitudinis vias timore incohat, sed caritate consummat; cui tunc est funditus a caritate recedere, cum ex amore Dei coeperit iam nolle peccare; cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit; quia eo ipso peccat, quod peccare vellet, si peccare inulte potuisset.“ — Bernardus, Ep. 11: „Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam: mutant interdum voluntatem vel actum, affectum nunquam“. Cf. Isidorus Hispal. Sent. l. 2. c. 21. — Etiam secundum s. Thomam ille operatur „ex timore servili, in quantum est servilis, qui non amat iustitiam, sed solum poenam timet“ et „timor servilis ex parte servilitatis habet, quod sit malus“. S. th. II. II qu. 19, art. 4. Cf. I. II. qu. 107, art. 1. ad 2.

11. Qui dolet de peccato ex efficaci amore salutis aeternae, solum habet virtualem voluntatem mediorum, quae necessaria sunt ad eandem salutem; sed ad vitandam damnationem non est medium necessarium vitare postea hoc peccatum hic et nunc; sufficit enim vel vitare illud, vel saltem postea delere illud per poenitentiam.

12. Attritio ex solo poenae timore, etiamsi esset honesta, tamen certe non potest positive excludere peccandi voluntatem. Nam „qui solo metu poenae abstinet a peccatis, nec simpliciter ab his recedit, nec recedere vellet, si peccare posset impune; ergo non alienus est a voluntate peccandi, ut ait s. p. Augustinus, nec peccare metuit, sed ardere.“ Berti, De theol. disciplinis l. 34, diss. 1, c. 4.

13. Deinde, ut positive aliquid excludatur, debet inter excludens et exclusum esse pugna et insociabilis oppositio, ita fides infidelitatem, spes desperationem excludit; non tamen intemperantiam, incontinentiam etc. Nam saepe quis credit et est intemperans et incontinens. Nec inde tamen spes aut fides aliquid habent vitii, sed virtutes sunt . Ita timor fidei et spei coniunctus bonus est, coërcet animi contumaciam etc., cui per se opponitur, non tamen excludit voluntatem peccandi secundum se et prout est Dei offensa, quia peccato secundum hanc rationem non opponitur. Berti, De theol. disc. l. 34, diss. 1, c. 4.

14. Qui grave peccatum committere mallet quam gehennam subire, graviter hoc ipso peccaret, neque amplius per attritionem ex metu gehennae peccatum hoc retractare posset. Si enim posset peccatum illud retrac-

tari, tunc necesse foret, ut attritus diceret: mallem subire gehennam, quam peccatum grave committere. Atqui id attritus dicere nequit, quia non alia de causa peccatum detestatur, quam quod gehennam inducat. Ergo attritio etiam appretiative maxima non semper excludit affectum peccati.

15. Ut detestatio peccatorum sit efficax, necesse est in ipsa virtualiter includi propositum omnia mandata Dei servandi. Atqui impossibile est in attritione ex metu includi propositum implendi mandatum praecipiens dilectionem Dei super omnia Nam in hac includitur actus. 'Non peccarem etiamsi peccatum necessarium esset ad vitandum malum gehennae'. Atqui ad talem actum nemo potest motivo timoris gehennae determinari.

16. Non potest quicquam perfecte odio haberi, cuius contrarium non diligatur; ergo nec potest quis sincere odisse peccatum, nisi ex amore iustitiae.

17. Affectus peccati vere ac proprie non exstinguitur nisi odio peccati vere ac proprie tali; atqui attritio ex metu gehennae concepta non est odium peccati vere ac proprie tale. Illud enim proprie non habetur odio, quod non propter se, sed propter aliud odio habetur. Peccatum autem non habetur odio propter suam malitiam, sed propter poenam.

18. Voluntas peccandi positive numquam excluditur, nisi excludatur voluntaria aversio a Deo. Voluntaria autem aversio a Deo non excluditur nisi per seriam conversionem ad Deum. Atqui seria et voluntaria conversio ad Deum non potest haberi per solum metum poenae aeternae. Nam a) qui ad Deum non convertitur ut ultimum finem cui, non ad Deum reapse, sed ad se convertitur; b) non potest dici plene voluntarium, quod ex voluntario et involuntario mixtum est. Cf. Augustinus, In ps. 118 c. 11.; attritio igitur est extorta, non libera, vitio timentis, non, id quod concilium damnavit, vitio timoris.

19. Licet attritio ex metu gehennae tollat futuram peccandi voluntatem, certe non tollit praeteritam. Ita Van Roi, Henricus a s. Ignatio, Havermans, alii.

20. Augustinus In ps. 118, s. 25: „Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur poena, servilis est, quia carnalis est; et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; cum vero poena creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere et dolet non licere, quod lex vetat". Cf. In ps. 118 s. 2; In ep. ad Gal. n. 43; De natura et grat. c. 57; Serm. 178 c. 9; Enchir. c. 121; Ad Bonifacium l. 2, c. 9; Ap. 145 (al. 144). Haec post Jansenium (De grat. Christi l. 5, c. 27 s.) a multis obiciuntur velut a Le Drou, Juenino, Amort. Affertur item Gregorii M. Pastor. cur. l. 3, admon. 14, s. Bernardi Ep. 11 de diligendo Deo, 3. Cf. etiam Prosper, Sentent. c. 172. Itaque „luce meridiana clarius est Augustinum et Gregorium pro amoris ad veram conversionem necessitate tamquam pro aris ac focis pugnasse."

Sed prolata ab adversariis argumenta evertuntur his.

1⁰ „Concilium Tridentinum, Sess. 14, cp. 4 supponit posse aliquam attritionem ex metu gehennae conceptam excludere peccandi voluntatem. Potest ergo attritio ex metu gehennae esse talis, ut excludat voluntatem peccandi. Iam vero haec exclusio voluntatis peccandi non alteri causae coniunctae cum attritione, sed ipsi attritioni asseritur a Tridentino; non enim dicitur: si excludatur voluntas peccandi, sed: si excludat (nempe attritio) voluntatem peccandi: est nempe attritio, quae hanc vim et efficaciam habere censetur excludendi peccandi voluntatem. Et sane nequit intelligi haec exclusio in attritione procedere a caritate, ut adversarii volunt; posuit enim concilium attritionem esse sine caritate; eam enim imperfectam contritionem distinguit ab alia, cuius hic est unicus character proprius, quod sit perfecta caritate.

Docent ergo Tridentini patres attritionem ex metu gehennae concipi talem posse, quae voluntatem peccandi excludat". P a l m i e r i, De poen. th. 28, II. Nec Lutherus unquam docuit attritionem ex metu gehennae conceptam esse malam, si voluntatem peccandi excludat; sed ab ea voluntatem peccandi saltem condicionatam illam et tacitam, unquam excludi negavit. Unde expressis quoque verbis eius sententia reicitur, effici attritione illa hominem hypocritam, qui nempe alium simulet exterius atque interius sit.

Intellegi autem exclusionem positivam facile patet. Etenim „Concilium Trid. requirit attritionem, quae voluntatem peccandi excludat: non negative tantum, per solam cessationem a tali voluntate; hoc enim modo quaelibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit, sed positive per formalem aut virtualem repugnantiam veramque mutationem voluntatis dissentientis a peccato et consentientis gratiae Dei" S u a r e z Dis. 20. s. 2; nam „alioqui re vera non est dolor, qui excludit illam voluntatem, sed aliunde contingit illa carere." Idem ibid. s. 4.

2⁰ „Positum est in natura liberae voluntatis, quod ex volitione finis possit efficaciter determinare se ad volitionem mediorum [nisi aliunde repugnet talis determinatio] et vicissim, quod perinde est, ex nolitione mali possit se efficaciter determinare ad nolitionem eorum, quae sunt causa eius mali. Potest nempe timor mali, quod nolumus subire, determinare voluntatem ad non agendum id, quod ad illud adducit, neque aliud requiritur ad hoc, ut abstineamus ab eo, quod est causa poenae, quam quod vere nolimus subire poenam, illudque, h. e. causa, sit in nostra potestate". P a l m i e r i, De poen. th. 27, X. „Medium autem eligendum et fuga cuiuscumque peccati, sive exterioris sive interioris tantum, affectus idcirco [obiective condicionatus et inefficax deliberatus] ad peccatum (et voluntas condicionata peccandi); quae quidem omnia sunt in nostra potestate. Ergo voluntas vitandi poenam potest gignere voluntatem absolutam vitandi peccatum" P a l m i e r i, De poen. th. 28, II. Eamque voluntatem, qua etiam positive omnis voluntas peccandi excludatur, quatenus repugnet cum servata quidem eadem animi dispositione unquam simul consistere affectum liberum in peccatum. Cf. I o. C h r y s o s t o m u m, Hom. 15. de statuis, n. 1.

Esse autem media illa in nostra potestate etiam in sensu composito cum attritione ex solo gehennae metu inde apparet, quod malum gehennae nunquam concurrere potest cum peccato ita, ut velit homo potius quaecumque mala subire, vel pati iacturam cuiuscumque boni, quibus removeri possit a servitio Dei, quam peccare. „Nam non solum historice numquam dabitur haec optio: aut poenam aeternam subeas, aut pecces, sed praeterea est absurda et impossibilis; repugnat enim ut Deus, qui ceteroqui solus poenam inferni infligere potest, hanc optionem proponat. Itaque qui peccatum detestatur ut inductivum poenae inferni non vult in ulla occasione homini possibili peccatum admittere; exclusa est ergo voluntas peccandi." P a l m i e r i, De poen. th. 28, III, d, 3) Cf. D e L u g o, De poen. disp. V, n. 144.

„Dixi supra posse nos ex desiderio alicuius finis eligere omne id quod est utile ad illum finem consequendum, n i s i aliunde specialiter

repugnet talis electio. Potest enim aliunde repugnare. Ut, si aliquis putaret necessarium vel utile esse ad suam salutem, habere odium suae salutis, non posset quidem ex desiderio vel amore suae salutis concipere odium eiusdem salutis, quia id specialiter repugnat; haberet enim simul amorem et odium suae salutis Posset tamen ex desiderio salutis offerre se ad patiendum infernum: quia ipsa oblatio non est amor inferni nec odium salutis, sed permissio illius, eo quod sciam illam permissionem et oblationem ex parte mea esse medium ad vitandum infernum.“ De Lugo, Disp. 14 n. 61.

Ad 1. Timor poenae, cum sit de obiecto, quod ex se odio et fuga dignum sit, nequit esse per se inhonestus; secus etiam velle beatitudinem ut bonum proprium esset inhonestum. Nec timor servilis „potest esse nimius intensive: nemo enim Deum iratum aut sempiternum exitium nimis timere potest; quin etiam nemo tantum in hoc mundo timet gehennam, quantum timeret, si eam bene perspectam haberet. Potest quidem gehenna nimis timeri appretiative, ut si quis data optione mallet gehennam fugere quam peccatum; sed iste excessus non oritur ex vitio timoris, quasi ille in se sit nimius et proinde sit causa malae aestimationis, sed ex defectu caritatis“. Bellarminus, De poen. l. 2, c. 18, 5$^{0}$. Cf. Ripalda, tom. 3. disp. 22. sect. 7. (ubi ostendit timorem servilem poenae elici a virtute spei).

Ad 2. „Ordinare tale medium ad illum finem non est intrinsece malum; nam revera illud medium est proportionatum; sicut enim poena non debetur nisi propter culpam, ita nullum medium est aptius ad vitandam poenam, quam vitare culpam; ergo ex hac parte est proportio. E converso autem, quamvis culpa sit malum altioris rationis, quam poena, non propterea inordinatum est aut pravum ordinare detestationem peccati ad fugam poenae, quia ille est finis proximus, et non excludit finem ultimum, qui est Deus, ad cuius gloriam totum hoc referibile est, et quamdiu non excluditur, ex se in illum tendit; sic enim etiam Deus ipse interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris, quando utrumque in gloriam suam cedit, et ordinavit incarnationem et passionem Christi ad gloriam nostram. Sic ergo in illo actu nulla est intrinseca inordinatio, quamvis sit minor perfectio seu imperfectio negativa, non proprie privativa, quia non caret aliqua circumstantia sibi debita secundum rectam rationem. Quia non tenetur homo semper intendere quod est optimum, nec ordinare unum bonum ad aliud melius vel aequale; neque velle quodlibet opus propter intrinsecam rationem boni, quae in ipso est, sed potest illud velle propter rationem extrinsecam bonam, etiamsi minor sit, quia id per se satis est, ut operatio sit bona. Neque in hoc fit iniuria ipsi maiori bono, dum ordinatur ad minus, quia non propterea privatur sua honestate, et quia utrumque tandem tendit in finem ultimum, et quia saepe inferiora a superioribus convenienti ratione iuvantur“. Suarez, De poen. Disp. 5, s. 2 n. 7.

Ad 3. „Qui peccatum detestatur ex solo metu gehennae utrumque simul et culpam et poenam detestatur; poenam quidem immediate et ratione sui, culpam vero mediate et ratione poenae, eo quod haec utpote sensus afficiens, phantasiam magis moveat et appetitum sensitivum, quam illa, quae solum afficit rationem. Neque ex eo sequitur, quod homo non esset detestaturus peccatum, si Deo tantum et non etiam homini esset malum. Talis enim detestatur peccatum quia causat gehennam non excludendo voluntatem detestandi quia Deo malum est, sed quasi ab eo praescindendo. [Potest enim unum motivum movere ita, ut praescindatur ab alio]. Immo qui detestatur peccatum propter gehennam, vi praecise huius actus nec magis peccatum detestatur ac refugit quam gehennam, nec gehennam magis quam peccatum; sed ab affectu utrimque magis appretiativo praescindit ac praecise unum detestatur ac refugit propter aliud, culpam propter gehennam.“ — Sardagna, theol. dogm. t. 8, n. 138. Cf. Suarez, Disp. 5,

s. 2, n. 8. Sed illud utique damus vi talis actus attritionis in alio ordine, ubi non esset poena, non fore, ut peccatum excluderetur.

Ad 4. „Respondeo inordinatum esse maius bonum ordinare ad minus sic, ut maius bonum destruatur propter minus aut ei absolute postponatur, non tamen esse inordinatum ex motivo seu desiderio minoris boni amplecti maius". Platelius, Synops. p. V n. 691. Igitur „plus timetur poena quam culpa: dist.: plus intensive, conc.; plus appretiative, subdist.: si [propter comparationis necessitatem] positive excluderentur omnia alia motiva dolendi de culpa, iterum conc.; si non excluduntur, sed solum ab eis praescindatur, neg. — Et ratio est, quia nulla esse potest comparativa appretiatio peccati, quando affectus non fertur in peccatum secundum totam aestimabilitatem, quam iudicat ei competere. Et simile est, si amem Petrum quia est bonus musicus, non sequitur, quod appretier artem musicae plus quam Petrum ipsum, nisi positive excludam a Petro omnem aliam rationem aestimabilitatis". Billot, De Eccl. sacram. l. 2, th. 14, § 2. Cf. Sylvius, Supplem. q. 1, a. 2, qu 1; Billuart, De sacr. poen. diss. 3, a. 5. („Sic iustus, qui videns suspendi furem, odit furtum propter patibulum, seu ut evitet suspendium; non sequitur tamen, quod oderit magis suspendium quam furtum, si quidem, cum supponatur iustus, si inter utrumque faceret comparationem, et alterutrum, aut furtum aut suspendium eligendum proponeretur, magis eligeret suspendi, quam furari. Item iustus diligit Deum propter retributionem; non tamen sequitur, quod magis diligat retributionem quam Deum.") Quare etiam illud „propter quod unum quodque tale, et illud magis" distinguendum est: propter quod u. tale, tanquam finem totalem aliorum exclusivum aut tanquam finem ultimum, c.; tanquam finem totalem praecisive aut tamquam finem proximum, non ultimum n.

Ad id quod additur de contradictione inter fugam gehennae et eiusdem praelationem prae culpa ita respondet cum De Lugo, De poen. disp. 14 n. 59. Collet, De poen. p. 2, c. 4, a. 3 n. 425.: „Ea mentis dispositio, vi cuius homo paratus sit gehennam subire potius quam culpam, si gehennae perpessio medium foret ad culpam vitandam necessarium, adeo parum incompossibilis est cum efficaci odio gehennae, ut ex his actibus alter alterum trahat; quia efficax gehennae odium necessario imperare debet actum quemcumque alium, qui ad vitandam gehennam necessarius supponitur. Quapropter homo ille per hunc actum non amplecteretur poenas gehennae quasi eas amando vel cupiendo absolute, sed offerendo se et quidem sincere ad eas subeundas, ut ipsas per oblationem hanc effugiat; quo fere modo se quis iudici offerret ad mortem sciens se mortem evasurum, si ad hanc se offerat. Quemadmodum igitur homo iste non vult absolute mortem, cum se ad eam subeundam non offerat, nisi ut ipsam vitet, sic poenitens gehennae poenas vult absolute non pati, idque vult per eum actum, quo se offert ad eas subeundas, cum actum eo eliciat fine, ut eos vitet". Ceterum ex chimaericis suppositionibus nihil solidi potest deduci. Et de facto iuxta leges Dei in hac providentia non incurret aliquis inferni tormenta, eo quod illa eligat potius, quam peccare mortaliter, nec peccatum mortale est medium necessarium ulli ad fugiendum infernum Tamen non nego, quod de facto posset aliquis ex ignorantia reduci ad eas angustias, ut cogitaret sibi hic et nunc necessarium esse committere aliquod peccatum mortale ad vitandum infernum, ut si daemon minaretur alicui, se illum statim ad inferos rapturum, nisi aliquod mortale peccatum committeret. Id tamen non tollit sufficientiam motivi ad omnia peccata vitanda. Sufficit enim, quod quantum est de se, sufficiens sit, licet hic et nunc per accidens propter ignorantiam vel inadvertentiam non possit conducere ad vitandum peccatum." De Lugo De poen. disp. 14 n. 60 Ceterum etiam in hoc casu sufficere censet Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6. n. 229.

Ad 5. „Perperam producitur hic axioma illud. Nam, ut ex verbis ipsis patet 'quae fiunt', refertur huiusmodi axioma ad actus imperatos, quos per se voluntas nollet, sed in certis adiunctis ad maius malum vitandum vult, quique poni possunt manente in voluntate etiam actuali propen-

sione ad oppositum, quae finis consecutionem sive mali impendentis fugam non impedit. Unde quod fit, dicitur involuntarium secundum quid. At falsum est axioma, si transferatur ad actus ipsos elicitos voluntatis, quibus ipsa malum, quod timet, comparare sibi potest. Si enim voluntas reapse timet infernum et non vult illum mereri, atque adeo non vult peccare, nequit retinere affectum actualem ad peccatum, qui iam peccatum esset et impediret evitationem mali, quae intenditur . Idcirco quod agitur ex huiusmodi metu, non est involuntarium secundum quid, sed est prorsus voluntarium. Eademque efficacia agit in voluntate hic timor mali atque agit desiderium boni. Quare dici quidem poterit quod, nisi fuisset timor, forte voluntas hic et nunc non esset detestata peccatum, sed hoc est commune ceteris aliis motivis, spei etiam et amoris, [si non speraret, amaret, tunc forte hic et nunc non detestaretur], idque tantum id nos docet, quod voluntas ad agendum indiget aliquo motivo, quo determinatur ad actum. At exsistente eo timore et voluntate vitandi infernum homo nequit simul aliquid velle, quod cum hac voluntate intrinsece pugnat malumque vitandum inducit.“ Palmieri, De poen th. 27, XI.

Quod autem additur hominem ita attritum debere sibi dicere: si non esset infernus, vellem peccare, „dupliciter accipi potest haec propositio. Nimirum 1) ita, ut ea condicio sit extrinseca actui detestationis, atque ea propositione significetur tantum, quid absolute faceret aliquis, si exsisteret alius ordo rerum, in quo nec paradisus esset nec infernus. 2) Potest accipi ita, ut condicio ea sit intrinseca actui, qui idcirco sit ipse intrinsece condicionatus, h. e. sit talis voluntas, quae actualiter detestatur tantum peccatum ratione poenae, servans amorem adhuc erga ipsum per se spectatum. Si priore modo accipiatur ea propositio condicionata, quam quisquis sicut de aliis, ita et de se ipso enuntiare potest, cum obiectum eius sit abstractum et tantum possibile, sitque actus intellectus tantum iudicantis de aliqua re possibili sub quadam condicione, non actus voluntatis, quae in illud obiectum feratur; ea non arguit per se aliquam malam voluntatem praesentem in eo quoque, qui de se ipso eam proferret. At accepta ea propositio secundo modo significat malum motum praesentem voluntatis, quae retinet adhuc affectum ad peccatum finemque ultimum in se ipsa constituit“. Palmieri, De poen. th. 27, VI. Quod exemplum attinet notandum est mercatorem utique non praesumi proiecturum merces extra necessitatem, utpote utiles sibi. Sed peccatum, licet ob suam delectabilitatem alliciat, ob suam tamen turpitudinem retrahit voluntatem a sui amore. „Si merces essent de se causa naufragii, eo ipso odium illarum imminente naufragio esset odium ipsarum absolute, nullo retento affectu ad merces secundum se“. Salmanticenses, t. XX, disp. VII, dub. 1, n. 48.

Augustinus quali de timore loquatur satis explicat ipse: priore loco: „Latro timet leges hominum et ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum; tu autem leges eius times, eius poenas times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses!“ Loco posteriore: „Qui autem timore innocens fit, non est innocens, quamvis non noceat, cui vult nocere. Non enim nocet alteri per factum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam.“

Ad 6. Timor simpliciter servilis caritati non opponitur contrarie, sed negative, quatenus non est actus caritatis et qui peccare refugit solum ex motivo timoris, nondum operatur ex caritate, ut filium decet. — „Sensus apostoli est quod qui perfecte Deum diligit, non timet ne in die iudicii damnandus sit a Deo, testimonium sibi perhibente conscientia eius, quod Deo serviat. In hoc perfecta est, ait versu superiore, caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii. Non affirmat vero apostolus, quod timor hic a caritate excludatur cum omnimoda certitudine, sed intelligendum est cum ea morali certitudine, cuius nostra condicio est capax. Porro et cum exclusione huius timoris, quae locum habet manente caritate componitur illud, quod abstineamus a peccato etiam ex hoc motivo, ne sc. incurramus poenam, a qua abhorremus.“ Palmieri, De poen. th. 29, VI.

Verborum s. Augustini „sensus non est actionem, quae ex caritate Dei non elicitur, eo ipso esse a carnali cupiditate adeoque formaliter malam. Sicut enim omnis actio hominis iusti in quo regnat ac dominatur caritas, bona semper non est; alias iustus nunquam peccaret: ita quoque omnis actio hominis in peccato exsistentis, in quo viget cupiditas mala semper non est; alias nihil boni operari usquam posset, quo ad gratiam in sacramento percipiendam se disponeret et ita converti ad Deum nunquam ille posset, quod certe et falsum et perabsurdum est.“ Tournely, De sacr. poen. qu. 5, a. 1., obi. 4. Cf. Baii propositionem n. 4. a Pio V damnatam. Sensus illius loci igitur est: homo vel Dei amicus est per habitum caritatis, vel inimicus per habitum vitiosae cupiditatis.

Ad 7. „Sufficit referri omnes actiones nostras ad Deum relatione quadam conformitatis, eo quod sint conformes regulae primae morum seu normae recte agendi, qui Deus est; quo quidem sensu spes et virtutes morales opus suum ad Deum ut finem referunt implicite, ita ut Deus sit omnium actionum illarum moralium finis ultimus cui. At vero caritas suis actibus ita explicite fertur in Deum, ut hic sit finis qui, et finis proximus et ultimus cui.“ Wirceburgenses, Theol dogm. t. 5, disp. 2. n. 152. Se vero amet attritus formali dilectione, dum Deum amet secundum propositum; nec enim tenetur Deum formali dilectione semper amplecti.

Ad. 8. Deus, cum sit summum bonum nec ullo modo in se malus, non potest propter se timeri, sed debet propter se amari nec solum propter bona temporalia.

Ad 9. „Aliqui [communiter Thomistae] censent non esse necessarium, ut ab aliqua virtute procedat; quia est, inquiunt, imperfectus talis actus, virtutes autem sunt propter actus perfectos. Sed hoc non recte dicitur, tum quia ille actus, ut dixi, non est imperfectus privative, sed negative tantum; id est non tam perfectus sicut contritio; virtutes autem sunt ad huiusmodi actus imperfectos, alioquin una sola caritas esset nobis infundenda... Dicendum ergo est hunc actum pertinere ad virtutem spei; nam eiusdem principii est amare aliquod bonum et odio habere contrarium malum; cum ergo hic actus fundetur potissimum in timore gehennae, quae directe opponitur vitae aeternae, quam spes intendit, fit ut huiusmodi actus ad eandem virtutem pertineat et eandem supernaturalitatem habeat. Et ita etiam obiter intelligitur, quomodo in peccatoribus maneat sufficiens principium huius actus: quia cum fide spes etiam in illis permanet.“ Suarez, De poen. disp. 5, s. 2, n. 10.

Ad 10. Opponimus imprimis: Clementem Alex. Strom. l. 2, c. 6 s.; l. 7 c. 12.; Afrem Paraen. 48. n. 4; Basilium M., Ep. 46 n. 5; Ambrosium, In ps. 118, serm. 15 n. 37 ss.; Hieronymum, In Malach. 1, 6; Gregorium, Hom. 34 in evang.; Augustinum ipsum, In ps. 127, n. 7 s.; Serm. 161, n. 8; In ep. Ioann. tr. 9 n. 4 etc. Quid igitur s. Augustinus voluit? Respondet Faure, In Enchiridion c. 121 nota 3. „Non satis est habere timorem gehennae in corde et in opere cavere a peccato, a latrocinio, ab adulterio , . Tertium praeter ea duo requiritur: voluntas bona interior, quae nullam habeat culpae admixtionem, quae peccandi voluntatem malamque excludat cupiditatem . Ratio autem seu necessitas ista inculcandi urgebat Augustinum tum propter catholicos, tum propter pelagianos. Propter catholicos quidem, quia plurimi eorum sive ex defectu instructionis, sive ex malitia habebant teste Augustino, In ps. 149 [n. 14] ea cordis prava desideria etiam cum ex metu abstinebant a colluvie peccatorum externorum.— Propter pelagianos, quia putabant timorem incussum a lege terrente satis esse sine ducente Spiritu ad bene operandum, quos Augustinus impugnat distinguendo illa tria: timorem in corde, abstinentiam peccati in opere et praeterea bonam internam voluntatem sive amorem ac delectationem iustitiae, excluso omni malo desiderio. Quamvis autem tum timor poenae tum abstinentia ab opere externo pravo haberi posset sine gratia Christi et Spiritus sancti adiutorio, voluntas illa tamen ea gratia indigebat. Inde erat Augustino necessitas ista tam saepe inculcandi.“

Modus autem loquendi eius ita explicatur a Palmieri, De poen. th. 29, IV.: „Advertimus Augustinum opponere duos timores, servilem et castum. Timor castus est, quo non sola poena, sed et culpa timetur et odio habetur, quo bonum fit ex amore iustitiae; quo sponte ex corde fit bonum, quo timetur separatio a Deo. Alter timor huic oppositus est, quo sola poena timetur, manente interius amore et cupiditate peccandi. Iam vero censemus timorem castum Augustini complecti utrumque timorem, eum nempe, quem nos dicimus simpliciter servilem et filialem, appellatione quidem accepta a nobiliore timore, ut quemadmodum caritatis nomen frequenter penes Augustinum significat quemlibet bonum motum voluntatis, ita et timor castus, qui cum caritate cohaeret, significet quemcumque bonum timorem. Timor vero servilis Augustini ille est, quem nos dicimus serviliter servilem. Id si suadeamus, nihil erit, quod nobis amplius possit obici ex Augustino... Porro eam esse sententiam Augustini, quam diximus, his animadversionibus suademus: a) Timor servilis, qui ab Augustino opponitur timori casto, est ille, quocum manet voluntas peccati, mala cupiditas, quo sola poena, non culpa timetur; atqui hic est timor proprius servorum, qui serviliter servilis dicitur. b) Timor, quem Augustinus in testimoniis obiectis reprehendit, ille est, quo timetur quidem poena, sed non habetur odio peccatum, non amatur iustitia . atqui hic est timor serviliter servilis. c) E contrario timor castus ille est, quo fit bonum ›amore iustitiae, quia iustum est, ne amittatur amplexus pulcherrimi sponsi‹. Atqui ex attritione quoque concepta ex timore simpliciter servili consequitur, ut bonum fiat amore iustitiae ; sicut enim attritus vere odit peccatum, ita vere diligit iustitiam; ideoque actiones eius sequentes et fuga peccati sunt ex odio peccati concepto, sive ex concepto amore iustitiae. Ipse vero actus attritionis ex metu, licet non sit ex motivo formali amoris iustitiae, est tamen et ipse amor iustitiae, sicut est odium peccati Pariter bonum fit, ne amittatur amplexus pulcherrimi sponsi, quatenus attritus ex timore reapse desiderat aeternam felicitatem sive possessionem Dei.“ Ceterum non posse hinc seriam difficultatem fieri patet ex eo quod notat Hurter Comp. t. 3, n. 475: „Apud s. doctorem formulae negantes vel formulae his aequivalentes, ut ‘sine amore, sine caritate’ etc. (sicut etiam in scripturis) saepe designant non simplicem omissionem actus amoris vel absentiam motivi caritatis, sed actum habitumque plane oppositum odii, aversionis etc.; accipiuntur sc. in sensu contrario.“ — Ad reliqua testimonia similiter respondendum est atque cum Palmieri Augustinum explicavimus, praesertim c).

Ad 11. „Licet Deus possit me salvare etiamsi ego peccem, et possit dare mihi tempus poenitentiae, id tamen non est in mea potestate. Quare, si ego volo efficaciter salvari, volo non peccare, quia volo non ponere tale impedimentum, quo posito non sit in mea potestate salvari.“ De Lugo, de poen. disp. 14 n. 63. Cf. ad hoc Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6 n. 233 ss.

Ad 12. responsum patet ex supra dictis.

Ad 13. „Non est quaestio, utrum timor poenae atque spes boni exsistentes in animo formaliter excludant peccatum; sed utrum ex timore poenae vel desiderio boni determinari possit talis detestatio peccati, quae excludat voluntatem peccandi.“ Palmieri, De poen. th. 28, III. a).

Ad 14. „1° necesse non est ut actum illum retractet expresse et formaliter, sed sufficit, si retractet virtualiter et implicite, detestando absolute et efficaciter ob timorem gehennae appretiative maximum omnia mortalia a se admissa et proponendo seriam emendationem. 2° etiamsi vellet actum illum formaliter et expresse retractare, non foret necesse, ut diceret: mallem subire gehennam quam graviter peccare; sed satis esset, si diceret: paenitet me, quod habuerim voluntatem potius graviter peccandi quam gehennam subeundi, vellemque non habuisse talem voluntatem, quae ad vitandam gehennam mihi nihil prodesse potuit, sed magis obfuit, cum propter illam gehennae reatum incurrerim.“ Sardagna, Theol. dogm. tract. 6, p. 3. n. 144. De Lugo, De poen. disp. 14 n. 58. („sicut qui habuit peccatum invidiae, non oportet ad dolendum de hoc peccato quod dicat: ‘ego gaudeo

positive de bonis illius et malo, quod ipse ea habeat, quam ego'. Satis enim est, si dicat: 'doleo quod doluerim de bonis illius, et vellem non habuisse talem actum doloris'; de obiecto autem illius actus invidiae nihil dicit, sed de ipso actu.")

Ad 15. „Ad hoc, ut in attritione pure formidolosa includatur efficax propositum servandi mandatum dilectionis Dei, oportet, ut sub formali motivo timoris possit attingi actus dilectionis Dei, non vero oportet, ut sub formali eo motivo possit attingi obiectum circa quod versatur idem actus dilectionis. Obiectum enim circa quod versatur propositum, sunt actus boni ponendi et actus mali vitandi, non vero obiectum illud sunt ea, quae veluti obiecta attinguntur actibus bonis ponendis vel actibus malis vitandis." De San, De poen. n. 675.

Ad 16. „Falsum est non esse in attritione amorem iustitiae, quamvis hic non sit ratio formalis attritionis illius, quae ex metu concipitur. Attritus enim vere odit peccatum, vere non vult amplius peccare, vere vult servare legem Dei, id porro est velle et amare iustitiam." Palmieri, De poen. th. 28, III, b). Quodsi affirmes requiri dilectionem contrarii tamquam motivum veri odii, assertum certe falsum est. „Si oderim cibum suavem, qui valetudini obest, non opus est, ut ante amaverim cibum amarum, sed sufficit omnia odisse, quae valetudini, quam amo, adversantur." Wirceburgenses, t. 5, disp. 2, n. 156.

Ad 17. „Haec si vera forent, sequeretur proximum vere ac proprie non amari, quando amatur propter Deum; neque vere ac proprie odio haberi, quando illum aversamur propter iniuriam aut damnum ab ipso illatum. Igitur, ut peccatum vere ac proprie odio haberi dicatur, sufficit, quod illud detestemur sive propter propriam peccati malitiam, praescindendo ab eius damno, sive propter poenam, quae causatur a malitia peccati. Quamvis enim displicentia peccati non opponatur directe peccato secundum se, opponitur tamen ei directe, in quantum peccatum secundum se poenam inducit, quae efficaciter displicet." Sardagna, Theol. dogm. tract. 6, p. 3, n. 146.

Ad 18. Cf. resp. ad p. I. dub. 5. „Conversio ad Deum finem cui potest esse formalis et obiectiva. Formalis, cum bonitas Dei in se est ratio conversionis; obiectiva, cum bonitas Dei in se est terminus ultimus actus, quae excludit conversionem hominis ad se finem ultimum cui, quae sola est mala. Prior non est necessaria, ut actus sit bonus, aut ut excludat voluntatem peccati. Altera reperitur certe in voluntate faciendi quod Deo placet. Praeterea in attritione cum spe veniae est conversio formalis ad Deum." Palmieri, De poen., Th. 31, V. Quod rationem ex Augustino petitam attinet cf. ad 20.

Ad 19. „Quaero, quid illa sit voluntas peccandi praeterita: an superstes e peccato macula? an deordinatio quaedam habitualis? an actualis ad praeteritum peccatum affectus? Si primum et secundum, nihil stupendi est, si neutrum attritione sola tolli dicatur: quandoquidem neutrum per se cum caritate perfecta repugnet in eorum opinione, qui caritatem pro ultima tantum ad iustificationem dispositione habent. Si secundum, asserimus constanter eo sensu tolli ex attritione voluntatem peccandi praeteritam." Collet, De poen. p. 2, c. 4, n. 456.

Ad 20. Si ille esset sensus eorum Augustini testimoniorum, adversaretur doctrinae catholicae. Cf. prop. 61 s. Quesnelli damn. a Clemente XI.; „Est autem imaginatio absurda, quod timor servilis quo poena timetur ut summum vel principale malum, cui coniuncta est necessario voluntas peccati, ideo dici possit bonus, quia si abstrahatur ratio simplex timoris, ea est bona; bonitas enim actus iudicanda est ex eo, quod est ipse in concreto cum omnibus suis intrinsecis elementis et adiunctis. Nec dissimilis est alia imaginatio, quod ideo timor servilis, quo timetur poena ut summum malum, habens natura sua adiunctam voluntatem peccandi, ideo possit dici bonus, si praecisio fiat ab iis adiunctis, quia potest esse aliquis timor bonus. An occisio huius innocentis est bona, quia potest esse aliqua occisio bona?" Palmieri, De poen. th. 29, III.

P. III. Talis attritio ex metu poenae aeternae sufficit ad fructuosum usum clavium.

Dub. 1. „Videtur summe incongruum, quod Deus statuerit conferre in iustificatione adulti habitum caritatis sine praecedente actu caritatis, cum statuerit non conferre adultis habitum fidei aut spei sine praecedentibus earum virtutum actibus." Hanc suam rationem Pallavicinus vocat validissimam.

2. Ea contritio necessaria est, quae etiam ad venialia referatur; atqui talis non est attritio ex metu poenae aeternae. (A. Šost'in, in Prav. Bog. Enciklop. VI 237.)

3. Non potest cogitari iustificationem fieri nisi gratia habitualis voluntarie recipiatur.*)

---

*) Schäzler, Die Lehre von der Wirksamkeit der Sacramente: § 24. „Nach der Lehre des Concils kommt die aus der Rechtfertigung resultierende Gerechtigkeit und Freundschaft mit Gott nur dadurch zustande, dass die Liebe Gottes durch den h. Geist in die Seelen ausgegossen wird und ihnen inhäriert. Es muss also die Seele freiwillig dazu beistimmen, dass die Liebe Gottes in sie ausgegossen werde. Die freiwillige und actuelle Einwilligung in jene habituelle und inhaerierende Liebe aber kann nichts anderes sein als ein Act der Liebe." (Cf. Amort, De sacr. poen. disp. 3. qu. 3. prob. 9: „Caritas habitualis infusa nihil aliud est, quam constans et perpetua voluntas exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiae, orta ex dono gratiae praevenientis et informata per gratiam sanctificantem permanentem. Ergo cum impossibile sit hominem iustificari sine infusione caritatis habitualis, etiam impossibile est hominem iustificari sine constanti ac perpetua voluntate exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiae, quae voluntas formalissime est actualiter dilectio initialis.")

§ 25. „Die heiligmachende Gnade entwickelt ihre gerechtmachende und Sündenmakel ausmerzende Wirksamkeit als formelle Ursache, sofern sie der Seele eine neue Form, d. h. ein neues Sein gibt. Die von ihr zu informierende Materie kann bei Erwachsenen nur ein Act, eine Thätigkeit der Seele sein. Denn dasjenige, was durch die heiligmachende Gnade gerecht werden, d. h. seine Rechtheit bekommen soll, ist eben nur der freie Wille... Bei den getauften Kindern erhält der Wille seine Rechtheit lediglich durch Eingießung eines neuen Zustandes. Anders verhält es sich bei den Erwachsenen. Die Gerechtigkeit, um in Wahrheit eine inhärierende zu sein, setzt bei Erwachsenen einen Act der Freiheit, ein freiwilliges in sich Aufnehmen des neuen, durch äußere Vermittlung mitgetheilten Naturprincipes voraus."

„Sooft das Fundament eines höheren Seelenzustandes der zur Freiheit erwachten Seele durch äußere Vermittlung mitgetheilt wird, folgt in dem nämlichen Augenblicke eine Bewegung des freien Willens durch die göttliche Allmacht und infolge davon ein freiwilliges Eingehen der Subjectivität in das höhere geistliche Sein und Leben."

„Unter der Voraussetzung einer wahren Reue versteht es sich von selbst, dass der die Absolution empfangende Büßer im Moment des Empfanges von dem sehnsüchtigen Verlangen nach Aussöhnung mit Gott, mit einem Worte nach Begnadigung beseelt ist. Damit befindet er sich aber in der nothwendigen Disposition, um sich im Moment des Sacramentsempfanges von einer simultanen göttlichen Action bewegen zu lassen, und so, obschon nicht explicite sich dieses Vorganges als solchen bewusst, die ex opere operato überbrachte Gnade mit einem Freiheitsact in sich aufzunehmen."

§ 26. „Der Wille, sich die heiligmachende Gnade durch einen Act seiner Freiheit aneignend, die Subjectivität, in ihrem tiefsten Grunde erneut und erwärmt durch einen Act der vollkommenen Liebe — dies ist der Zustand der Seele im Moment der Rechtfertigung. Soll die Seele nicht auf magische Weise, nicht durch einen dem Wesen der Freiheit widersprechenden, an sich undenkbaren und deshalb unvollziehbaren Zwang auf diese

4. „Qui letaliter peccat, procul dubio violat Dei amicitiam, ac in primum, maximum mandatum offendit. Quodsi longo tempore in peccati sordibus volutatus est, ut contingit peccantibus ex habitu, qui etiam sacrilegis confessionibus non raro suis peccatis cumulum addidere, is sane praeceptum caritatis saepesaepius transgressus est, cum ex dictis Tract. de caritate praeceptum illud sit speciale obligetque ad eliciendos identidem divini amoris actus, quos omisit inveteratus ille peccator. Si igitur ultionis cupidus, priusquam absolvatur, debet odium deponere et amicitiam concipere; si ebriosus, libidinosus et alienae rei detentor, non censentur ad sacramentum dispositi per timorem gehennae et concupiscentiam aeternae beatitudinis, nisi pravos habitus per actus temperantiae et iustitiae depellere conati fuerint, et ut in iis virtutum actibus exerceant sese (nisi confessarium praevenerint) differtur absolutio; qua ratione nullam curam gerent primi ac maximi mandati, quod toties ac tamdiu transgressi sunt? Cur confessario satis fuerit inquirere, num ex quo conversionem meditantur, temperate vixerint, illatum proximo damnum repararint, cum ipso reconciliati sint eumque diligere incipiant nulla mentione facta dilectionis Dei, licet eius praeceptum, utpote longo tempore neglectum, actu eos urgeat.“ Habert, De poen. c. 8, § 4. — „Deut. 6 habetur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Atqui licet hoc praeceptum utpote affirmativum, non obliget semper, obligat tamen praesertim, cum peccator vult Deo, quem graviter offendit, reconciliari; alias fieri posset, ut scelestissimus homo, cum nunquam in vita Deum dilexerit, supplicii terrore percitus confiteatur peccata sua et statim abeat absolutione percepta, adeoque iustificetur, licet nunquam Deum dilexerit, quod ex proscriptis ab Innoc. XI. propositionibus an. 1679 proxime sequitur.“ Berti, De theol. disc. l. 34, diss. 1, c. 4, prop. 5. — „Quisquis peccavit mortaliter, reus furti contra Deum factus est; ideo autem potissimum est latro effectus, quia amorem summo Deo mille titulis debitum in vilem transtulit creaturam; vero ergo poenitens et venia dignus censeri non potest, nisi restituat, quod iniuste abstulit.“ Drouin, De re sacram. c. haer. l. 6, q. 4 c. 4, a. 2.

5. „Peccator per poenitentiam recipitur in amicitiam Dei ex inimico; nihil autem est convenientius, quam ut haec reconciliatio fiat detestatione offensae qua talis, quod sine aliqua Dei dilectione formali propter se contingere non potest; nam qui solum detestatur peccatum sine actu formali Dei dilecti, de malo tantum suo, non vero de Dei offensa dolere videtur.“ Wirceburgenses, De sacram. poen. n. 165. „Multiplex est in peccato malitia: 1. quod Deum iniuria afficiat; 2. quod a Deo separet: 3. quod mereatur supplicium; 4. quod sit res turpis et inhonesta. Hi autem respectus respondent variis animi affectibus: 1. amori, quo Deum diligimus ut bonum in se; 2. ut bonum nobis; 3. incusso timori etc. Ergo qui Deum propter se non diligit, nequit sub ea ratione odio habere peccatum, quatenus est offensa Dei.“ Berti, Th. disc. l. 24, diss. 1. c. 4. Cf. Billuart, diss. 3. a. 7, § 3, prob. 2.

6. „Ad omnem adulti iustificationem requiritur vera et propria ad Deum conversio, hoc enim indicatur a scriptura et patribus exigentibus conversionem ex toto corde; atqui sola attritione poenitens solum a

---

Stufe der Activität hinaufgeschraubt werden, so muss dem den Rechtfertigungszustand einführenden und das Praeparatorische abschließenden Seelenact, also der vollkommenen Liebe, eine der nämlichen Species angehörende aber untergeordnete und weniger vollkommene Regung, die keimende oder transitorische Liebe vorangehen, welche, sobald sie ihren Höhepunkt erreicht hat, durch Eingießung des Habitus in die inhaerierende übergeht. Halten wir uns also nur ganz im allgemeinen an den Grundsatz, dass die durch das Sacrament zu bewirkende Rechtfertigung den Charakter einer organischen Erneuerung der Subjectivität bewähren müsse, so darf der die Rechtfertigung abschließende Freiheitsact nicht als ein deus ex machina aus dem Grunde der Seele sich erheben, sondern erscheint naturgemäß als der Culminationspunkt einer successiven Fermentation der Seele.

creatura iterum avertitur; ergo opus adhuc est amore Dei, quo solo se formaliter ad Deum denuo convertit. Ita s. Doctor q. 86, a. 2. in c. et ad 1.“ Wirceburgenses, De sacram. poen. n. 165. „Wie ist bei jemand, der sich mit actuellem Hass von Gott weggewendet hat, eine Bekehrung ohne actuelle Liebe möglich?“ Schäzler, Lehre v. d. Wirks. der Sacr. § 23. Praeterea nemo potest peccatum commissum detestari, quin veterem creaturae exsecretur amorem, quod non potest nisi novo amore creatoris sit incensus; ac verum propositum non peccandi in posterum includit efficacem voluntatem amandi Deum propter se super omnia; sed velle efficaciter Deum amare est reipsa actu Deum diligere, non secus ac velle efficaciter esse castum, sobrium etc. est actu esse talem.

7. „Si servus, ait Albertus Pighius, Contr. 9., domino diceret: doleo, quod te offenderim, non tamen propter te, sed propter me doleo, quia ob tuam offensam vinculis constringor, bonis careo, numquid hic impetraret veniam? Hinc Io. a Daventria ad art. 12. Conf. Aug. ait: Numquam inimicus reconciliabitur, nisi prius diligat eum, quem odio prosequebatur, ideo catholici tradunt, non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat et speret, sed diligat Deum.“ Berti, De theol. disc. l. 34, diss. 1, c. 4. Cf. Domin. Soto, In l. 4. dist. 17. q. 3, a. 2.

8. Concilium Trid. s. 14 c. 4 eos damnat, qui paenitentiae partes incussos timores et fidem esse contendunt. Sed per terrores incussos intellegebant haeretici (cf. Kemnitium, Calvinum) pavorem et dolorem conscientiae quaerentis, quomodo iram Dei et iudicium possit effugere; constat igitur in ea parte paenitentiae, quam haeretici vocant timores incussos contineri dolorem animi et odium peccati. Unde sequitur, ut contritio, quae procedit ex solo metu poenarum conscientiae incusso nullumque aliud habet motivum, non sit pars paenitentiae, ut docet concilium adversus haereticos. Quodsi negat concilium terrores incussos partes esse paenitentiae, non negat ista ad contritionem formandam concurrere, id enim damnat sequenti canone; negat ergo eos partes esse paenitentiae, quae ad iustificationem consequendam nos sufficienter disponant. Ita Morinus, De contrit. et attrit. c. 10.

9. Tenendum est (sec. Pallavicinum l. 12, c. 10 n. 25) loco verborum: „disponit ad gratiam impetrandam in sacramento“ in Concilio Tridentino in delineatione decreti posita fuisse „sufficit ad sacramenti huius constitutionem“. His positis hoc fit argumentum:

a) „Frustra aërem verberant, qui importune vociferari non cessant, concilium Tridentinum definivisse attritionem ex metu gehennae conceptam, sufficere in sacramento; illud enim non definiit quod tam sollemniter declaravit se nolle definire, dum ex delineato decreto expunxit verbum ‘sufficere’.

b) At, inquiunt, ex contextu decreti, quod nunc exstat necessario colligitur sufficientia huiusce attritionis.

Ergo, inquam ego, concilium sibi contradixit; dixit et non dixit hanc attritionem sufficere. Non dixit quidem, cum insertum in decreto verbum ‘sufficere’ deleverit; dixit vero, ut ex verbis eius colligunt adversarii. Quis autem catholicorum contradictionis notam concilio oecumenico affinget.“ Habert, De poen. c. 8, § 3. Accedit quod, si revera concilium verbo ‘disponit’ intellexisset dispositionem proximam, iam definivisset sententiam attritionistarum.

10. Cardinalis Pallavicinus, Histor. Trid. l. 12 c. 10 ita in rem nostram scribit: „Quantum ex actis conicio, theologorum mens erat, ut haereticorum error damnaretur, tanquam inhonestum improbantium poenae timorem, non item, ut ferrent sententiam de scholastica quaestione, an huiusmodi timor non solum absque animi contritione perfecta, sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem. In patrum conventu id pauci attigerunt. Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris in iis, quae Granatensis disputavit: at vero Ioannes Aemilianus, Hispaniensis Tudetanus antistes extremum oppositae sententiae tenuit, hoc est, opus esse contritione perfecta . Praesto erat decretum a nonnullis adornatum in haec verba: ‘Illam contritionem, quam theologi attritionem vocant, quod imper-

fecta sit et solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennae et poenarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit sancta synodus et declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur), verum etiam sufficere ad sacramenti huius constitutionem. et donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat) viam sibi ad iustitiam munit et per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. Cum autem monuisset Ioannes Aemilianus Tudetanus praesul, qui stabat pro contritionis perfectae necessitate, falso dici huiusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse; quod autem haec attritio satis esset sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata vi supervenientis absolutionis, variare auctorum sententias; atque adeo id esse tollendum: decretum sicut nunc exstat reformatum est.“ Hinc patet vocabulum ‘disponere’ ideo esse adhibitum, ne significaretur dispositio sufficiens et proxima.

11. „Idem clare liquet ex ipsa probatione concilii, qua Ninivitarum poenitentiam ex timore profectam ipsis profuisse docet, cum certum esset eo tempore, quo sacramentum poenitentiae non exstabat, eam formidolosam poenitentiam minime suffecisse ad peccatum delendum, sed vim habuisse ad impetrandam novam gratiam, cuius ope adiceretur caritatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem ad iustitiam recipiendam“. Pallavicinus Hist. Trid. l. 12, c. 10.

12. „Eadem ad minus in sacramento poenitentiae requiritur dispositio, quae in baptismo, uti docebat an. 1700 clerus Gallicanus; et merito, cum nec maior sit efficacia poenitentiae quam baptismi, sed minor; nec minora peccata post baptismum quam ante, sed maiora; unde poenitentia baptismus est laboriosus. Atqui ex Tridentino requiritur in baptismo aliquis Dei propter se amor. Namque ex Tridentino requiritur ad baptismum amor, quo Deus diligi incipiat tanquam fons omnis iustitiae. Atqui amor ille in mente concilii est amor Dei propter se.

Prob. min. 1° quia amor a concilio requisitus is ipse est, quem inseri postulaverunt Alepius et Jaius [Cf. Pallavicinum l. 8, c. 13]. Sed hi postulaverunt, ut aliquis caritatis actus insereretur; nomine vero caritatis simpliciter dictae intelligitur amor Dei propter se; neque aliud intelligi potest, cum amor ille actibus fidei et spei superadditur. „Wenn in der Rechtfertigung der Mensch Christo eingepflanzt wird, empfängt er zugleich in seine Seele eingegossen: Glaube Hoffnung und Liebe. Diesem dreifachen Princip nun, das bei der Rechtfertigung nicht bloss als physische Potenz, sondern alsogleich in ethischer Actuosität in die Seele einzieht, entspricht auf das genaueste die tridentinische Beschreibung der der Rechtfertigung vorangehenden Vorbereitungsstufen. (Schäzler, D. Lehre v. d. Wirksamk. d. Sacr. § 26; cf. Bossuet, De dilect. in sacram. poen. pag. 182, Salmeron, tom. 11, tract. 22.]

2° Poenitentia ibidem a Tridentino requisita debet esse propter offensam, non autem poenam tantum, quia alioquin esset infructuosa. Atqui poenitentia, quae de peccato dolet propter offensam Dei, sine actu caritatis esse non potest. (Cf. Thom. I II qu. 113, a. 5 ad 1; III, q. 85, a. 2, n. 41; Vasquez in III. p. q. 85, a. 2, n. 41; Becanus q. 3, c. 30). Et vero, qui peccatum detestatur quia est offensa Dei, non propter ipsum Dei interesse agit adeoque ex caritate movetur. Unde quod reponunt quidam hic agi de offensione Dei, non ut in se boni, sed ut vindicis, falsi manifeste arguitur, cum ad detestandum peccatum quatenus offensivum Dei ut irati, sufficiat dolor propter poenam tantum, qui tamen ex Tridentini mente non sufficit.

3° Dilectio, quam requirit Tridentinum, est dilectio Dei ut fontis iustitiae, seu quia sit fons iustitiae omnis. Sed Deus secundum se, Deus ut Deus, est fons omnis iustitiae. Unde iustitia, de qua loquitur Tridentinum, ea est, non quae hominem, sed quae Deum ipsum perficit; 1° quia

alioqui Deus ante saecula non fuisset fons iustitiae; 2º quia hanc esse Tridentini mentem agnoscunt acerrimi attritionis vindices. Sic Suarez t. 1. in 3. p. disp. 4, s. 8. Sic Tannerus, t. 4, disp. 6 q. 4 dub. 2 n. 74 . . . 3º Quia, ut ibidem statim aiebat Tannerus et agnoscit Domin. Soto, concilii theologus, Tridentini patres, dum praevias ad iustificationem dispositiones recensuere, s. Thomae mentem et vestigia sequi voluerunt. Atqui d. Thomas per eum amoris actum, qui in iustificationis negotio fidem et spem subsequitur, amorem caritatis super omnia, non autem benevolentiae simplicis vel concupiscentiae intelligit. p. III q. 85, a. 5." Collet, De poen. p. 2, c. 4, n. 596.

13. Lex Christi est lex caritatis, et ab eius regno a nuptiis excluduntur, qui non habent oleum caritatis; atqui talis institutio, quae abstrahit a caritate, aliena est a lege caritatis; cf. Rom. 8, 15; et lex nova esset imperfectior et vocanda potius lex timoris (Amort).

14. Opinionem asserentem attritionem ex gehennae metu conceptam non sufficere in sacramento, nisi includat initialem saltem caritatis amorem, solam esse securam et in praxi sequendam probatur ex scriptura s : Deuter. 6, 5; Joël. 2, 12; Rom. 8, 14; 1 Cor. 13, 3; 16, 22. 1 Ioan. 3, 14 s. „Quomodo, quaerit Habert, absolvendus, cui anathema dicendum?"

15. Eadem est mens s. Augustini: Serm. 7. de temp.: „Poenitentiam certam non facit nisi odium peccati et amor Dei." Tract. 5 in 1. Ep. Ioan.: „Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei et filios diaboli non discernuntur filii Dei a filiis diaboli nisi caritate". De vera et falsa poen. c. 9: „Sine amore nemo unquam gratiam invenit nec veniam assecutus est". Contra Cresconium c. 12: „Mundantur peccata caritate: quae si adsit, omnia recte fiunt; si vero desit, cetera frustra fiunt." Cf. De spir. et littera c. 14; In ps. 118, cont. 21 ubi de dispositione ad martyrium afferenda loquitur; item In Io. tr. 6. Similiter sentiunt Cyprianus, De lapsis: „Convertamur ad Deum mente tota; et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam consequamur." Io. Chrysostomus Hom 4. in 2 Cor. — Leo, Serm. 7: „Tanta est sub huius geminae caritatis edicto utriusque copula testamenti, ut sine istarum conexione virtutum nec lex quemquam inveniatur iustificasse nec gratia." — Gregorius M. In 1 Reg. c. 3: „Nihil homini prodest, quod poenitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si inemendata et incorrecta interius pulchritudine bonae voluntatis, luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur; imago enim et similitudo Dei est inclito odio malum odire et amore perfecto Deum diligere". — Bernardinus Senen. t. 1, serm. 12: „Qui conteritur principaliter propter timorem inferni et non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui." Cf. Thomas Aqu. In 1. 4 Sent. dist. 17 q. 3. a. 4 S. th. I, II q. 113 a. 10; III q. 84, a. 10; Scotus, In l. 4. sent. dist. 18; dist. 20.; Antonin., Sum. t. 14, p. 4, c. 5; Thom. a Villanova, Cont. in domin. pass.; Franc. Sales., Tr. de l'amour de Dieu, l. 2, ch. 19 („Quand la douleur de nos péchés serait assez forte pour briser nos coeurs et pour nous faire fondre en larmes: elle est incapable de nous procurer la vie éternelle, si la charité ne s'y joint").

16. „Denique non praetermittenda Graecorum et Orientalium, quae parvi sane momenti non est, in huius doctrinae defensione hactenus infracta nullaque novitatis admixtione violata constantia; quamquam enim peccatores ad poenitentiam aeternorum suppliciorum horrore exstimulent . non hic tamen esse sistendum nec posse solo timore veram poenitentiam circumscribi unanimiter sentiunt . Contritio, ait Neophytus Rhodinus, Montis Sinai monachus (in epitome doctrinae sacramentor.) acerrimus cordis est dolor de peccato contra Deum commisso: contra Deum, inquam; nec enim satis est, poenitentem timore poenarum affligi, sed quia contra Deum benefactorem suum peccavit'. — Gregorius Proto-Syncellus (in Synopsi sacrament.) quocirca timere gehennam poenitenti non sufficit, sed praeterea necessarium est, ut doleat, quod benefactorem suum offenderit. — Eademque Alexii Rarthuri, Damasceni Studitae et alio-

rum in catechesibus, quas Graeci communiter legunt et in homiliis super evangelia doctrina est, sexcentis locis expressa.

Nec aliter sentiunt Orientales, quibus non satis est peccatores ad poenitentiam terrore incusso poenarum salubriter adhortari, sed insuper admonent sine amore Dei veram cordis conversionem esse non posse: unde ad exemplum peccatricis poenitentes continuo revocant, cui teste evangelio peccata multa dimissa sunt, quoniam dilexit multum: haec sane Michaelis patriarchae Antiocheni, Dionysii Barsalibi, Ebnasali utriusque Echmimi et aliorum uniformis doctrina est, indeque est, quod de attritione servili omni Dei amore destituta, nec verbum faciant, immo ne nomen quidem proprium habeant ad illam significandam solamque συντριβὴν καρδίας i. e. cordis contritionem agnoscant." Drouin De re sacramentaria c. haeret. l. 6, q. 4, c. 4, a. 2, § 1, prob. 6.

17. Attritionistae melioris notae ut plurimum sententiam suam non habent pro tuta in praxi. Ita Soto, In l. 4 dist. 18 q. 3 art. 2; Canus, De poenit. p. 5; Vega, In conc. Trid. l. 13, c. 33, arg. 1; Suarez, De poen. disp. 15 s. 14, n. 17; Comitolus, Resp. moral. l. 1. q. 32 n. 7 s; Becanus, De bonit. act. intern. tr. 1, c. 4; Sanchez, In decalog. l. 1, c. 9, n. 34. Ita Launoius.

Deinde ita licet argumentari ex decreto Alexandri VII.: Ex duabus sententiis contradictorie oppositis necessario una est vera, altera falsa: ergo cum liberum relinquat summus pontifex utramque in scholis propugnare uti probabilem, incertum plane est, utra ex iis sit vera aut falsa; proinde quamdiu manebit illud dubium, nec iudicium suum sedes apostolica protulerit, inquirendum est utra ex duabus illis opinionibus probabilibus secura sit in praxi. Atqui prima (negans) practice teneri non potest absque aeternae damnationis periculo; potest enim esse falsa et quidem probabiliter, cum opposita sit probabilis; affirmans vero licet possit esse falsa, nulli tamen periculo exponit. Ita Habert.

Accedit quod in sacramentis conferendis non licet practice sequi opinionem dubiam et incertam, etsi probabilem, relicta alia tutiore. Damnata est enim ab Innocentio XI an. 1679 et a clero Gallic. an. 1700 haec iuniorum casuistarum assertio: Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. Ita Concina.

Haec frustra afferri hoc modo probatur:

Quod requireretur praeter talem attritionem esset motivum amoris aut concomitans actus caritatis. Atqui non requiritur.

Prob. 1. ex Concilio Tridentino, s. 14. cp. 4. Concilium ibi loquitur de attritione ex motivo solius metus gehennae: atqui idem concilium ita de attritione loquitur, ut pateat eam cum sacramento sufficere ad remissionem obtinendam,

Pr. mai.: Vel loquitur concilium de attritione non ex motivo amoris sed ex inferiore motivo vel de attritione, quae aliquem caritatis (initialis) actum includat. „Atqui illa attritio sane a) distinguitur ab alia contritione appellatione contritionis imperfectae, eaque alia perfecta dicitur, cuius motivum dicitur esse caritas: ergo contritio imperfecta caret caritate. b) Cum attritio describitur, dicitur concipi ex metu gehennae et poenarum vel ex consideratione turpitudinis peccati; ergo a) contritio ex metu solum est vera attritio, b) attritio, ut sit, non requirit aliud praeter haec; nequit enim aliquid essentiale omitti, cum eius notio data opera traditur. c) De ea attritione hic est sermo, quam Lutherus impugnavit; nam definit concilium attritionem, de qua loquitur, non facere hominem hypocritam et magis peccatorem: porro id est

contra Lutherum, qui id non de quavis contritione sed de quadam asseruit, quam et ipse attritionem vocat et definit quemadmodum concilium. (Serm. 2. de poen.: Haec autem contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit, et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur Secunda paratur per intuitum et contemplationem speciosissimae iustitiae haec facit vere poenitentem; quia amore iustitiae id facit; et hi sunt digni absolutione). Atqui attritio, quam Lutherus aiebat facere hominem hypocritam et magis peccatorem, est ea, quae est sine amore, ex solo metu; ergo haec est contritio, quam tuentur patres contra Lutherum, ideoque ea, de qua nunc loquuntur. [cf. Collet p. 2, c. 4 n. 468]. d) Attritio, de qua hic est sermo, est ea, de qua in fine capitis statuunt patres „falso docere quosdam contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam"; utraque enim est ille idem bonus motus, qui ad gratiam impetrandam in sacramento disponit, ut ex contextu evidenter liquet; atqui contritio, quam extortam et coactam quidam dicebant, non est nisi ea, quae ex solo motivo timoris aut turpitudinis determinatur absque amore; ergo attritio, de qua Tridentinum loquitur, est detestatio peccati citra motivum amoris". Palmieri, De poen. th. 30, II.

Pr. min. a) „Contritio, quae definitur initio cap. 4., est contritio generice spectata; patet, quia definitio eius competit tota utrique contritioni perfectae et imperfectae, nullius motivi fit mentio, quo una species contritionis ab alia discernitur. Porro haec contritio generice spectata est ea, de qua in praecedenti capite sermo fuit; ait enim: »Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet«; in capite vero tertio tres enumerati sunt poenitentis actus, quorum primus est contritio.

Iam vero hi tres actus dicuntur ibidem partes poenitentiae, partes sacramenti, quasi materia sacramenti, eosque requiri ad integritatem sacramenti.

Ergo contritio generice spectata est pars et quasi materia sacramenti. Igitur et quaevis species contritionis est pars et quasi materia sacramenti; quod enim de genere in recto [ut aliqua interna perfectio] praedicatur, id omnibus eius speciebus essentialiter competit; dividitur autem contritio in perfectam et imperfectam et haec est attritio, quae non solum contritio imperfecta, sed simpliciter dicitur contritio (in fine cap.), quod non nisi pro actu, qui sub genere contritionis contineatur, usurpari potest; ergo attritio quoque, quae ex solo metu concipitur, pars est et quasi materia sacramenti poenitentiae. Pars ergo et materia sacramenti in ordine contritionis duplex est, altera nobilior non necessaria, quippe quae etiam ante sacramentum actu susceptum iustificet, altera sufficiens, quae est attritio. Atqui pars et materia sacramenti est in suo ordine simul cum aliis partibus et forma dispositio proxima et sufficiens ad gratiam; quid enim praeter materiam et formam exposcas?" Palmieri, De poen. th. 30, II.

b) Concilium docet attritionem conceptam ex solo metu, si peccandi voluntatem excludat, cum spe veniae coniunctam disponere pec-

catorem ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam; quae dispositio intellegitur aut mediata (media contritione ex caritate concepta) et paene proxima aut immediata et proxima. Atqui non intellegitur mediata. Nam *α*) illa attritio etiam sine sacramento disponit mediate, hic autem oppositio instituitur inter id quod sine sacramento non praestat et id quod praestat cum sacramento; „alioquin non oportebat addere illas particulas ‚sine sacramento' et ‚per se', si cum sacramento etiam non posset iustificationem causare"; nec verba illa addenda erant „in sacramento" ad verba „eum tamen ad gratiam disponit" Cf. De Lugo, De poen. disp. 5, n. 135. *β*) „Dispositio remota iam declarata fuerat in verbis praecedentibus: »quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat«. Verbis autem sequentibus significatur effectus attritionis praestantior, cum est coniuncta sacramento; est enim manifesta auxesis orationis, ut primo asseratur attritioni, quod paret viam ad iustitiam, qui effectus etiam sine sacramento et ante sacramentum haberi potest, ut cum quis a timore ad amorem procedit, ab attritione ad contritionem, per quam iustificatur; deinde vero negata attritioni ea praerogativa, quae asserta est contritioni perfectae, ut sine sacramento iustificet, asseritur illi altera, in eo posita, ut disponat ad gratiam in sacramento. Atqui dispositio alia a remota non est nisi proxima" Palmieri, De poen. th. 30, II. *γ*) Simpliciter disponere non potest dici nisi illud, quod proxime et sufficienter disponit. „Si attritio sola cum sacramento non sufficeret, falsum esset, quod ibi dicitur, quod hominem ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit; nunquam enim ad id [proprie] disponeret, sed ad impetrandum actum contritionis perfectae, cuius intuitu antecedenter ad necessitatem sacramenti gratia iustificationis haberetur" De Lugo, De poen. Disp. 5 n. 135. Quodsi quidam adversarii dicant debuisse concilium uti verbis „perducit", „attritio in sacramento", non „disponit" „ad gratiam in sacr.", quaero: cur non dicunt debuisse Christum dicere: ‚Hoc est corpus meum; accipite et comedite', et non: ‚Accipite et com.' etc.; id quod in innumeris exemplis requiri potest, claritate non deficiente. *δ*) „Concilium contritioni perfectae opponit contritionem imperfectam seu attritionem. — Ergo cum de contritione perfecta dicat eam esse extra sacramentum dispositionem proximam ad gratiam consequendam, quia extra sacramentum Deo hominem reconciliat, de contritione imperfecta seu de attritione dicens per se non posse peccatorem ad iustificationem perducere, sed disponere eum ad Dei gratiam in sacramento, loquitur de dispositione proxima et dicit attritionem esse talem dispositionem ad gratiam in sacramento, non extra sacramentum ut est contritio". De Augustinis, De poen. th. 19.

c) Concilium post verba explicata, adducto in exemplum timore Ninivitarum ait: „Quam ob rem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit nec sensit": Ubi aut non intellegitur voce „bono motu" attritio illa ipsa, cuius bonitas in antecedentibus commendatur, aut haec attritio sufficiens esse dispositio docetur. Atqui illud supponi nequit *α*) quia secus nulla

esset consequentia quam tamen concilium per particulam quamobrem statuit β) constat haereticos ex eo solum occasionem captasse calumniandi catholicos scriptores, quod existimarunt attritionem, quae est ex metu gehennae non esse actum bonum, sed malum"; (cf. Lutherum in assert. art. 6. et 7. damn. a Leone X, et alibi) Gonet, Clyp. theol. t. 5, disp. 7. n. 44.

Si vero illa voce intellegitur motus attritionis, censetur certe a concilio proxime esse sufficiens. Falsum enim esset secus, sacramentum poenitentiae ideo cum bono motu suscipientium gratiam conferre, quod vel attritio sola haberetur. Nam α nulla revera gratia sacramentalis tunc conferretur β cum poenitens sciens ita accederet novum potius peccatum committeret; „peccatum vero esse plus est quam deesse bonum motum, nec patres, defendentes poenitentem accedere cum bono motu, voluissent concedere ipsum nihilominus peccare, quod satius fuisset protestantibus.

Itaque in hac argumentatione patrum ex bonitate attritionis arguentium cum bono motu suscipi gratiam in sacramento, bonus motus est sola attritio; secus enim consequens latius pateret quam antecedens; supponitur autem attritione vel sola existente conferri gratiam. Igitur docemur eam esse dispositionem sufficientem pro gratia recipienda". Palmieri, De poen. th. 30, II.

Adde argumentum negativum: „Concilium Tridentinum in Prooemio Sessionis 14 pollicetur se traditurum publicae utilitatis gratia de iis, quae spectant ad sacramenti poenitentiae exactiorem et pleniorem definitionem; et tamen in tota ea Sessione ne unum quidem reperitur verbum, quo vel probabiliter, nedum evidenter aut aperte insinuetur initialis amoris benevoli necessitas" Linck, De poen. c. II. prop. 4.

Prob. 2. Caritas illa, quae insuper requireretur esset aut super omnia, aut non super omnia (appretiative). Illud dici non posse docuimus parte I. huius positionis collata cum thesi V. Porro velleitas ista inefficax vel saltem parum efficax, cur requiratur, non est; nec alias rationes afferunt eius defensores praeter verba concilii Tridentini parum intellecta. „Quomodo ignavus iste motus animi ac simplex complacentia, qua Deus non antefertur omnibus rebus, peccatorem poenitentem accendere atque ad gratiam sacramenti et peccatorum veniam disponere proxime possit?" Wirceburgenses, De sacr. poen. n. 166. Quid igitur superaddet attritioni ex timore? Cf. Palmieri, De poen. th. 31. cor., 3.; A. Kopyciński, O sakram. pokuty (Przemysl 1905) p. 49—51.

Prob. 3. Quandoquidem motivum perfectissimum pro paenitentia disponente ad gratiam Dei in sacramento impetrandam non requiritur, non est, cur ullum motivum idoneum ad excitandam veram et efficacem detestationem peccati ut offensae Dei reiciatur. „Et sane, quoniam ope sacramenti ex opere operato reconciliatio hominis cum Deo obtinetur, id tantum postulari potest pro effectu sacramenti obtinendo, quod removeat obicem gratiae impetrandae; id autem, quod removet obicem, est poenitentia positive excludens voluntatem peccati" Palmieri, De poen. th. 31, cor., 2. „Ratio minoris est, quia obex in peccatore

qua tali esse non potest ipsa habitualis conversio ad creaturam ut ad finem ultimum; praesertim cum ad destructionem reatus culpae sacramenta mortuorum fuerint directe a Deo instituta, et aliunde sit impossibile ut efficaciam causae impediat exsistentia illius rei, ad cuius destructionem natura sua causa ordinatur. Relinquitur ergo, ut dictus obex non sit nisi adhaerentia cordis ad peccatum, ut puta si peccatum nulla ratione fuerit totaliter ab affectu reiectum: nulla ratione, inquam, et ne quidem propter motiva inferiora, puta in quantum est inductivum gehennae aut moralis honestatis privativum. Et sane in sensu composito huius adhaerentiae fieri nequit, ut seclusa omni violentia, quae semper ab operibus Dei abest, convertatur homo ad Deum per gratiam habitualem; praeterea omnino repugnat, ut esset imputabilitas culpae, quamdiu homo ad culpam suo affectu alligatur. Ast per solam attritionem excludentem voluntatem peccandi tollitur praefatum adhaerentiae impedimentum. Licet igitur in quantum est ex vi operis operantis, nondum sit factum satis ad destruendam offensam et nondum homo inveniatur conversus ad Deum ut ad ultimum totius humanae vitae finem, nihilominus ablatum est obstaculum prohibens ne sacramentum hanc conversionem habitu operetur" Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 14.

Confirmatur ex consensu Ecclesiae Russorum. Cf. Mal'cev, Tajnistva pravosl. kathol. vost. cerkvi, p. CXXXVI („Nicht aus Furcht vor irdischen Nachteilen, sondern aus Furcht vor dem Zorne Gottes und seiner ewigen Vergeltung, oder noch besser aus Liebe zu Gott").

Ad 1. „Ratio diversitatis est illa, quam directe explicat Tridentinum sess. 6, cp. 8: quia videlicet peccator instruitur a Deo per fidem de iustificatione quaerenda ab ipso Deo et sic in eiusdem consequendae spem erigitur Hoc duplici fidei atque spei praelucente actu excitatur peccator ad medium adhibendum pro consequenda iustificatione. Medium autem hoc Deus voluit esse sub disiuncto: vel actum caritatis perfectae extra sacramentum, vel in sacramento efficacem dolorem cum proposito, conceptum etiam ex puro metu gehennae." Wietrowski, De poen. concl. 16, c. 1, § 4. Cf. Viva, Damn. th., prop. 15. Alex. VIII, n. 28.

Ad 2 Cf. h. th. p. I et th. I p. I ad 3.

Ad 3. Negandum est suppositum attritionem ex metu gehennae non esse voluntariam.

Ad 4. Cf. I. p. ad 5. Quod praeceptum caritatis obliget ad actus eius virtutis eliciendos non est idem ac, quod idem postulet bona et sufficiens dispositio; neque sane ita urget illud praeceptum, ut non sufficiat elicere talem actum aliquot dies ante confessionem vel saltem aliquot momenta post absolutionem. Cf. Sasse, De poen. th. 23, III, 5.

Ad 5. 6. 7: Cf. dicta ad I. p. dub. 5. „Advertere poterat Dom Soto [cuius est dub. 6] huiusmodi argumentum valere pro reconciliatione obtinenda per opus operantis, sicut contingere solet inter homines; quamvis identidem et inter eos, si opus aliquod ponatur, quod non sit quidem actus amoris amicitiae erga offensum, sed tamen opus tale, quo satis retractetur offensa, et ad quod sponte deinceps sequetur amor, ut si qui offensi filiam in sponsam petit et accipit, amicitia ab offenso offensori restituitur, quam ipsa admissio in familiam exigere videtur. Cum igitur in nova lege gratia, quae est amicitia ad Deum, possit opere operato [meritis Christi Domini] obtineri, satis est ea dispositio, qua quis vere, licet nondum perfecte convertatur ad Deum velitque divinam amicitiam, quamvis ad hoc nondum moveatur ex amore Dei." Palmieri, De poen. th. 31, V. Cf. Esparza, In p. III. q. 89.

Quod vero dicitur de dolore et proposito necessario includente amorem, falsum est, si intellegatur de actu caritatis. „Nam et firma voluntas amandi Deum propter se super omnia ex alio quam caritatis motivo v. g. ex motivo oboedientiae et propositum efficax servandae castitatis et sobrietatis ex alterius virtutis cuiuspiam v. g. religionis aut iustitiae amore potest esse suborta ; per huiusmodi autem voluntatem nec Deus actu et formaliter diligetur propter se super omnia nec virtus castitatis et sobrietatis actu et formaliter exercebitur, cum veri et formales harum virtutum actus sine proprio ipsarum motivo elici nequeant.“ Linek, De poen. c. II, prop. 4. Schol.

Ad 8. Illud a Tridentino proscriptum est, „non quod insufficiens sit dispositio dolor conceptus ex metu gehennae absque motivo caritatis, sed ob haereses plures ibi latentes“ Berti. Ceterum neutram sententiam definitam esse supra in declar. docuimus.

Ad 9. „Non contendimus definitionem exstare in concilio nostrae sententiae. Definitio enim foret decretum fidei, cuius verba per se hunc necessario funderent sensum, qui explicite et immediate sive formaliter sive aequivalenter per ea verba exhiberetur. Huiusmodi propositio deest. At contendimus sententiam nostram ex iis sententiis necessario efflorescere et certo colligi, quae explicite et immediate verbis capitis 4. repraesentantur; quod significamus dicentes sententiam nostram mediate tradi in eo capite. Quod autem certo colligitur ex doctrinis certis fidei, illud est necessario verum et theologica certitudine constat illud spectare ad depositum fidei. Porro patres concilii nolentes aliquam doctrinam explicite et immediate proponere, possunt tamen velle eandem mediate tradere; abstinentes enim a propositione explicita et immediata abstinent a definitione, quae assensum fidei cogat, quaeque sententiae oppositae notam haeresis inurat, quam quidem definitionem ut caveant, non est opus, ut omittant etiam traditionem mediatam doctrinae.“ Palmieri, De poen. Th. 30, I.

b) „Sabor je brisao predloženu osnovu i to ne zato, što je bio uvjeren, da nesavršeno pokajanje dovoljno ne sprema grješnika na opravdanje, već za to, što one riječi nisu potpuno istinite, pa bi se mogle lako i krivo tumačiti (i. e.: quia non est propria locutio, quod attritio sufficiat ad constitutionem sacramenti, cuius aliqua pars tantum est). Pokajanje je naime samo jedan od (bitnih sastavnih) dijelova sakramenta pokore, pa zato ono samo nije dovoljno, da bude sakramenat valjan — non sufficit ad constitutionem sacramenti, jer osim pokajanja bitni su još dijelovi sakramenta: ispovijed, zadovoljština i odrješenje svećeničko; zato se ne može reći: attritionem ad constitutionem sacramenti sufficere.“ Bujanović, Sveti sakramenti sv. II, § 73. „Deinde noluit concilium sententiam Scoti proscribere, qui in sola absolutione huius sacramenti essentiam statuit.“ Wirceburgenses, T. 5, disp. 2, n. 160.

Ad 10. „Quaenam sit sententia decretorum aut canonum concilii, id per se colligendum est ex immediata inspectione eorundem; haec enim sunt, quae Spiritu veritatis regente sunt infallibiliter immunia ab errore, cum cetera plus minus humanam imbecillitatem participent; et haec sola proponuntur fidelibus ut norma fidei, qui non tenentur nec possunt consulere Acta conciliorum. Quod praesertim valet, si Ecclesiastica auctoritas subduxerit ab oculis fidelium ea acta, edens tantummodo decreta et canones; tunc enim credendum est Ecclesiam censuisse non esse opus actis, ut sensus decretorum et canonum intelligeretur; secus enim periculo erroris obiecisset fideles. Idque potissimum valere debet in hac materia, de qua agimus, cuius recta intelligentia adeo necessaria est fidelibus. Cum ergo praerogativa infallibilitatis non competat sententiis theologorum episcoporumque prolatis cum inquisitio fiat in congregationibus praeparatoriis, sed solis decretis aut canonibus ab Ecclesia propositis, ut credantur, quae sunt decreta et canones sessionum, patet ius habere theologos provocandi immediate ad ipsa verba decretorum et canonum eorumque contextum, atque ex iis acceptis in sensu proprio, obvio eaque aetate communi argumentationem suam instituere, et

quid in illis vel immediate vel mediate contineatur, colligere. Et haec dicta sint quod spectat ad methodum disputandi.

Iam vero quod ex historia Pallavicini colligi potest, hoc unum est, noluisse patres definitionem edere hac in re, ut quibusdam theologis catholicis parcerent, ideoque expunxisse ea verba, quae immediate et explicite hunc sensum funderent; non autem noluisse patres doctrinam eandem vel mediate tradere. Quod autem reapse voluerint saltem mediate eam docere, id ex eo probamus, quod certe voluerunt patres illud docere, quod ex eorum sententiis simul collatis necessario efflorescit, illud nempe voluerunt dicere, quod reapse, licet mediate, verissime dicunt.“ Palmieri, De poen. th. 30, IV.

Ad 11. „Respondeo: duplex est suppositum, cui innititur argumentum, alterum incertum, alterum falsum. Primum est, quod patres concilii censuerint Ninivitas per eam poenitentiam fuisse iustificatos atque sub hoc respectu poenitentiam Ninivitarum ipsi attulerint; huius enim rei nullum est indicium certum in verbis patrum, licet id colligi possit ex verbis scripturae, quamvis, ut Deus abstineat ab infligendis malis temporalibus, non sit necessaria poenitentia perfecta sive sanctitas in hominibus. — Alterum est suppositum, quod exemplum illud adducatur a patribus pro declaranda vi attritionis in sacramento; hoc prorsus falsum esse evidens est; quomodo enim poenitentia acta tum, cum sacramentum non esset, posset declarare vim attritionis in sacramento? Itaque nectitur quidem hoc exemplum causaliter cum praecedentibus, sed cum mediate praecedentibus, in quibus attritio ex timore dicitur actus bonus, quod profecto probatur evidenter ex poenitentia Ninivitarum determinata a timore poenarum, quem ipse Deus per prophetam incussit“ Palmieri, De poen. th. 30, IV.

Ad 12. „Concedimus quod si pro baptismo rite suscipiendo necessaria est caritas, eadem necessaria quoque sit pro sacramento poenitentiae. At quaestio est de veritate condicionis, utrum nempe in sess. 6 cp. 6 definita fuerit necessitas caritatis pro baptismo. Porro negamus id esse certum, immo contendimus certum esse contrarium. Et primo quidem certitudini eius obstant evidentissime plura.

Sane 1. huiusmodi definitio ignorata fuit theologis et patribus concilii in congregationibus ante sess. 14; id enim teste Pallavicino controversum fuit, an amor quoque inter dispositiones poenitentis ad sacramentum poenitentiae requireretur.

2. Ignorata ab iis quinque theologis fuit, qui ibidem necessitatem amoris adstruebant; non enim eam doctrinam sess. VI. attulerunt in patrocinium suae opinionis, quod certe fecissent, si scivissent id esse definitum in sess. VI., atque id scivissent, si reapse id factum fuisset.

3. Dominicus a Soto, theologus concilii, qui sess. 6 interfuit, in l. 2. de nat. et grat. c. 15 et in 4. d. q. 1 a. 7 defendit doctrinam s. Thomae, quod pro baptismo sufficiat attritio etiam cognita, suamque sententiam probat iis ipsis verbis cp. 6. sess. 6 inquiens »unde s. synodus sess. 6, 6 ante baptismum solum requirit motum adversus peccata; per odium, inquit, aliquod et detestationem h. e. per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet«. Idem defendit Melchior Canus, in Relectione de poenitentia p. 3. qui et ipse tamquam theologus interfuit sess. 6 ac paulo post suam edidit Relectionem.

4. Theologi saeculi XVI. posteriores sessione 6. verba concilii interpretati sunt de dilectione Dei iustificante sine sacramento, excepto Vasquez, ut testatur Suarez De habituali gratia l. 8, c. 9, n. 10. »Haec omnia (actus nempe, qui recensentur in cp. 6 et cp. 3 sess. 6.) de sola imperfecta et remota dispositione interpretari et novum et incredibile est«. Iidemque theologi excepto Navarro (cf. Ludovicum Lopez, Instruct. conscientiae p. 1, c. 9) et Petro Solo (cf. Suarez in III. p. d. 28 s. 2), docuerunt pro baptismo rite suscipiendo non requiri contritionem, sed sufficere attritionem eamque cognitam.

Iam vero quomodo haec cohaerent cum definitione tradita in conc. Trid. sess. 6 requiri actum dilectionis pro susceptione baptismi?

Itaque secundo si verba ipsa concilii expendamus, haec licet advertere. Quoniam synodus non agit simpliciter de iustificatione, quae per realem susceptionem baptismi, sed et de ea, quae per baptismi votum obtinetur (cp. 4), non est exspectandum, quod enumeret solas dispositiones necessarias ad baptismum actu suscipiendum. Sed enumerandae erant dispositiones necessariae ad iustificationem utramque assequendam. Id porro multipliciter exsequi synodus poterat. Vel simpliciter enumeratis omnibus dispositionibus, quae vel necessariae sunt in utraque hypothesi vel ordinarie locum habent, quin explicite determinaret quaenam pro hac et illa hypothesi necessariae et sufficientes sint. Vel explicite docendo quae dispositiones sint necessariae et sufficientes pro utraque hypothesi. Vel enumeratis omnibus dispositionibus quibus ad iustificationem via paratur, determinando speciatim aliquam, quae pro sacramento necessaria est, ex qua indicatione liceret etiam colligere, quid prorsus sufficiat pro eodem sacramento. Iam vero cum nollet synodus omnia, quae huc spectant, simpliciter definire, hanc tertiam elegit viam. Nam omnes dispositiones enumerantur, quae requiri possunt pro iustificatione, quaeque sufficiunt pro iustificatione ex opere operantis; docemur praeterea diserte, quaenam pro sacramento requiratur; h. e. odium aliquod et detestatio peccati. Quod profecto cum dicit synodus, satis significat, quod dummodo sit vere odium aliquod et detestatio peccati, ea est poenitentia sufficiens pro sacramento suscipiendo. Atqui detestatio peccati vel ex timore est vera detestatio. Neque illud ‚propterea' nectit necessario hunc actum detestationis cum actu immediate prius memorato amoris, sed cum tota serie actuum antea enumeratorum in confuso accepta. Inde factum est, ut doceamur 1. quibus dispositionibus disponatur homo ad iustificationem ex opere operantis; 2. ante baptismum ideoque et pro baptismo suscipiendo necessariam esse poenitentiam, h. e. odium et detestationem peccati; 3. requiri proinde fidem quoque et spem, quia illa sine his esse nequit; 4. explicite non decidi an detestatio peccati ex motivo dilectionis Dei an ex motivo timoris et spei determinanda sit; at sufficienter indicari, quemadmodum Dominicus Soto intellexit, sufficere motivum timoris; nam ex hoc verum odium veraque gignitur detestatio peccati.

Itaque concedimus ea verba: ‚Deum tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt' exhibere actum perfectae caritatis, sed negamus docere concilium hunc actum esse necessarium pro suscipiendo rite baptismo (cf. Suarez, disp. 28 s. 2).

Ceterum non defuerunt, qui ea verba aliter interpretati, voluerint significari aliquem amorem imperfectum, initialem, qui proprius sit spei, quique vel cum sola attritione cohaerere potest [Ripalda, Tournely, De Augustinis, Francolini, Stárek]; verum haec interpretatio propter rationes allatas sive extrinsecas sive intrinsecas nobis minus probatur". Palmieri, De poen. th. 30, V. Cf. Benaglio, Dell' Attrizione.

Ad 13. „Indoles novae legis, quae est lex caritatis, exigit quidem ut caritas sit donum proprium huius oeconomiae et quod vita, quam vivunt homines in hoc foedere, sit vita caritatis; non vero exigit, quod ad obtinendum hoc donum et assequendam hanc vitam non possit per timorem perveniri. Immo indoles huius foederis, cuius propria est sanctificatio interior, postulat, ut ritus habeat ex opere operato sanctificantes, qui proinde non requirant in poenitente eam dispositionem, quae per se est sanctificans". Palmieri, De poen. th. 31, II. Ceterum obligatio eliciendi caritatem non est sublata.

Ad 14. In sacra scriptura praecipitur quidem actus caritatis, sed non pro sacramento (Deut. 6, 5; Mat. 22, 37 s.). Item exigitur conversio in toto corde (Ioël 2, 12); at talis est non solum ea, cuius ponendae modus perfectus est per caritatem, verum etiam ea, cuius effectus, exclusa omni peccandi voluntate, est perfectus. Ex Rom. 8, 14. 15 omnes, qui se constanter agi sinunt spiritu Dei inhabitante, probant sese filios Dei, qui tamquam genuini filii, semoto timore proprie servili, appellare possint Deum patrem; sed minime negatur etiam attritos fieri posse Dei filios, nec salutaris effi-

cacia timoris simpliciter servilis repudiatur. Porro 1 Cor. 13, 3 hoc unum affirmatur, deficiente caritate ideoque statu gratiae nihil prodesse homini in ratione meriti condigni pro vita aeterna. Secundum 1 Io. 3, 14. 15 ex dilectione fratrum cognoscitur translatio ad vitam gratiae, et ex defectu dilectionis, qui quidem nequit intellegi simplex absentia alicuius actus (ita nec 1 Cor. 16, 22), sed vel actus contrarius vel defectus dilectionis habitualis, colligitur status mortis; at inde non sequitur ad vitam habitualem gratiae et caritatis non posse perveniri nisi per actum caritatis.

Ad 15 et 16. Principio opponi possunt imprimis: Augustinus, Serm. 351 n. 7; 352 n. 8., Hermas, Past. sim. 8, n. 11., Dionysius Alex., Ep. ad Cononem, Pacianus, Paraen. ad paen. n. 6. Gregorius M. Hom. 2, n. 8; 10 n. 7; 11, n. 4; 12, n. 4; 34, n. 6. 18; 36, n. 13. Deinde notandum est caritatem saepe posse intellegi habitualem; amorem posse intellegi amorem spei, qui certe saltem virtualiter continetur in spe veniae, quae est etiam spes consequendi finis veniae, spes pessessionis Dei (cf. Palmieri th. 27, V). Nonnullis locis sermo esse potest de iustificatione extrasacramentali. Denique ipsa attritio ex metu gehennae est introductio ad amorem Dei seu continet amorem Dei in praeparatione animi. Thomas Aq., ubi dicit (In 4. Sent. d. 17, q. 3. a. 4) confessionem non valere sine caritate, quae est principium merendi, loquitur, ut notat Esparza, ex professo de confessione, quatenus est meritoria gloriae. — Usum ecclesiae orientalis non multum differre ab hac doctrina ipse Šost'in l. c. p. 481—2 fatetur; doctrinae autem paritas vel inde probatur, quod hic scriptor diversam reperire non potuit nisi supposito dolorem ex timore non esse sincerum de peccatis dolorem. Mal'cevii sententiam iam audivimus.

Ad 17. Quomodo explicanda sint effata illa quae afferre solent adversarii, cf. Tournely, De sacr. poen. qu. 5., art. 3., p. 67 s. Porro, quod adversarii inculcant, non licere relinquere sententiam tutiorem in sacramentis conferendis, idem Hurter (Comp. th. dogm. III, n. 476) in nostrae sententiae favorem ita adhibet: affert Alexandri VII decretum et subsumit: „Atqui profecto Ecclesia non posset permittere sententiam initialis amoris necessitatem negantem, si non certum vel saltem probabilius esset, initialem amorem non requiri ad validam absolutionem, ne poenitentiae sacramentum exponeret cum damno tot animarum nullitatis periculo.“ Sed iam directe respondeamus: „Post Tridentinum licet non sit omnino de fide, est tamen moraliter ad minus certum, quod attritio cum sacramento poenitentiae sufficiat ad iustificationem. Et quidem negari non potest, certius id esse quam quod hic homo non sit moriturus hac nocte, vel quod hic puer sit baptizatus, aut quod hic moribundus habuerit iam veram contritionem; in quibus tamen et similibus non est obligatio adhibendi aliud remedium propter illam qualemcumque incertitudinem, quae adhuc remanet“ De Lugo, Disp. 7 n. 271.

Neque dixeris: sententia, quam Pontifex vetat censura quapiam notari, non potest dici improbabilis. Dicere enim aliquam sententiam esse improbabilem, non est censura. Nam „levissimum seu infimum genus censurae theologicae reputatur, si quis sententiam aliquam dicat temerariam. Dicere enim sententiam aliquam esse improbabilem eo tantum valet, quod illius fundamentum ad oppositam sententiam comparatum infirmetur, quamvis ob rationes apparentes possit bona fide et invincibiliter a viro intelligente et prudente defendi tamquam vera; contra dicere temerariam idem est atque significare, quod vel contra se tantas habeat rationes vel ita careat motivo pro se, ut nemo intelligens ac prudens possit eam bona fide tueri; temeritas quippe vel inconsultam praecipitationem ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis inordinatum quempiam impetum sive passionem designat. Accedit et istud, quod in eiusmodi Pontificum decretis praecipiatur solum a formàli censura quacumque abstinere, non autem asserere aliquid de una sententia, ex quo inferri possit alterius opposita censura aliqua; secus enim nemo auderet dicere suam sententiam tradi in scriptura sacra vel a conciliis oecumenicis“ Linek, De poen. c. II, prop. 4, Schol. Denique ad decretum Innocentii XI notanda sunt quae Mart. Esparza, qui interfuerat, cum illae

65 propositiones examinarentur, in litteris Roma ad Belgium a. 1680 scripsit: „Nulla quisquam sollicitudine concuti debet circa sufficientiam attritionis in confessione propter prohibitionem primae propositionis ex 65. Ea propositio fuit reprobata propter suam illimitatam amplitudinem et universalitatem cum indistinctione speculative tantum probabilis a probabili etiam practice et rursum probabilis utcumque a moraliter certa; sententia autem de sufficientia attritionis est practice probabilis et moraliter certa atque ut ego puto, plus etiam, quam moraliter certa. Accedit apud censores praedictarum propositionum actum fuisse in terminis propriis de sufficientia attritionis atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententiam communem mansisse incolumem." Salmanticenses De poen. disp. VII, dub. 1, n. 53, 54 et 56 etiam hoc adnotant: „Nostra sententia non solum est probabilior et communior, sed etiam tutior quam contraria . Etenim illa sententia tutior ac tutissima reputanda est, quae salvat salvanda ex necessitate fidei Constat autem sententiam asserentem pro sacramento poenitentiae sufficere solam attritionem, ista omnia salvare et omnino procedere secundum naturam huius sacramenti . E contra vero secunda sententia vix cum iis conciliari valet, vix purgari ab erroribus Michaelis Baii et aliis condemnatis in concilio Tridentino; [quippe] unum ex duobus contradictoriis ab illis necessario concedendum est ., nempe vel amorem caritatis Dei super omnia coniungi cum peccato mortali ante susceptionem in re sacramenti poenitentiae .. vel.. sacramentum poenitentiae numquam conferre primam gratiam . . Itaque adhibere contritionem in sacramento ex devotione et supererogatione ad idque in hoc sensu poenitentes inducere, tutum et sanctum censemus; illam autem adhibere ex falso dictamine, quod sit de necessitate sacramenti, nec tutum nec sanctum audemus dicere."

Schol. Quaeri potest num attritioni in sacramento conveniat meritum de congruo. Suarez „licet hoc possit probabiliter defendi, nihilominus oppositum censet verum" De gratia l. 12, c. 37 n. 14; idque a) quia iustificatio sacramentalis datur ex opere operato et non ex opere operantis; b) quia iustus recipiens Eucharistiam non meretur de condigno gratiam sacramenti, licet ad illud accedat cum magna dilectione Dei. Ergo nec peccator attritus meretur de congruo gratiam sacramenti poenitentiae. Ripalda, De ente supern. l. 4, disp. 87, n. 33 „probabilius censet oppositum" idque a) quia Tridentinum sess. 14, cp. 4 asserit attritionem valere in sacramento ad impetrandam gratiam; impetratio autem est quoddam genus meriti congrui; b) quia licet attritio non sit sufficiens dispositio ad gratiam divisa a sacramento, tamen ipsi coniuncta movet Deum ratione suae bonitatis moralis et tanquam obsequium sibi exhibitum, ut conferat gratiam et re ipsa intuitu illius confertur. „Attritio in sacramento poenitentiae est pars essentialis illius, cuius intuitu movetur Deus ad gratiam ipsam sacramenti; dilectio vero in suscipiente Eucharistiam non est pars essentialis sacramenti, cuius intuitu Deus conferat gratiam sacramentalem, sed aliam augmenti portionem omnino distinctam". Sed haec adnotasse satis est.

## Thesis XIV

Certum non est ad validum usum sacramenti paenitentiae requiri attritionem, quae sit super omnia, si paenitens est bona fide.

Declar. „Si detestationis gradus non assurgit ad tanti faciendum malum peccati, quanti fieri deberet, ut esset plus appretiatum quam omnia damna, quae in eius evitatione inveniri possunt, hinc est, quod propositum ex dicta detestatione exoriens, non se extendit ad omnes circumstantias possibiles. Deficit ergo huiusmodi attritio non a veritate attritionis simpliciter, sed solum a veritate gradus requisiti, ut omnis removeatur obex ad gratiam, eo quod cum detestatione, quae hic et nunc est in anima, adhuc potest coniungi voluntas peccandi pro variis occurrentiis, et ex consequenti, nondum sublata est omnis ad peccatum adhaerentia

[Non autem quamvis attritionem imperfectae efficaciae dici potest] sufficere in ratione partis integralis, [sed tantum] illam, qua poenitens sincere et citra sacrilegium subicit peccata sua clavibus Ecclesiae. Oportet enim ut excludatur fictio directe repugnans fini operis, qui est poenitentialis actio causae, in ordine ad consequendam absolutionem a peccato; et hanc sane condicionem omnes uno ore exigere debent, cum evidens sit, nullam esse actionem poenitentialem, adeoque nullam materiam sacramenti, ubi hic et nunc, per voluntariam violationem sacramenti clavium [sive agatur de confessione venialium sive mortalium. Cf. Lugo, d. 14 n. 110. Alphonsus, Theol. mor. l. 6, n. 449. Viva, damn. thes., prop. 18. Alex. VIII. n. 17 ss.], novum peccatum [grave] committitur. — Hinc casus sacramenti validi simul et informis evidentius consideratur in eo, qui absque gravi negligentia ad poenitentiae tribunal accedit, non habens attritionem pro iustificatione sufficientem, puta quia invincibiliter ignorat se non esse satis dispositum et ideo fictionem habet mere materialem. — Sin autem sermo sit de fictione formali sive culpabili, distinctione opus est, eo quod duplici modo culpabilis esse potest fictio seu indispositio confitentis: in se nimirum, vel in causa tantum. Erit culpabilis in se, si poenitens in ipso confitendi actu certam habet conscientiam sacrilegii propter notam dispositionum insufficientiam; et tunc non est dubium, quin sit invalidum sacramentum. Erit culpabilis in causa tantum, si poenitens ex negligentia gravi omisit convenientem praeparationem et postea accedit non amplius cogitans de suo defectu“ Billot, De Eccl. sacram. l. 2, th. 16 § 1. Possibilitatem talis attritionis existimatae ita ostendimus cum Palmieri (De poen. parerg. post th. 32. II.) „Actus interni quoad essentiam seu naturam suam non sunt nobis immediato intuitu manifesti; unde contingit quod identidem fallamur inculpabiliter circa proprietates vel accidentia ipsorum; et ex hoc quoque petitur ratio, cur certitudo nobis desit an simus in statu gratiae, quia nempe certi non sumus, num actus nostri fuerint, quales esse oportet, etsi certi simus, quod gratia Dei nunquam deest: et ex hoc quoque procedit, quod deinceps dubia exoriantur in nobis, an actus nostri praecedentes fuerint reapse tales, quales olim

censebamus. Haec scilicet arguunt esse in natura situm actuum nostrorum, ut possint non esse tales, quales bona fide censemus".

Ad validitatem sacramenti poenitentiae non requiri eum dolorem, qui requiratur ad fructuosum clavium usum defendunt imprimis Caietanus, Antoninus, Aversa, Becamel, Navarrus, Salmanticenses, Victoria, Ballerini, Billot, Gihr; negant praesertim Vasquez, Coninck, Fagundez, Herincx, Heinrich, Pesch; dubitat Cardenas.

Dub. 1. „Concilium Tridentinum Sess. 14, cp. 3 et 4 plenissime naturam huius sacramenti explicans omnino nullum agnoscit dolorem pro hoc sacramento nisi illum, qui disponit ad remissionem peccatorum ac iustificationem eoque ipso sufficientem ac necessarium ad hoc sacramentum etiam valide suscipiendum. Nam a) cp. 3 cum docuisset actus poenitentis contritionem et confessionem esse partes et quasi materiam huius sacramenti, utique valide suscipiendi, mox diserte explicat eatenus esse partes et materiam huius sacramenti, quatenus requiritur ad plenam et perfectam remissionem peccatorum. Et clarius b) cp. 4 contritionem generatim definiens esse dolorem ac detestationem peccati etc. ac dividens in perfectam et imperfectam, quae attritio dicitur, utramque dicit disponere ad iustificationem illam quidem etiam sine, hanc vero cum sacramento. Ergo secundum Tridentinum solum attritio vel dolor disponens ac sufficiens ad iustificationem est pars et quasi materia huius sacramenti et nullus alius; atqui talis est solus dolor formalis, supernaturalis, efficax et universalis respectu mortalium omnium commissorum. Ergo talis et non alius requiritur etiam ad valorem et essentiam huius sacramenti". Sporer, Theol. mor. sacr. p. 3, c. 2, n. 260.

2. Illa attritio inefficax aut existimatur invincibiliter sufficiens, aut non. A) si hoc, certe usus clavium non est validus. Nam a) „si illa sufficeret, quidquid cum illa coniungeretur non esset contra essentiam sacramenti; sed propositum iterum peccandi mortaliter et actualis complacentia peccati commissi esse potest cum illa imperfecta detestatione seu velleitate, ut per se constat, quia illi actus non sunt repugnantes. b) hoc sacramentum institutum est per modum iudicii; ergo intelligi debet iuxta formam et tenorem veri iudicii, de cuius ratione est, ut si sit evidenter iniustum et continens intolerabilem errorem, sententia in illo lata sit prorsus nulla; illa autem confessio facta illo modo talis est, ut in illam non possit cadere forma huius sacramenti nisi cum evidenti iniustitia et intolerabili errore; ergo talis sententia seu forma erit semper nulla. c) hoc potest probari, quia credendum est ita instituisse Christum Dominum hoc sacramentum, sicut necessarium et expediens futurum erat ad usum eius; sed confiteri peccata ex certa scientia cum illo dolore inefficaci et velleitate nunquam poterat esse expediens ad usum huius sacramenti, neque conferre aliquid poterat ad salutem animarum". Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 8.

B) Sin illa attritio insufficiens existimatur invincibiliter sufficiens, nec tunc potest esse usus clavium validus. Nam „cum concilia dicunt vinum v. g. esse materiam Eucharistiae, nemo dicere potest acetum invincibiliter putatum vinum aliquando sufficere. Neque solum in materia, quae est res sensibilis, sed etiam in materia, quae est actus humanus, hoc verum habet; ut in sacramento ordinis, si materia essentialis est tactus calicis vel patenae, etiamsi quis invincibiliter putet se tetigisse, si revera non tetigit, nihil factum est, quia ignorantia humana non mutat materiam, nec Deus supplet essentialem defectum ob privatum errorem; ergo idem cum proportione est in praesenti dicendum. — Ratio vero seu congruentia institutionis illa est praecipue, quia ad veritatem formae huius sacramenti per se necessaria est attritio vera et non putata quomodocumque, quia sine illa non potest homo revera et cum effectu absolvi. Nec sufficit respondere ad veritatem huius formae satis esse aptitudinalem significationem,

i. e. absolvere, quantum est ex se. Nam licet hoc sit verum respectu alicuius impedimenti seu causae extrinsecae aut per accidens, tamen respectu propriae materiae et per se requisitae, non est satis. Nam talis forma per se requirit actualem efficaciam gratiae et hanc significat (per se etiam loquendo) ex vi verbi 'Absolvo'; ergo ex se requirit materiam proportionatam ad veritatem talis verbi et significationis". Suarez, De poen. disp. 20, s. 4, n. 16 s.

Sed ad haec respondendum est:

Ad 1. a) Cf. thes. XI. p. II. ad 5. — „Primo: loco citato docet Tridentinum materiam poenitentiae integrari ex contritione, confessione et satisfactione, quatenus hoc sacramentum ex sese ordinatur ad remissionem peccati plenam et perfectam, id est, tam quoad reatum culpae, quam quoad reatum poenae temporalis. Rationem igitur reddit, cur contritioni et confessioni adiungatur satisfactio, sine qua, utpote ordinata ad remissionem poenae, sacramentum potest perfici quoad substantiam, non tamen quoad integritatem.

Secundo: imperfecta illa, de qua loquimur attritio, sufficienter concurrit in ratione partis sacramentalis ad effectum plenae et perfectae remissionis, de qua concilium agit; non enim sacramenti exterioris est hunc effectum immediate inducere, sed mediate tantum, modo accedat obicem removens dispositio. Suppone igitur sacramentum validum et informe; suppone satisfactionem fuisse impositam et postea impletam; suppone dispositiones debitas tandem accedere, tunc haberetur perfecta illa peccati remissio, cuius causa esset praecedens confessio, mediante ‚re et sacramento' [i. e. dispositione praevia]

b) Omnis vera contritio aliqualiter excludit peccandi voluntatem, pro quanto semper habet quandam efficaciam, etsi forte restrictam ad certos limites, ex quo fit, ut nondum omnis peccandi voluntas efficaciter excludatur. Etiamsi ergo concederetur Tridentinum intendisse per hoc incisum: 'si voluntatem peccandi excludat' determinare essentialem attritionis condicionem, adhuc nihil sequeretur; non enim dixit: si omnem voluntatem etc. — Verum legenti locum apparebit sermonem esse de attritione prout est dispositio, videlicet, prout poenitenti viam ad iustitiam parat eumque ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit.

Ad 2. A) Etiam cum „sermo est de fictione formali sive culpabili distinctione opus est [ut in declaratione notavimus,] eo quod duplici modo culpabilis esse potest fictio seu indispositio confitentis: in se nimirum vel in causa tantum. Erit culpabilis in causa tantum, si poenitens ex neglegentia gravi omisit convenientem praeparationem, et postea accedit, non amplius cogitans de suo defectu; quo in casu adhuc validum sacramentum veteres agnoverunt; ut Thomas, Supplem. q. 9, a. 1; Antoninus Summa p. 3. tit 14 c. 19." Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 16, § 1.

B) Ratio prior probat tantum non sufficere ad valorem attritionem existimatam talem quae non sit revera sufficiens sed tantum sufficiens esse existimetur. Praeterea notat Gotti (De poen. qu. 6, dub. 1, n. 20): „In aliis sacramentis materia non est actus humanus, sed aliqua res elementaris At materia in sacramento poenitentiae est actus humanus; et quia actus humanus veritatem suam et bonitatem moralem

desumit ex dictamine rationis et prudentiae et ex aestimatione nostra, ideo, quando bona fide existimamus nos habere verum de peccatis dolorem, talis dolor est materia sufficiens ad valorem sacramenti; sicut qui adoraret hostiam non consecratam existimans prudenter eam esse consecratam, actum verae adorationis latriae faceret. — Ratio posterior sic infirmari potest, ut dicatur sacramenta non immediate sed dispositive (mediante iure) significare et causare gratiam.

Schol. 1. (De reviviscentia sacramenti paenitentiae). Vasquez (qu. 92, a. 3, dub. 4) negavit, etiamsi unquam sit absolutio valida et informis, posse suum effectum causare obice ablato. Sed „si non haberet postea effectum, iam peccata illa non remitterentur ex vi alicuius confessionis sacramentalis directe, sed vel per actum contritionis solum, quem postea eliceret homo, vel per aliam confessionem sequentem de aliis peccatis, in qua illa priora indirecte remitterentur. Neutrum autem dici potest. Non primum, quia per contritionem non remittuntur peccata sine ordine ad confessionem, cuius votum in contritione includitur. Tunc autem contritio nullum haberet votum confessionis illorum peccatorum, cum nulla esset obligatio ea iterum confitendi. Non potest item dici secundum, quia in Lege Nova Christus voluit, quod seclusa ignorantia vel impotentia omnia peccata hominis baptizati remittantur directe per sacerdotem hoc enim significant illa verba 'quorum remiseritis peccata, remittentur et quorum retinueritis' id est: non remiseritis 'retenta erunt'. Nec sufficit remissio indirecta ad satisfaciendum huic obligationi. Nam si hoc esset, non esset obligatio confitendi peccata, quorum poenitens oblitus fuit in priore confessione et a quibus tunc iam fuit indirecte absolutus: tenetur tamen ea iterum confiteri, ut directe tollantur per sacerdotem. Ergo non sufficit indirecta ablatio ad satisfaciendum praecepto Christi. Hinc ergo infertur, quod, si confessio et absolutio prior informis nunquam haberet suum effectum, illa peccata deberent iterum deferri ad confessarium, ut ab ipso aliquando efficaciter tollerentur. Quod tamen cum non fiat, immo omnes ad hunc finem potissimum defendant sacramentum validum et informe, ut liberent poenitentem ab onere repetendi illas confessiones, fatendum est priorem absolutionem exerere postea suas vires et tollere illa peccata.“ De Lugo, De poen. disp. 14, n. 102.

Schol. 2. „Quaeres, quandonam removeatur obex. Respondeo, quod si nullum novum mortale peccatum interveniat, removetur statim ac perficitur attritio, sublato defectu, qui fuit causa informitatis sacramenti. Si autem superveniat aliud mortale, obex per se eodem modo removetur; sed quia unum mortale non potest remitti, quin remittantur omnia simul et absolutio praecedens nullam habet efficaciam circa peccatum posterius, tunc praeter remotionem obicis, qui impedivit dictae absolutionis fructum, nova requiritur absolutio in re vel in voto. Quo in casu absolutio posterior se habebit ad proprium effectum ut causa per se; ad effectum vero praecedentis ut causa per accidens“ Sed „unum poenitentiae sacramentum nonnisi semel reviviscit, quia ius collatum ad gratiam remissivam peccatorum praecedenter confessorum, omnino exhauritur, cum primum perficitur iustificatio, per quam peccata illa abolentur in perpetuum nusquam reditura Billot, De Eccl. sacr. l. 2 th. 16, § 2.

## *Quaestio VI. Quo modo retentio et remissio efficiatur.*

Thesis XV.

Absolutio eo probabilissime causat peccatorum remissionem, quod signum verborum formaliter causat necessitatem impletionis significationis positae moraliter a Christo. Retentio vero est negatio remissionis.

Decl. 1. Quadruplex in genere circumfertur sententia de modo, quo fiat remissio peccatorum gravium vi potestatis ecclesiae. Prima est sententia eorum, qui tuentur causalitatem physicam. Est Caietanus (In 3. p. qu, 62 a. 1. 4.), quem sequuntur Thomistae fere omnes; praeterea Bellarminus (De sacr. in g. l. 2, c. 11), Suarez (De sacr. in gen. disp. 9 s. 2 n. 14), Gregorius de Valentia (t. 4 disp. 3 qu. 3, p. 1), Ripalda (De ente supern. l. 2, disp. 40, s. 3, n. 13), Isambertus (De sacr. qu. 62, d. 4, a. 3), Viva (Curs. th. t. 2, p. 7, d. 2, qu. 3), Bucceroni (De causal. sacr. § 11), Tannerus, Granadus, Dicastillo, Maurus, alii; recentissimus Ed. Hugon, La causalité instrumentale en théologie. Paris 1907. Hi omnes consentiunt in eo, sacramentum poenitentiae producere immediate aliquid physicum, quo mediate vel immediate peccata gravia tollantur. Tres tamen ulterius referuntur eorum opiniones. Prima, sacramentum esse causam physicam gratiae peccata gravia tollentis non immediate gratiam producendo, sed producendo praeviam dispositionem physicam, ex qua per divinam productionem sequatur gratia. Haec sententia tribuitur s. Thomae, Paludano, Capreolo, Hervaeo (In l. 4. dist. 1, qu. 1, a. 4), Alex. Halensi (p. 4, qu. 5, m. 3, a. 5), Alberto M. (In. l. 4, dist. 1, a. 5). Secunda dicit gratiam immediate produci instrumentaliter concurrendo cum Deo tanquam principali causa eiusdem gratiae. Hanc tenent Caietanus, Suarez, Vega, alii. Tertia denique statuit physice iustificari hominem vel sine physica qualitate gratiae, vel ita, ut physice gratia non producatur, sed tamen animae iustificanti uniatur. Ita Dominicus Soto, In l. 4. d. 1, qu. 1 a. 3.

Secunda sententia est eorum, qui gratiam peccatorum remissivam eo tantum a sacramento attingi censent, quod Deum ad eam conferendam moveat. Primus eam videtur statuisse Melchior Cano (De sacr. in gen, p. 1 concl. 6). Quem inter alios secuti sunt Mart. Ledesma (In l. 4, dist. 1, qu. 3, a. 1), Molina (p. 1, qu. 45, a. 5, dist. 2 ad 2), Vasquez (In 1. 2. disp. 184, n. 23), De Lugo (De sacr. disp. 4, s. 4), Lessius (In 3 p., qu. 62, a. 4), Arriaga, Hurtado, Becanus, Coninck, Amicus, Haunoldus, Platelius, Gormaz, Amort, Franzelin, Pesch, Sasse.

Tertia sententia est eorum, qui dicunt gratiam effici causalitate iuridica, eo quod immediate producatur ius ad gratiam ita sicut verbis vel aliis signis iura conferuntur iisque subiectum investitur. Hanc defendunt Billot (De eccl. sacram. l. 1, qu. 62; l. 2, qu. 84), Antonio Merisi (De causalitate sacramentorum. Mediol. 1898), Lehm-

kuhl (Kirchenlexikon[2], Sacramente); hic effectum praevium designat „iuridicam Dei cessionem a iure suo in peccatorem“, ille „interiorem poenitentiam, prout effecta est vi clavium titulus de se exigens desitionem imputationis offensae et restitutionem gratiae“ Aliena videtur haec sententia a mente s. Thomae (quidquid contendunt eius assertores) ex Supplem. qu. 29, a. 8, corp.; qu. 34, a. 2, ad 2.

Quarta sententia est eorum, qui sacramentum relate ad gratiam non esse nisi condicionem docuerunt. Ita senserunt Bonaventura (In l. 4, dist. 1, qu. 4), Scotus (In l. 4, dist. 1, qu. 5), Durandus (In l. 4, d. 1, qu. 4), Petrus de Alliaco, Estius, alii. Guilelmus Ocham sic explicat suam sententiam. „Cum causa dicitur illud, ad cuius esse sequitur aliud: dupliciter potest accipi illud et intellegi. Uno modo quando ad praesentiam alicuius sequitur aliud esse ex natura rei sive naturaliter. Alio modo, quando ad esse unius sequitur esse alterius ex sola voluntate alicuius, quomodo dicimus, quod actus meritorius est causa respectu praemii ex sola voluntate divina praemiante; et talis causa dicitur causa sine qua non; et non est ea, quae est causa primo modo. Nam in naturalibus non contingit dari causam sine qua non respectu alicuius effectus, sed solum in voluntariis.“

Historiam quaestionis de efficacia sacramentorum videsis ap. Reinhold, Die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sacramente nach ihrer historischen Entwicklung. 1899.

2. Iam nostram sententiam paucis explicemus oportet. Dicimus igitur validum sacramentum causare formaliter (i. e. ut causam formalem) necessitatem metaphysicam (fundatam in veracitate Dei), ut significatio impleatur. Quae impletio significationis sacramentorum est semper talis, ut includat saltem exigentiam gratiae.

Sacramentum, dixi, causat formaliter necessitatem impletionis significationis; causat id per suam significationem (suam operationem, ratione distinctam ab ipso signo), quae ex naturali (actio propria instrumenti) per relationem directe ad causam (intentionem ministri competentis), indirecte ad institutionem Christi elevata est ad significationem a Christo moraliter positam; quae qua talis ponit necessitatem metaphysicam impletionis; alioquin enim Christus ipse falleret, si sc. signum non esset verum.

3. Iam quaeritur quid verba absolutionis significent, quid igitur producant. Coninck hunc sensit esse sensum formae: ‘Absolvo te, quantum ex confessione potui cognoscere te esse reum et esse bene dispositum.’ Sed, etiamsi sacerdos non advertisset ad haec et poenitens esset dispositus, valeret absolutio; et etiamsi falso putaret non esse poenitentem dispositum, valeret item, modo haberet intentionem absolvendi, si posset. Ceterum contra hunc cf. Mart. Perez, De virt. et sacram. poen. disp. 18, s. 5, n. 7.

Gabriel verbis absolutionis tribuit sensum: ‘Absolvo te ab obligatione confitendi peccata, quae mihi confessus es.’ Sed hoc posito non potest explicari absolutio a venialibus et a mortalibus iam iterum accusatis; deinde „interdum quis absolvitur a peccatis, quin ab obligatione confitendi solvatur“ (De Augustinis, De poen. p. 2, th. 23, n. 4).

Amort eadem verba explicat sic: „Sacerdos commutando nomine Dei satisfactionem rigorosam in temperatam ac humanam poenitentem absolvit iudicialiter ab ulteriore obligatione satisfactionis in ordine ad obtinendam peccatorum veniam. Ea vero actio, de se tantum iurisdictionalis, non sacramentalis, fit sacramentalis per ordinationem Dei, in quantum a Deo ordinatur extrinsece ad remissionem peccatorum et eatenus est actio instrumentalis relate ad Deum tamquam agens principale.“ Cf. De poen. disp. 5, qu. 1. Sed hac explicatione verba detorquentur ad minus proprium sensum; nec posset aptari ad absolutionem iterandam de iisdem peccatis, quia iam per primam commutata esset satisfactio rigorosa in temperatam ac humanam.

4. Suarez verba absolutionis interpretatur ita: ‘Confero tibi gratiam, ex se remissivam peccati.’ Hanc interpretationem De Lugo, Palmieri, alii conati sunt corrigere ita ut significent: ‘Ego, quantum est ex me, remitto tibi peccata tua quoad culpam et confero id, quod remissionem culpae consequitur.’ Et ratio eorum est, quia „verba absolutionis, licet significent et conferant gratiam ex Christi institutione, ut tamen sunt verba humana, eam determinate non significant nec faciunt eum sensum.“ Lugo, De poen. disp. 13, n. 71. Sed hanc correctionem nos reicimus cum Dicastillo, Wietrowski, De Augustinis et aliis maxime propter rationem thes. 1. p. II ad 5. allatam. „Ex humana institutione verbum ‘remitto’ seu ‘absolvo’ absolute prolatum absque ullo addito, sicut profertur in forma sacramenti poenitentiae, absolute non significat repeti eam remissionem seu solutionem debiti, vel secunda vice remittere aut iterum et iterum remittere: sed ut verbum humanum significat simpliciter et absolute seu prima vice remittere; quia ad declarandum repetitam remissionem iam solent homines se amplius explicare ac dicere: iterum atque iterum remitto, renovo remissionem et absolutionem. Firmo idem simili exemplo: Nam nemo potest cum veritate dicere homini, qui est iam solutus a vinculis corporis, quibus antea tenebatur: ‘ego te solvo a vinculis corporis’, quia his verbis iuxta communem usum loquendi non potest significare repetitum affectum et voluntatem, quantum est ex se solvendi illum ab illis.“ Mart. Perez, De virt. et sacram. poen. disp. 18, s. 5, n. 6. Unde ad rationem Lugonis respondemus concedendo effectum formalem secundarium signi sacramentalis immediate significari, sed non absolute, verum determinative relate ad gratiam per sacramentum conferendam. Non significatur actualis remissio qua talis, sed significatur gratiam, quae confertur, esse remissivam. Ipsa gratia autem significatur in forma indicativa ‘absolvo te’ eatenus, quatenus haec verba significant proprie: ‘impendo tibi sacramentum absolutionis’; et haec explicatio s. Thomae (S. th. p. III qu. 84 a. 3 ad 5) (impugnata v. g. ab Atzberger: Scheeben-Atzb. § 569) minime obscura est. Scilicet ita per abbreviationem hic dicit sacerdos ‘absolvo te’ sicut in baptismo ‘abluo te’; et sicut confectionem sacramenti Eucharistiae vocamus consecrationem et sim. Quatenus vero forma deprecatoria (cf. thes. IX schol. 1) aequivalet indicativae etiam ipsa hunc sensum concedendae recuperationis gratiae habet. Ex hac parte igitur nihil in explicatione Suarezii est

desiderandum. Cf. Salmanticenses De poen. disp. 3, dub. 2, § V VI.

Sed aliam movent difficultatem contra eam ex eo, quod in ea non possit explicari absolutio valida sed informis. Tum enim falsa esset significatio absolutionis, cum gratia significata non conferretur. Supponendum igitur est significari semper directe tantum ius, quo detentus liberari debet (cf. decl. n. 1).

Verum hoc non est necessarium ac minus respondet significationi verborum, praesertim si etiam alia sacramenta attendantur ut baptismus. Sed hoc concedimus ad perfectius explicandum sensum absolutionis verbis Suarezii: 'confero tibi gratiam ex se remissivam peccati' addi posse 'in quantum fieri potest', sc. 'si non realiter, saltem ita ut ius ad gratiam habeas'. Cf. Gonet, Clip. thom. t. 5. disp. 12, n. 30, qui dicit: „In sacramento informi verificatur haec forma, non quia reipsa detur gratia, sed quia sacramentum, in quantum est ex parte sua gratiae causativum et vi et efficacia verborum eam causare intendit, licet per accidens non detur.“ Cf. Heinrich-Gutberlet, Dogm. Theol. IX p. 144.

De sensu absolutionis relate ad venialia verificando cf. thes. 7. p. II. ad 1. v. fin.

5 Quod retentionem peccatorum attinet Suarez, Lugo, Petavius, alii eam reponunt in negatione absolutionis, quos impugnat Oswald, quem sequuntur Heinrich (X 28) et Gihr (D. h. Sacr. II 34). 'Ligare' esse idem ac declarare peccata non remitti tenent Adrianus, De clavib. qu. 2., Medina, De confessione, qu. 5; sed s. Thomas, Opusc. theol. 22 (ed. rom.), c. 5 etiam hoc vocabulum explicare videtur de mera negatione dum dicit: „Deus ligat gratiam non apponendo; similiter sacerdos tanquam minister a peccato solvit sacramentum gratiae apponendo et ligat non apponendo. Aliter Scotus In l. 4, d. 17 n. 12. Cf. J. Pelt in Diction. de théol. cathol. Vol. I 142.

P I. Absolutio eo probabilissime causat peccatorum remissionem, quod verba formaliter causant necessitatem impletionis significationis positae moraliter a Christo.

Dub. 1. Peccata gravia tolluntur immediate vel mediate effectu, quem absolutio physice producit. Nam

a) „Dicunt concilia sacramenta novae legis continere gratiam, quam significant; ergo aliter continent, quam significando“. Billuart, Summa summae III. p., t. 5, diss. 2, a. 2.

b) „Aliquid amplius et excellentius videtur tribuendum divinis sacramentis et instrumentis etiam in modo operandi, quam tribuatur signis recordativis pacti seu promissionis Etiam daemon in magicis artibus solet opem suam illo modo promittere ad praesentiam alicuius signi sensibilis, quod ipse constituit in memoriam promissionis et pacti; decet ergo, ut altiore modo Deus efficiat per sua sacramenta“. Suarez, De sacr. in gen. disp. 9, s. 2, a. 4.

c) Si possibilis est causalitas sacramentorum physica, praesumendum est scripturam loqui de ea causalitate, ubi loquitur de causalitate simpliciter. Atqui eam possibilem esse patet ex virtute ignis infernalis supernaturaliter elevati ad agendum physice in spiritus damnatos.

d) Signa sacramentalia sunt expressio voluntatis divinae, et qua talia operantur; atqui voluntas divina operatur physice, licet sit immanens, ergo et sacramenta.

2. Absolutio efficit peccatorum remissionem causalitate morali. Nam a) „Sacramenta ex institutione Christi significant hunc hominem respectu meritorum Christi esse gratia ditandum; ergo formaliter, in quantum significant gratiam sunt moraliter actiones Christi propter merita sua petentis nobis gratiam, et consequenter continent in se tantam bonitatem et dignitatem, ut propter eam a causa physica producatur effectus. Ergo sacramenta saltem eatenus sunt causa efficiens gratiae, quatenus ratione horum datur gratia. Proinde sacramenta eo differunt a meris condicionibus, quod in eis dignitas quaedam insit postulans gratiam. Iam talis dignitas potest dupliciter in aliqua re inesse: aut ex propria eius natura, et est causa moralis principalis, aut ex solo influxu causae superioris, et est causa moralis instrumentalis. Ita rex est causa moralis principalis alicuius actionis, quae eius iussu fit; minister vero regis est causa moralis instrumentalis actionis, quam nomine regis fieri iussit“ Pesch, Prael. dogm. t. 6 n. 141.

b) Causa meritoria et impetratoria suum effectum causat nonnisi moraliter; sed sacramenta se habent ad modum causae meritoriae ac impetratoriae, movendo videlicet Deum ad gratiam physice producendam; ad modum causae meritoriae, quia causant gratiam virtute passionis Christi tantum moraliter causantis; causae impetratoriae, quia Christus sacramenta instituens rogavit Patrem, ut quoties rite susciperentur, toties conferret gratiam suscipientibus passionis suae et mortis intuitu, quod et obtinuit.“ Wirceburgenses, De sacram. diss. 1, c. 2, a. 2. Nec excipi potest contra hoc cum Gonet (Clip. thom. t. 5, disp. 3, n. 74) „quod licet passio et mors Christi iam transierint in actu et in ratione motus aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in stigmatibus gloriosis corporis Christi, seu in humanitate quae affecta fuit passione et morte“ et humanitas qua talis physice producat nostram iustificationem. Nam „evasio haec multis refelli potest. Primo, quia passio Christi non existit in effectu non suo; sed humanitas non est physicus effectus passionis Christi et mortis . Tertio, quia sive humanitas Christi, sive ipsae vulnerum cicatrices eleventur a Deo ad gratiam physice producendam, nihilominus gratia producta non erit effectus passionis Christi in genere causae physicae, etc.“ Wietrowski, De sacram. t. 2, concl. 8, c. 1 § 4. Cf. Suarez, De sacr. disp. 9, s. 2, n. 4.

3. Peccata remittuntur causalitate iuridica per claves. Nam traditur per eas ius, per absolutionem nempe ut instrumentum vere efficiens, sicut et humana iura traduntur (cf. Th. Meyer, Ius naturale, t. 1, n. 504.) Nam immediatus absolutionis effectus est ius. „Nusquam enim sententia iudicialis immediate significat et facit solutionem in actu secundo; nam certe in humanis iudicium facere nihil aliud est quam ius dicere; dicere inquam non speculative sed practice, per applicationem iuris communis ad casum particularem; adeoque absolvere iudicialiter est facere ius, secundum quod debitum est, ut reus pro innocente habeatur, nec quidquam detrimenti capiat ratione eorum, de quibus fuerat accusatus. Ergo. si vere poenitentiae sacramentum per modum iudicii institutum est, oportet, ut legitima formae expositio sit: ego te absolvo iudicialiter a peccatis tuis, i, e. ego iudex facio ius, secundum quod debitum est, ut peccatum tibi amplius non imputetur“ Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 4.

Immediatum effectum absolutionis esse ius praeterea ostenditur ita: „Si sententia absolutionis immediate vel etiam absolute significaret et causaret iustificationem ipsam, deberet fundari saltem regulariter super poenitentiam peccatoris certo cognitam ut sufficientem ad solutionem vinculi in actu secundo; oportet enim, ut sententia iudicialis innitatur cognitioni moraliter certae meritorum causae in sua relatione et proportione ad proprium iudicii effectum. Sed poenitentia peccatoris, qua sufficiens ad effectum solutionis in actu secundo, non est iuridice certo cognoscibilis a tribunali clavium. Ergo in hoc tribunali proprius atque immediatus effectus nequit omnino esse ipsamet in actu secundo remissio, immo ne quidem id, quo

absolute debita reddatur, sed debita solum sub hac condicione: si non desit aliunde dispositionum sufficientia, de qua sacerdos cum certitudine non habet iudicare". Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 4

„Tandem probatur assertio ex natura sacramenti Evidens est, quod materia in exterioribus actibus poenitentis consistens, nulla ratione determinari potest ad significandum immediate remissionem; semper enim significabit proxime poenitentiam interiorem. Ergo vel dicendum, quod actus poenitentis non sunt intrinsecum sacramenti constitutivum, vel, si hoc reicitur, ut reipsa reiciendum est, fatendum quod significatum immediatum non est nisi ipsa interior poenitentia, prout vi absolutionis induit rationem tituli exigentis, quantum est de se, desitionem imputationis offensae. Et quia sacramenta significando causant, profecto immediatum significatum convertitur cum immediato effectu." Billot, De Eccl. sacr. l. 2, th. 4.

4. Absolutio est relate ad peccatorum remissionem tantum condicio. Nam a) Sacramentum poenitentiae institutum est verbis: 'Quorum remiseritis etc. Alia igitur est remissio sacerdotis, alia Dei; illa huius est condicio, ut patet ex ipsa forma enuntiationis, quae est hypothetica. „Sc. in verbis Christi ('quorum remiseritis') actus apostolorum se habet ut condicio, actus Dei ut condicionatum." Palmieri, De poen. th. 10, II, a) Cf. De Lugo, De poen. disp. 7 n. 160 s.; disp. 13, n. 86.

b) Eadem erit vis remissionis, quae retentionis; at retentio est sola condicio, ergo et remissio sacerdotis.

c) Si sacramentum paenitentiae esset causa, non posset dependere a condicione futura, sed tantum a praesentibus; sed saltem in ecclesia orientali adhibetur condicio futura, cum secundum ritum Russorum confessarius dicat poenitenti: „I ašče uderžišisja ot Božestvennago pričastija, razrěšatsja grěsi tvoi." Sic etiam consecratio dependet ab epiclesi futura Spiritus sancti; quae secus frustra proferretur.

5. Fingamus in secreto a surdo absolvi surdum; quae absolvens loquitur, non sunt verba, sed merae undulationes aëris, nihil significant. Ergo nec possunt agere significando. Et tamen absolutio erit valida. Nec dici potest prolationem externam verborum mente conceptorum esse solum condicionem, causam instrumentalem esse ipsa verba interna; nam nulla ratio est, cur alterum dicatur causa, alterum condicio.

Quidquid alii dicunt, quod posuimus clarum videtur esse. Significatio verborum absolutionis est moraliter a Christo posita. Atqui eo ipso metaphysice repugnat eam esse falsam. Ergo eo ipso habetur exigentia metaphysica impletionis significationis. Igitur absolutio est instrumentum, ὄργανον relate ad gratiam, quam producit; nec potest aliter operari nisi significando, cum instrumenta non exerceant operationem instrumentalem, nisi exercendo operationem propriam. Cf. Thomas Aq. De verit. qu. 27 a. 4 ad 13; Summ. th. p. 3, q. 62, a. 1 ad 2.

Ad 1. Respondemus in genere: 1°. Aut dicitur in absolutione agere ultima syllaba; et tum non agit totum sacramentum; nam etiamsi dicatur agere vi priorum, sane non potest dici eam in suo esse dependere causaliter a prioribus cum ea continuitate perfecta cohaerentibus; ergo ad summum priores erunt condiciones. Ad exempla, quae afferri solent de corpore sphaerico tangente planum ratione puncti vel partis minimae, de urbe expugnata a toto exercitu bene reponit Wietrowski, De sacram. t. 2, c. 1, n. 312: „Licet totum existens actualiter, secundum se totum denominatur producens physice a parte producente aut tangatur a parte tangente, nihilominus totum non exsistens nequit sic denominari. Denominatio enim, quae requirit exsistentiam subiecti denominabilis nequit cadere in subiectum non exsistens. Patet hoc exemplis ipsis adductis. Nam si qua pars corporis sphaerici destruatur, corpus non denominatur tangens physice prout complectens partem destructam, sed prout complectens partes exsistentes".

Aut dicuntur agere undulationes priorum verborum quocumque modo ultimo coëxsistentes. Sed tunc aliud significat, aliud agit.

Aut totum physice agit, cum iam physice non exsistit; sed hoc fieri non potest.

Cf. Albertus M. In l. 4 sent. d. 10 a. 7; Lahousse, De sacr. in gen. n. 124.

2°. Instrumentum est ea causa, quae agendo actionem sibi propriam secundum virtutem insitam, ad effectum superiorem pertingit, in quantum est mota a causa principali (Cf. Thom. S. th. I. q. 45 a. 5; III. q. 62 a. 1). Atqui actio instrumentalis non egrederetur e potentia instrumenti, si ad actionem eius propriam plus adderet, quam modificationem quandam et elevationem vel merum ordinem. Quodsi instrumentum est naturale, elevatio haec debet esse talis, cuius propria instrumenti operatio est naturaliter capax; atqui immediata physica productio entis spiritualis et supernaturalis non potest dici tantum modificatio operationis rerum sensibilium, quae illius sit naturaliter capax. Nec iuvat ad potentiam oboedientialem confugere. Accedit enim „quod assertio, quam principii instar physicae causalitatis propugnatores tenere fere coguntur: in quavis nempe re esse potentiam oboedientialem ad quidvis efficiendum, nec certa sit, nec vera esse videatur ideoque adhiberi nequeat ad diminuendam difficultatem, quae est in concipiendo aliquo ritu sensibili, qui sit causa physica instrumentaliter gratiam producens". Stentrup, De sacram., th. 13 fin.

3°. „Gratia ex se postulat produci efficienter a solo Deo, a quo solo infunditur extra sacramenta; quando autem aliquis effectus ex se petit procedere ab aliqua causa et non alia, non debemus invertere hunc ordinem sine urgenti necessitate aut ratione". De Lugo, De sacr. in g. disp. 4, n. 48.

Alia argumenta cf. ap. Becanum, De sacram. c. 3, q. 2, n. 8: Alanum, De sacr. c. 34; Greg. de Valentia, De sacr. disp. 3 qu. 3, p. 1; Collet, De sacr. in gen. c. 3, a. 1, s. 3; Gabr. Biel, S. canonis missae expositio, l. 47 etc.

Deinde in specie:

ad a) „Sacramenta gratiam continere et gratiae vasa esse dicuntur, quia gratiam non modo signant, sed et praebent, quoties ad ea recurritur, sicut vas aliquod homini depromenti praebet liquorem, quem intra se continet". Estius, In l. 4. sent. dist. 1. Idem ibid. argumentum retorquet: „Aperte in benedictione aquae virtus nominatur, cum dicitur: ‚ut huic elemento virtutem tuae benedictionis infundere digneris'. Immo aqua baptismalis ad eum usum multo ante consecratur, quam ad actualem usum adhibeatur, orante sacerdote: ‚Descendat in hanc aquam virtus Spiritus sancti'. Nec tamen putabit quisquam in ea virtutem aliquam inhaerentem latere, quae continuo perduret, usquedum aqua pereat". Cf. Franzelin, De sacr. th. 10, III.; Billot, De Eccl. sacr. l. 1, th. 7 § 2.

ad b) „Cum dignitas sacramentorum in eo sita sit, quod infallibiles gratiae causae sint... concedi nequit ad dignitatem sacramentorum conferre, ut physica efficientia donata sint. Et quid Suarez reponeret contendenti Christi passionem esse physicam nostrae salutis causam, cum id ad eius dignitatem pertineat?" Stentrup, De sacram. th. 13. Quod additur de signis diaboli, nihil sequitur ex paritate hac et argumentum facile retorquetur. Insuper notat Lugo (De sacr. disp. 4 n. 67) daemonem „qui solet immo et deberet fallere fidem datam venefico", non tam vi pacti conventi quam propria nequitia moveri ad servandam fidem; neque hanc semper servare, quia Deus id non permittat; quo fieri, ut nulla eius signa effectum infallibilem habeant.

ad c) „Quoties agitur de causando effectu aliquo ordinis superioris et ab illo obtinendo, non obligatur sermo ad causam stricte acceptam et physicam; sic enim dicimus communiter sanctos operari miracula, quod tamen non intelligitur de causalitate physica, sed morali, quia agitur de effectu superante eorum vires et ab alio agente superioris virtutis obtinendo". De Lugo, De sacr. in g. disp. 4 n. 61.

Quod ignem illum infernalem (quem negarunt Origenes, Calvinus, Beza, Catharinus, Möhler (dub.), Klee (dub.), Schell) certe omnino diversum a nostro processu chemico (cf. Augustinus, De civ. l. 20, c. 16; Ambrosius, In Luc. 7, n. 205; Lactantius, Inst. l. 7, c. 21; Theophylactus, In Marc. 9, 44 s; Io. Damascen., De fide l. 4, c. ult. Gregor. Mor., l. 15, c. 17 etc.) attinet, alii (ut Lessius, Palmieri) dicunt eum materialiter agere posse in spiritum, alii (ut Gutberlet) idem saltem cum reactione spiritus, per quam producatur dolor vel quae ipsa sit dolorosa, alii negant eum agere; ergo saltem certum non est, quod ut certum assumitur.

Ad d) Causalitas voluntatis divinae est causalitas entis infiniti; sacramentum vero, licet sit instrumentum divinum, manet ens finitum.

Ad 2. Respondemus in genere: 1⁰ Falsum est suppositum sacramenta esse operationes Christi; operatio Christi est positio signorum, administratio sacramentorum, sacramenta sunt operata, sunt signa posita. Cf. Jos. Müller, De sacr. in gen. (Oenip. 1905) p. 178—9 (th. 10, n. 13).

2⁰ In causalitate morali sacramentorum statuta non explicatur a) quid faciant sacramenta propria sua vi et actione (cf. Müller l. c. p. 179) b) quomodo haec operatio non sit nisi modificatio vel elevatio actionis propriae. Cf. Ad 1, 2⁰.

3⁰ Sacramenta sunt instrumenta Dei; atqui, si sunt causae morales, tamquam interpellationes impetratoriae apud Patrem, non moventur a Deo, sed movent Deum; sunt potius causae principales quam instrumentales. „Ita v. g. preces (etiam cum oblatione pecuniae a patre dono acceptae), quibus Petrus movet Paulum ad aliquid physice operandum, inepte sane dicerentur instrumenta Pauli, quibus hic utatur in agendo, sed sunt tantum instrumenta moralia Petri vel eius, cuius nomine Petrus agit“. Müller l. c. p. 176 (th. 10, n. 8). Cf. Billot, De Eccl. sacr. l. 1, th. 7, § 1.

4⁰ Si inter duo est differentia in significando, etiam in operatione esse debet. Atqui sacrificium est signum cultus interni et operatur impetrative; sacramentum vero nullo modo est signum cultus interni; ergo non potest dici impetrative causare gratiam, sed imperative. Cf. Müller l. c. p. 178 (n. 12).

5⁰ Movere sua bonitate seu dignitate apprehensa „non pertinet ad causam efficientem nec formaliter nec reductive, cum tamen sacramenta iuxta omnes sint quaedam efficientes iustificationis causae“. Billot, De Eccl. sacr. l. 1, th. 4, concl.

Minores difficultates v. ap. Amort, De sacram. in gen. disp. 3; Nik. Gihr, Die h. Sacram. d. kath. Kirche I, 80 etc.

Ad 3. Respondemus: 1⁰ Signa in traditione iurium sunt merae condiciones. Si A dat vel vendit aliquam rem B, quid fit? A ponit condicionem, qua res fit nullius relate ad B, i. e., qua obligatio in B cessat; B ponit condicionem (rem accipiendo), qua ius eius naturale determinatur circa hanc rem. Verba ab A serio prolata seu sonus determinato modo productus et determinatam cognitionem in B causans sunt condicio, qua posita obligatio in B cessat. Ita v. g. in sponsalibus efficitur promissio; obligatio generalis implendi iam adest nec per nescio quam formam exsistentem determinatur. Iudicium vero de necessitate adimpletionis est iam obligatio in actu secundo.

2⁰ „Haec doctrina non solum non continet physicam productionem gratiae per instrumentalem influxum visibilis sacramenti, sed, nisi aliquid addatur, neque explicat, quomodo sacramenta sint verae causae, et non solum condiciones necessariae ad collationem gratiae: si autem melius explicetur, causalitas sacramenti physice applicati ad producendam gratiam non alia erit quam moralis“. Franzelin, De sacram. th. 11, II (p. 131). Cf. Hurter in Zeitschr. f. kath. Theologie XX, p. 142.

3⁰ Statuunt huius sententiae defensores discrimen quoddam inter ens exsistens et ens physicum; et dicunt ens exsistens non physicum postulare causam non physicam. Cf. Billot, De Eccl. sacr. l 1, th. 7, § 3. Atqui tale discrimen intellegibile est; et proinde contra argumentari liceret: si effectus praevius est productum physicum, debet habere causam physicam.

Scilicet ius tantum quoad fundamentum suum exsistit; quatenus vero dicitur inesse in subiecto, inest per denominationem; subiectum iuris est subiectum utilitatis, exercitii eius. Cf. Azor, Inst. mor. l. 4, c. 9, q. 6. Aliter res se haberet, si posset dici per signa illa causari obligationem in actu secundo, i. e. iudicium de necessitate bonum appetendi; hoc esset aliquid physicum.

Minores difficultates v. ap. Mac Donald in Ecclesiastical Review 1901.

Ad 4. Respondemus in genere: 1⁰ Docemur per Tridentinum baptismum esse causam „instrumentalem" gratiae; neque haec vox latius sumi posse videtur, quam in schola id temporis sumebatur; neque baptismus propter effectum suum analogice dici videtur instrumentum („instrumentalis item sacramentum baptismi, quod [non 'quatenus'] est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio." Conc Trid. Sess. 6, cp. 7). Iam vero aliam in aliis sacramentis statuere causalitatem inconveniens videtur esse.

2⁰ In bullario (Γράμματα) orthodoxorum patriarcharum orientalium, art. 15 sacramenta vocantur ὄργανα δραστικὰ χάριτος ἐξ ἀνάγκης, ergo instrumenta efficientia gratiae.

Respondemus in specie:

ad a) Si hoc verum esset, peccata iam remissa non possent iterum remitti per verba sacerdotis; quia haec praecederent natura infusionem gratiae, ideoque non possent significare nisi remissionem repetitam, non autem collationem gratiae per se remissivae. Cf. thes. 1, p. II ad 5.

ad b) cf. p. II. huius thesis.

ad c) Si quis velit haec verba urgere, tamen nihil evinceret; nam utique causae naturales non possunt agere dependenter a condicionibus futuris, sed ubi intervenit praescientia Dei nulla est difficultas. Epiclesis vero videtur nobis esse declaratio facti, quatenus Spiritus sanctus sicut incarnationem, ita et eius renovationem operatur. Cf. Sepp, Leben Jesu² I, p. 44; De Lugo, De Euchar. disp. 11, s. 1.; Stentrup, De Euch. th. 31; Thalhofer, Scheeben etc.

Ad 5. Sufficit ut signum percipi possit, dummodo serio proferatur; certe is qui in secreto serio mendacium profert mentitur; Christus autem per ministrum suum verum loquitur.

P. II. Retentio est negatio remissionis.

Dub. 1. Id non potest esse mera negatio, quod aliquid efficit. Atqui potestas retinendi „cum in actu secundo exercetur, facit, ut maneat sub peccato ille, cui negatur absolutio, et obligatus sit rursus redire ad eandem potestatem." Palmieri, De poen. th. 10, III. Retentio „imponit obligationem poenae." Idem, De poen. th. 11, II.

2. Si retentio esset negatio remissionis, absolutio data ab uno tantum sacerdote nihil valeret, cum reliqui omnes peccata retinerent.

3. Mt. 12. 31 supponitur quaedam peccata remitti in altera vita, quae hic non remittuntur; eaque non forte tantum venialia, ut multi volunt cum Maldonato (Fr. Schmid, J. Stufler), quod patet ex contextu, ubi nulla ratio appareat commemorandi remissionem venialium in futuro. Tunc vero retinere apud Io. non potest significare non remittere.

Haec pars probatur 1⁰: Si retentio non esset negatio remissionis, aut esset immutatio voluntatis divinae, aut sublatio omnium aliorum titulorum gratiae, aut positio obligationis subiciendi se rursus potestati ecclesiae, aut impositio poenae, aut positio novi tituli aversionis divinae vel non concedendae remissionis, aut iudicium de neganda venia aut negationis manifestatio. Atqui voluntas Dei relate ad peccatorem, cui retinentur peccata, nullatenus mutatur; sublatio illa facta est iam per Christum Dominum; item obligatio redeundi ab eodem est imposita, nec remittere peccata est remittere obligationem; ad imponendam poenam deest

ius (Suarez, De poen. disp. 38 s. 7, n. 7); titulus novus aversionis non producitur, cum subiectio sub claves Ecclesiae sit potius actus meritorius: nec denique iudicium de retinendis peccatis aut manifestatio retentionis est ipsa retentio; scilicet, etiamsi peccator nulli sacerdoti se subiciat petendo absolutionem, verificatur tamen etiam in hoc casu verbum divinum: 'Quorum retinueritis, retenta sunt'.

2⁰ Sacerdos per ordinationem accipit relate ad peccatorum remissionem solum potestatem gratiam peccatorum remissivam infundendi; et cum potestas libertatem non tollat, simul potestatem id, quod facere posset, non faciendi, nanciscitur. Aliud vero ei non traditur. Quodsi tamen ordinandis dicitur etiam: Quorum retinueritis peccata, retenta sunt, non potest iis verbis alia significari potestas ac non utendi potestate remissionis. Cf. Conc. Tridentin. Sess. 14, cp. 6; cn. 10. Sess. 23, cp. 1. Thes. 3, p. I, dub. 1, f.

3⁰ „Peccatum non detinetur [κρατεῖν = prehensum tenere] per actionem positivam, sed per carentiam actionis" Suarez, De poen. disp. 19, s. 1, n. 15: cf. Lugo in thes. 14, schol. 1.

Ad 1. Idem auctor, De poen. th. 10, III dicit: „Semper retinent (sacerdotes), quamdiu non remittunt." Ergo non est intellegendus illic de influxu positivo, sed negativo.

Ad 2. Effectus aeternae retentionis tum tantum producitur, si omnes sacerdotes retinent.

Ad 3. Cf. Thes. I, p. III. ad 7. *Ad. Špaldák.*

## EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

*A. de Poulpiquet O. P.*, »**La Notion de catholicité**« (Ex serie »Questions theologiques« No. 560) p. 62. Bloud. (1910).

Haec non est nisi commentatio, quam scriptor in »Revue de Sciences Philosophiques et Theologiques« (Janvier 1909) edidit. *P.* ab illa opinione exponenda exorditur, si in catholicitatis notione sola quantitas consideretur, eam probari non posse esse ecclesiae Romanae propriam. Quare hac non neglecta aliam notam catholicitatis qualitativae introducit. Catholicitas ut est donum supernaturale, ecclesiae Romanae soli concessum maxime in modo agendi universali ecclesiae catholicae apparet. Ea ratione ecclesia catholica non patitur sive personarum, sive nationum proprietatis studia, inde mira oritur catholicorum in doctrina christiana profitenda unitas, inde ecclesiae catholicae omnium gentium aequa aestimatio, quae internationalitas vocatur, et ab omni saeculari potestate absoluta libertas. Ex hac catholicitate tot notae proprietatesque emergunt, ut etiam in rebus, quae catholicis cum non catholicis communes videntur esse, statim appareat catholicitatis notam catholicorum esse propriam (velut legationes christianae doctrinae apud barbaras gentes propagandae causa, aestimatio potestatis laicae). In ultimo capite (pp. 57—62) scriptor sex credibilitatis notas ex notione illa catholicitatis deducit, quibus ecclesia Romana probetur. Libellum hunc lepide et modo facili concinnatum omnibus, maxime vero catholicis, commendare non dubitamus.

*J. Ruinaut*, »**Le schisme de Photius**« (Ex serie »Questions historiques«); p. 61. Bloud No. 558.

Simili laude, qua superius opusculum dignum duximus, hoc quoque impertire debemus. Narratione tranquilla, accurata, ingenii

acuti plena, scriptor historicas vicissitudines insignis illius schismatis breviter perscribit eiusque causas indagare conatur. In fine index bibliographicus (pp. 58—61) operum, quae de hac re scripta sunt adiungitur. Quo fere omnia maioris momenti de hac re opera indicantur; tamen quidam libri, maxime russici desunt. Dr. *Leonini.*

*Ch. Guignebert,* **La primauté de Pierre et la venue de Pierre a Rome.** Paris (Nourry) 1909 (p. 391) 6 fr.

*Hugo Koch,* **Cyprian und der römische Primat.** Leipzig 1910 (p. 173) 5·50 Mk. Negat Cyprianum notionem primatus Romani episcopi habuisse.

**Bessarione,** anno XI, 1907, serie III, vol. II et III. Roma, Piazza, S. Pantaleo, 3.

*N. Marini,* L' Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa ortodossa dissidente. Vol. II. P. 1, 195, etc. Vide Sl. lit. theol., t. VI. p. 128.

*A. Palmieri,* L' uomo, la natura ed il male nella filosofia di Vladimiro Solovev (De homine, natura et malo in philosophia Vladimiri Solov'ev). Vol. II. P. 8—33. Haec est conclusio huius commentationis: »La filosofia del Solovev, se merita le nostre lodi perchè è una vigorosa affermazione dello spiritualismo contro il materialismo ed il positivismo dominante nelle filosofia russa, non offre però un utile contributo all' apologetica del cristianesimo. La filosofia religiosa non deve transformarsi in dommatica razionale. Il Solovev lo ha tentato come altri lo hanno tentato prima di lui, e pur rivelando le mirabili qualità del suo ingegno, egli non ha fatto altro che poggiare sull' arena un edifizio dalla facciata brillante.«

*N. Marini,* Impressioni e ricordi di un viaggio in Oriente. Vol. II. P. 107, 113, etc.

*A. Palmieri,* Corrispondenza dalla Russia: Le condizioni del basso clero in Russia. Vol. II. P. 114—139; 252—278. III. 187—203. De statu cleri inferioris in Russia; documenta episcopalia de reformatione paroeciae; de creandis parochialibus clericis; de definitione paroeciae et de collegio praeparantium russicum concilium; de scholis parochialibus; de diaconissis. De restituendis paroeciis; de statu cleri in rebus ordinis materialis, moralis, intellectualis.

*A. P.*, Cronaca dell' Unione. Vol. II. P. 140—158. Describitur catholicismi status in Polonia, secundum inquisitionem ab iis qui commentarios Przegląd Powszechny edunt institutam. »Clerus polonus fuit semper patriae amantissimus, atque in suo patriae amore semper media invenit ad confirmandum suum zelum; suum gregem docuit sperare contra spem vivereque, ut ita dicam, in expectatione miraculi et melius de futuro ominari.« Haec verba a Spasovič scripta, verissima sunt.

*A. Palmieri,* La psicologia dei santi russi. Vol. II. P. 234—251. Accurata expositio cuiusdam praeclari studii quod B. F. Cije publici iuris fecit in Commentariis Вопросы философіи и психологіи, 1906.

*N. Marini,* Il Sillabo di Pio X e le Chiese dissidenti orientali. Vol. III. P 3—8.

*A. Palmieri,* S. Giovanni Crisostemo nell' antica letteratura russa. Vol. III. P. 43—63. »Nei primordi della letteratura russa s'incontrano sovente le versioni di omelie o di raccolte di omelie del Santo Dottore. Queste versioni sono in genere di origine bulgara . . . Insieme coi libri santi ed i libri liturgici le omelie di S. Giovani Crisostomo furono tradotte in slavo dai bulgari convertiti al cristianesimo. Tre omelie del Santo Dottore sono contenute nel codice glagolitico del secola XI del Conte Klotz di Trento, edito dal Kopitar. Un altro codice

173 03



prezioso, quello del monastero di Suprasl (distretto di Bielostock, governo di Grodno) del secolo XI, contiene altre venti omelie.« P. persequitur historiam corporum slavicorum, quae varia nomina Zlatostruj, Zlatoust, Izmaragd, ferentia, homilias s. Ioannis Chrysostomi continent vario ordine distributas.

*Id.*, Dositeo patriarca di Gerusaleme nel secondo centenario della sua morte. Vol. III. P. 104—128. Initium eruditae commentationis de celeberrimo illo hierosolymitano patriarcha (1661—1707), assiduo orthodoxiae propugnatore. *S. Salaville.*

## Corrigenda.

P. 187 supra l. 3 adde: (p. 51).

P. 190 adde:

*Fried. Jackowski,* Die Kirchengeschichte des Eusebius von Caesarea und d. Primat. (ibid. p. 322—362.)

*Ja.* Petrum qualem in historia Eusebius commemoret, principem ecclesiae nullo modo esse fuse demonstrare conatur. Sed eius praeiudicatam opinionem de primatu pontificis Romani facile perspicies. Statim ab initio dicit, Origenem sensum verborum: „Tu es Petrus et super hanc petram“ falso intellexisse, atque Eusebium solum illum allegasse. S. Petrum in s. scriptura alacritate ac fortitudine reliquis apostolis anteire videmus. Cur in die Pentecostes primus pro omnibus loquitur, cur coram indicibus omnes defendit „Der kühne Organizator . etc.“ S. evangelia rationem agendi s. Petri nobis explicant, electus erat, ut ecclesiae toti praeesset. Quae *Ja.*, de s. Iacobo ex Eusebio et s. litteris profert, ipsum episcopum Hierosol. fuisse probant, nihil amplius. Quae deinde de primatu pontificis Romani secundum Eusebium nobis proponuntur, critice non sufficiunt. „Er (Euseb.) berichtet im Gegenteil, dass Linus der erste Bischof von Rom gewesen (p. 335). So sagt er ausdrücklich: Nach dem Martyrium des Paulus u. Petrus wurde Linus als erster zum Bischof der Kirche der Römer gewählt (III, 2. Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετὰ τὴν Παύλου καὶ Πέτρου μαρτυρίαν πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος.“ „u. belegt dies noch durch ein Zitat aus Irenaeus (adv. haer. III, 3), der da sagt: „Nachdem die sel. Apostel (Petrus u. Paulus) die Kirche (in Rom) gegrundet u. èrbaut hatten, übergaben sie dem Linus das Amt des Egiscopates (V, 8). Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν.“ Si Linus primus post s. Petrum et Paulum, fundatores ecclesiae Romanae episcopus fuit, ipse fundator Petrus non antea fuit episcopus? Quid aliud? Porro facile conceditur, terminologiam quam dicunt et notionem primatus expressam initio minus usitatam fuisse cum propter honoris contemptum s. Petri, et quod primatus nondum omni claritate ubivis notus erat, tum quia aliae res maximi momenti, ut Christum Deum et filium Dei ecclesiam instituisse in terris magis inculcandae erant. Vocem papae (πάπα μακάριος) Dionysius Alexandr. de eo cui successit primus videtur adhibuisse. Ipse *Ja.* concedit: „Überaus oft beschäftigt sich Eusebius in seiner Kirchengeschichte mit dem Bischof von Rom (p. 339).“ Num sine ratione? Sed maximum fortasse argumentum ex Eusebio pro primatu Rom. Pontif. in eo habemus, quod omnes episcopos Romanos qui s. Petro successerunt numero 28 chronologice adfert, annos quo singuli ecclesiae praeerant refert simulque res maioris momenti ab ipsis gestas. Cur non de aliis sedibus patriarchalibus Antiochena, quae etiam s. Petrum suum episcopum fuisse vera cum gloria de se praedicat, vel Alexandrina, doctrina celeberrima hoc idem facit? Quae *Ja.* adfert exempla iurisdictionis, quam Rom. Pont. in alias ecclesias exercuerunt, ut quaestionem de die Paschatis celebrando sub Victore agitatam, vel de vi baptismatis ab haereticis collati, a Stephano Rom. Pont. defensa, certe primatui Rom. Pontificis favent. —

P. 193 infra l. 7 deleatur: respectu dogmatico.

P. 193 infra l. 3 loco Infallibitatem lege Infallibilitatem.